ACTA
APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

AN. ET VOL. XC

TYPIS VATICANIS
M.DCCCC.LXXXXVIII

!

An. et vol. XC 7 Ianuarii 1998 N. 1

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio.: **Palazzo Apostolico - Città del Vaticano** - *Administratio:* **Libreria Editrice Vaticana**

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

PARAKUENSIS

Nova constituitur provincia ecclesiastica in Benino, Parakuensis nuncupata.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Successoris Petri in Ecclesia munere fungentes ad provehendum christifidelium spiritale bonum, nunc etiam populum Dei in Benino respicimus omnia disponere contendentes ad animarum curam efficaciorem inibi reddendam. Quapropter audito consilio quorum interest summa apostolica Nostra potestate novam Provinciam ecclesiasticam ***Parakuensem*** constituimus ex dioecesibus Parakuensi, Kandina, Natitinguensi et Diuguensi, cuius sedes princeps Parakuensis erit deinceps, quae hisce quoque litteris archidioecesis metropolitana efficitur cui reliquae dioeceses Kandina Natitinguensis et Diuguensis ut suffraganeae sedes subiciuntur. Praeterea Venerabilem Fratrem Nestorem Assogba, hactenus Episcopum Parakuensem, ad gradum Archiepiscopi et Metropolitae promovemus. Haec quae praescripsimus perficienda committimus Venerabili Fratri Andreae Dupuy, Archiepiscopo titulo Saelesiensi atque Apostolico in Benino Nuntio, onere imposito ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione exemplum horum consiliorum exsecu-

tionis remittendi. Hae denique Litterae Nostrae firmae sint volumus tam in praesens quam in posterum omne tempus, quibusvis rebus haudquaquam obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo sexto mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo septimo, Pontificatus Nostri vicesimo.

£8 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, ***Protonot. Apost.***
Franciscus Chiaurri, ***Protonot. Apost.***

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 420.258

II

ABEOKUTANA

In Nigeria nova conditur dioecesis Abeokutana.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum ad aeternam provehendam salutem Dominici gregis in Nigeria eiusque regimini facilius et efficacius consulendum petitum esset nuper ut in eadem Natione nova conderetur dioecesis, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt praepositi, re mature perpensa auditisque pariter eorum quorum interest votis, admotam postulationem censuerunt esse accipiendam. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris universae catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. A Lagosensi archidioecesi separamus territorium districtuum civilium nuncupatorum Abeokuta South, Abeokuta North, AdoOdo/Otas, Egbado North, Egbado South, Ifo, Obafemi/Owose et Odeda; ex eoque novam constituimus dioecesim ***Abeokutanam,*** quam ipsi metropolitanae Ecclesiae Lagosensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus, cuius limites iidem erunt ac illi memorati territorii. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe Abeokuta atque

templum ibidem exstans, Deo in honorem sanctorum Apostolorum Petri et Pauli dicatum, ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Carolus Maria Vigano, Archiepiscopus titulo Ulpianensis et in Nigeria Pronuntius Apostolicus, qui, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittenda. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die quarto et vicesimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo septimo, Pontificatus Nostri vicesimo.

ﬃ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, ***Protonot. Apost.***
Franciscus Chiaurri, ***Protonot. Apost.***

Loco £8 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 420.699

III

MERCEDENSIS - LUIANENSIS

Dioecesis Mercedensis-Luianensis ad gradum archidioecesis evehitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Omnibus satis constat dioecesim Mercedensem-Luianensem magis in dies conspicuos facere spiritales progressus praesertim quoniam sub illius dicione celeberrimum est Sanctuarium Deo in honorem Beatae Mariae Virginis dicatum in urbe vulgo Lujan, quod singularis evangelizationis locus habetur et quodammodo spiritale ducitur centrum totius Reipublicae Argentinae. Quapropter hanc dioecesim dignam esse censuimus ut maiore decoraretur honore. Re igitur accurate perpensa, audito favorabili voto Venerabilis Fratris Ubaldi Calabresi, Archiepiscopi titulo Fundani et in Republica Argentina Apostolici Nuntii, atque apte habitis rationibus quod ad civiles attinent effectus cum eiusdem Reipublicae gubernio, potestate Nostra Apostolica ha-

rumque Litterarum virtute, memoratam dioecesim ***Mercedensem-Luianensem*** ad gradum et dignitatem archidioecesis evehimus, quin suffraganeis polleat dioecesibus, statuentes ut ea dehinc huic Sedi Apostolicae immediate substet; eiusdem pariter pro tempore sacrorum Antistitem, qui Episcopus eidem in praesenti praeest Ecclesiae, titulo et honore Archiepiscopi exornamus, iuribus additis et privilegiis eiusmodi dignitatis propriis. Canonicorum etiam Capitulum huius Ecclesiae eiusdem honoris particeps reddimus, quod congruis iuribus ac privilegiis novae inserviet archidioecesi. Ut haec quae statuimus ad effectum adducantur, legamus Venerabilem Fratrem Ubaldum Calabresi, quem supra diximus, eidemque facultatem facimus ad hoc officium alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum delegandi, onere utcumque addito curandi ut certum verumque actae exsecutionis litterarum exemplum ad Congregationem pro Episcopis cito transmittatur. Has denique Litteras Apostolicas nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus haud obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die primo et vicesimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo septimo, Pontificatus Nostri vicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

83 BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, ***Protonot. Apost.***
Franciscus Chiaurri, ***Protonot. Apost.***

Loco 83 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 420.834

IV

VADUTIENSIS

In Lichtensteno archidioecesis Vadutiensis appellanda erigitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad satius consulendum spiritali bono fidelium opportunum visum est Nobis territorium decanatus Lichtensteni a dioecesi Curiensi distrahere atque novam ibidem archidioecesim erigere, quam ***Vadutiensem*** appellandam

decrevimus, finibus praefati decanatus circumscriptam et Nobis immediate subiectam. Sedem novae archidioecesis in urbe Vadutiensi ponimus templumque ibi exstans Deo in honorem sancti Florini dicatum ad gradum ecclesiae Cathedralis evehimus, iuribus ac privilegiis concessis quae ad eiusmodi templa spectant. Vadutiensi pro tempore Archiepiscopo insignia, privilegia iuraque concedimus eumque oneribus et officiis adstringimus quibus ceteri Praesules Ordinarii locorum gaudent et adstringuntur. Ut constitutae archidioecesis Pastor in eius regimine valido fruatur adiutorio, Collegium Consultorum ad normam iuris communis oportet instituatur. Congruae ac dignae sustentationi Praesulis novae archidioecesis provideatur Curiae emolumentis, fidelium oblationibus et portione ei ob veniente ex divisione, ad normam can. 122 C.I.C. facienda, bonorum quae hucusque ad mensam episcopalem Curiensem pertinuerunt. Ad Seminarii alumnorum institutionem quod attinet, iuris communis serventur praescripta, prae oculis habitis Congregationis pro Institutione Catholica praeceptis. Cum fas erit, selecti Seminarii alumni, philosophicis et theologicis disciplinis imbuendi, nec non sacerdotes ad studia complenda Romam mittantur. Simul ac archidioecesis Vadutiensis erectio ad effectum deducta fuerit, eo ipso sacerdotes Ecclesiae illi adscripti censeantur in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri vero clerici Seminariique tirones Ecclesiae illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio legitimum habent domicilium. Documenta autem et acta quae conditam archidioecesim eiusque clericos, fideles et forte bona temporalia respiciunt, a curia Curiensi ad curiam Vadutiensem rite transmittantur ibique in tabulario serventur. Ad haec omnia perficienda delegamus Venerabilem Fratrem Orianum Quilici, Archiepiscopum titularem Tablensem et Nuntium Apostolicum in Principatu Lichtensteni necessarias et opportunas eidem tribuendo facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Has denique Litteras Nostras firmas esse nunc et in posterum volumus, quibuslibet rebus nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die altero mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo septimo, Pontificatus Nostri vicesimo.

IOANNES PAULUS PP. II

Eugenius Sevi, ***Protonot. Apost.***

Marcellus Rossetti, ***Protonot. Apost.***

Loco 83 Plumbi

In Secret. Status tab., n. 424.104

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Servae Dei Mariae a Cruce MacKillop Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Iesu» *(Philp* 2, 5). Maria a Cruce MacKillop, per caritatem ad Christi voluntatem conformata, eadem in corde quae Divinus Magister sensit eiusque exemplum doctrinamque secuta, totam vitam insumpsit ad Deum laudandum eiusque Regnum aedificandum, humiliter ac sollicite se devovens humanae christianaeque promotioni puerorum et famulatui pauperum, infirmorum, aetate provectorum eorumque omnium spiritali humanoque auxilio indigentium. Haec fortis et affabilis mulier, quae in Australia vitae operumque sanctimonia refulsit, prope Melburnum die xv mensis Ianuarii anno MDCCCXLII nata est a parentibus Alexandro MacKillop et Flora MacDonald, ex Scotia migratis. Haec Serva Dei, aetate et gratia firmata, consilium cepit se Domino vovendi. Dum Penolae versaretur munere fungens institutricis apud divitem familiam, a Providentia ducta est ut famulatum potius praestaret Deo, Ecclesiae populoque. Pro pueris religiosa civilique institutione orbatis gratuitam in primis condidit scholam. Quod Opus, sociatam praestante operam presbytero Iuliano Tenison Woods, conversum est in Congregationem Sororum Sancti Ioseph a Sacro Corde Iesu, quam Episcopus Adelaidensis anno MDCCCLXVIII approbavit. Novum Institutum celerem obtinuit progressionem et in diversas Australiae et Novae Zelandiae regiones suum diffudit apostolatum. Ut saepe Dei amicis accidere solet, Soror Maria a Cruce Calvariae montem scandere debuit nec non innumera subire incommoda, ignominias, calumnias et angustias eo ut ipsa Operis fundamenta periclitarentur. Divinitus suffulta, omnia haec animi fortitudine et serenitate pertulit, inimicis suis ex animo pepercit et missionem a Domino sibi concreditam libenter perrexit. Anno autem MDCCCLXXXVIII Decessor Noster Leo XIII eius Institutum approbavit sedemque primariam Sydneii posuit. Serva Dei, resumens supremum Congregationis regimen, quod aliquot per annos alia soror tenuerat, officium Moderatricis Generalis ad obitum usque praeclare sustinuit. Robur vero, quo ipsa tam in laboribus apostolicis quam in tribulationibus sustentabatur, constans exstitit fidelitas erga Dei

voluntatem, itemque altissima vita spiritalis, quam per actuosam Liturgiae participationem nutrivit nec non per orationem, per cultum Eucharistiae, Sacro Cordi Iesu, Beatae Virgini Mariae et Sancto Ioseph tributum. Christi patientis discipula, indomita ac perseveranti animi indole, humilitatem, castitatem, paupertatem, oboedientiam et poenitentiam coluit; novissimis immo vitae annis, diuturnum morbum serene pertulit. Meritis igitur plena sanctitatisque fama circumdata, die VIII mensis Augusti anno MCMIX ad aeternum transiit Regnum, cuius desiderio semper flagraverat.

Causa beatificationis et canonizationis ab Archiepiscopo Sydneyensi anno MCMXXV est incohata. Rite ergo servatis de iure servandis, die xin mensis Iunii anno MCMXCII declaravimus Venerabilem Dei Servam Mariam a Cruce virtutes théologales, cardinales eisque adnexas heroum in gradum exercuisse. Praeterea Nobis coram die vi mensis Iulii anno MCMXCIII decretum prodiit super miraculo anno MCMLXII Sydneii patrato eiusdemque Servae Dei intercessioni adscripto. Quapropter statuimus ut ritus beatificationis Sydneii die xix mensis Ianuarii anno MCMXCV haberetur, occasione Nostri pastoralis itineris in illam ecclesialem communitatem.

Hodie igitur, Apostolica Nostra visitatione in Australia perdurante, inter Missarum sollemnia, quae Sydneii celebravimus, multis adstantibus fratribus Nostris Episcopis, presbyteris nec non plurimis christifidelibus, Spiritus Sancti invocato lumine, hanc ediximus formulam:

Acceding to the request of Our Brother, cardinal Edward Clancy, Archbishop of Sydney and President of the Australian Catholic Bishops' Conference, and of many other Brothers in the episcopate, of the entire religious families of the Sisters of Saint Joseph, and of many of the faithful, and after consultation with the Congrégation for the Causes of Saints, by our Apostolic Authority we declare that the Venerable Servant of God, Mary of the Cross MacKillop, shall hereafter be invoked as Blessed, and that her feast shall be celebrated every year on the eighth day of August, the date of her birth to eternai life, in the places and according to the norms established by Church Law. In the name of the Father and of the Son and of the Holy Spirit.

Quibus prolatis verbis, orationem pio quidem habuimus studio qua tum eximiam huius Beatae vivendi viam laudibus extulimus, tum singulas simul christianas virtutes. Nos deinde cum adstantibus cunctis illam sumus venerati atque consentanea nimirum prece Ipsi primi eam in adiutorium omnium nostrum in terra adhuc peregrinantium invocavimus.

Quae autem decrevimus et fecimus, volumus nunc et in posterum vim habere, contrariis rebus minime efficientibus quibuslibet.

Datum Sydneii, sub anulo Piscatoris, die xix mensis Ianuarii, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffl Sigilli
In Secret. Status tab., n. 398.137

II

Venerabili Servo Dei Philippo Smaldone Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Bene omnia fecit, et surdos facit audire et mutos loqui! » ***(Me*** 7, 37). Verba haec, quae summam constituunt actionis salvificae Domini Iesu pro omnibus dolentibus quaeque peculiari modo respiciunt auditu vel loquela carentes, recte applicantur ad illos quotquot, sicut Servus Dei Philippus Smaldone, in Ecclesia evangelizationi nec non humanae socialique eorundem redemptioni operam navant. Philippus Smaldone Neapoli natus est die xxvn mensis Iulii anno MDCCCXLVIII. Inde a tempore quo ad sacerdotium se parabat propensum ad misericordiam erga surdos mutosque animum exhibuit, quibus totis viribus curam et institutionem suppeditare studuit; quod opus post sacerdotalem ordinationem maiore adhuc deditione perrexit. Sincero fervore et apostolico studio praeditus, strenuum se praebuit in infirmis visitandis et in catechesi pueris tradenda eodem in Sacello Serotino quod infans frequentaverat. Pestilentia cholerae Neapolim invadente aestivis mensibus anni MDCCCLXXXIV, Philippus, quin viribus parceret, in curandos morbo cholerae affectus adeo audacter incubuit, ut ipsemet in eundem delaberetur morbum, a quo tamen, per intercessionem Beatae Mariae Virginis a Pompeiis cui totum se commiserat, divinitus est sanatus. Ex consuetudine inter surdos mutosque didicit quantum urgeret institutum quoddam permanens et proprium ad efficientem illorum institutionem. Aliquot per annos Deum diuturne oravit atque rationem excogitavit ut propositum ad rem deduceret. Verno tempore anni MDCCCLXXXV Lyciam se contulit ad ephebeum surdis mutisque excipiendis condendum. Ibi quasdam pias arcessivit mulieres, quarum ipse spiritalis

erat moderator quibusque suasit ut primariae constituerentur sodales religiosae communitatis quam ille appellavit « Congregationem Sororum Salesianarum a Sacris Cordibus », quae quidem ab Ordinario loci Servo Dei Salvatore Aloisio Zola mense Ianuario anno MDCCCXCV canonice est comprobata. Per quadraginta annorum spatium Servus Dei, dum paterno animo curationi et institutioni ingentis surdorum mutorumque agminis totum se dabat, quin caecos neglegeret, novas domus religiosas et ephebea in diversis urbibus Italiae Australis a fundamentis erexit. Diuturne Lyciae commorans ferventi studio eucharisticum propagavit cultum. Ad rem quod attinet, sive Sacerdotum Adoratorum sive Dominarum Eucharisticarum Associationes condidit. Inter sacrorum alumnos, sacerdotes diversasque communitates religiosas peraestimatus exstitit confessarius. Praeses constitutus Consociationis Missionariorum Sancti Francisci Xaverii pro missionibus ad populum, dioecesanam evangelizationem promovit. Exemplaris canonicus fuit cathedrali in ecclesia Lyciensi. Varia salutis incommoda per menses passus, die iv mensis Iunii anno MCMXXIII, diffusa sanctitatis fama circumdatus, pretiosam animam suam Domino reddidit. Postquam anno MCMXLIX verus et unus conditor habitus est Sororum Salesianarum a Sacris Cordibus, Archiepiscopus Lyciensis per instructionem processus ordinarii informativi anno MCMLXIV Causam incohavit beatificationis et canonizationis. Nosmet Ipsi die xi mensis Iulii anno MCMXCV declaravimus presbyterum Philippum Smaldone virtutes théologales, cardinales iisdemque coniunctas heroum in modum exercuisse. Deinde Congregatio de Causis Sanctorum miram feliciter pervestigavit sanationem Barii anno MCMXXXVII patratam eiusdemque Servi Dei intercessioni adscriptam de qua legitimus processus canonicus instructus fuerat apud archiepiscopalem eiusdem urbis Curiam. Nobis coram, die xn mensis Ianuarii hoc anno MCMXCVI, decretum super miro promulgatum est. Statuimus ideo ut beatificationis ritus die xn proximi mensis Maii Romae celebraretur.

Hodie igitur in foro ad Vaticanam Basilicam Sancti Petri spectante, inter Missarum sollemnia hanc protulimus formulam:

Nos vota Fratrum Nostrorum Caroli Mariae Cardinalis Martini, Archiepiscopi Mediolanensis, Cosmi Francisci Ruppi, Archiepiscopi Lyciensis, Michaelis Cardinalis Giordano, Archiepiscopi Neapolitani, Braulii Rodríguez Plaza, Episcopi Salmantini, et Aloisii Belloli, Episcopi Anagnini-Alatrini, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctori-

tate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Alfredus Hildefonsus Schuster, Philippus Smaldone, Ianuarius Maria Sarnelli, Candida Maria a Iesu Cipitria y Barrióla, Maria Raphaela Cimatti et Maria Antonia Bandrés y Elósegui Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum die ipsorum natali: Alfredi Hildefonsi Schuster die trigesima Augusti; Philippi Smaldone die quarta Iunii; Ianuarii Mariae Sarnelli die trigesima Iunii; Candidae Mariae a Iesu Cipitria y Barrióla die nona Augusti; Mariae Raphaelae Cimatti die vicesima tertia Iunii et Mariae Antoniae Bandrés y Elósegui die vicesima septima Aprilis in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Quae autem his Litteris decrevimus nunc et posthac rata et firma volumus esse, contrariis rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xn mensis Maii, anno MCMXCVI, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffl Sigilli
In Secret. Status tab., n. 394.143

III

Dei Servae Marcellinae Darowska caelestium conceduntur honores Beatarum.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Mores hominis educatione formantur... Ratio educandi puellas in Congregatione nostra adhibita hoc sibi proponit ut alumnae ita instituantur ut Regni Dei cives se esse sciant, uti scilicet feminae non modo artibus ingenuis eruditae et humanitate perpolitae fiant, sed ut praesertim moribus honestis probisque perficiantur, ut coniuges vere christianae matresque familiae fieri possint domibusque suis praeesse et patriae adesse addiscant». Haec verba ex testamento Venerabilis Servae Dei Mariae Marcellinae Darowska hausta iure quidem summa seu compendium eius charismatis apostolici putantur; quapropter a Congregatione Filiarum Beatissimae Mariae Virginis Immaculatae fideliter etiamnunc adimplentur et observantur. Serva haec Dei, Ioannis Kotovicz ac Maximilianae Jastrzebska filia, de Polona est gente nata, familia admodum nobili pluribus liberis aucta, die xvi mensis ianuarii anno MDCCCXXVII in villa ***Szulaki*** intra provinciam olim Rei Publicae Poloniae orientalem sita. Puella

praestamus ingenii mentisque acutae; bene deinceps erudita, ab ipsa infantia dono est contemplationis cumulata, verum ad munus sese praecipuum ac singulare in sua Ecclesia exsequendum destinatam a Deo esse nesciebat, quod postmodum communia officia uxoris ac matris experta indictum sibi cognovit. Illa enim dilecta parentum suorum filia germanorumque simul carissima soror, cum suo adolevit tempore, a patre in matrimonium locata Carolo Darowski est, qui vicissim obiit anno MDCCCXLIX, et brevi felix duorum liberorum mater facta, marito in bonis administrandis opem tulit optimaque rusticorum patrona exstitit. Tribus modo annis elapsis coniuge inopinate exstincto vidua est facta filiumque parvulum anno postero amisit, ad cuius tumulum Maria Marcellum se totam Deo devovit. Tum Dominus ei, quae filiolam unicam superstitem educare debebat, opus pium a Iosepha Karska et Hieronymo Kajsiewicz Congregationis Domini Nostri Iesu Christi sacerdote Romae incohatum commisit adimplendum et deinceps curandum. Quandoquidem hoc contigit anno MDCCCLIV, quo est Immaculatae Conceptionis dogma promulgatum, ita Congregatio Filiarum Beatae Mariae Virginis Immaculatae excitata est, cuius munus praecipuum esset puellas christianas ea ratione instituere et educare ut familiae sanctiores fierent animoque christiano imbuerentur. Mortua vero anno MDCCCLX Iosepha Karska, haec Dei Serva nascentis Congregationis gubernationem suscepit atque, laudatorio decreto impetrato, moniales de Urbe in oppidum ***Jaziowiec*** archidioecesis Leopolitanae traduxit. Quinquaginta exinde annos Congregationi praefuit; sex maiores eius domos in variis patriae condidit partibus, ubi alumnae instituebantur pauperioresque nutriebantur et vestiebantur. Cum sororibus atque alumnis coniuncte vixit earum unamquamque veluti mater optima diligenter fovit, disceptationes ascéticas conscripsit, pias similiter meditationes atque hortationes ad sorores. Signa temporis sui observans commutationes patriae sociales perspexit et egestati plebis subvenire studuit, omnes ordines populi per suam- educandi curam et disciplinam amplectens. Rerum postmodum opumque exiguitate ipsa vexata a civilibusque saepius impedita potestatibus, fortiter superavit quaslibet vitae asperitates. Mystico sensu imbuta et inter suos sanctimoniae aestimatione circumdata, tenebras tamen interiores passa est, cum maxime operibus suis apostolicis perficiendis administrandisque navaret operam. Quoniam Beatissimae virginis Mariae sanctuarium Czestochoviense colebat, ut in Claro Monte patratum scelus sacrilegum quodammodo repararet, vitae suae reliquum etiam impendit, donec ea in coenobio Jazlovicensi die v mensis Ianuarii vita de-

cessit anno MCMXI. Nos itaque anno MCMXCIV die xv mensis Decembris palam Mariam Marcellinam declaravimus heroum in modum virtutes excoluisse omnes christianas. Paulo autem post, die xxv mensis Iunii anno MCMXCVI protulimus decretum super miraculo quod eiusdem Servae Dei intercessioni adscribebatur statuimusque simul ut Romae beatificationis ritus die vi octobris eiusdem anni perageretur.

Hodie igitur apud beatissimi Petri templum adstante ingenti omnibus e terris christifidelium turma, sollemnia intra eucharistica, summa animi pastoralis Nostri cum alacritate ac religiosae pietatis adiectione, hanc pronuntiavimus formulam qua una cum aliis in Beatarum caelitum fastos Mariam Marcellinam Darowska etiam inscripsimus: « Nos, vota fratrum nostrorum Ioannis Nowak, Episcopi Siedlecensis, Desmondi Connell, Archiepiscopi Dublinensis, Antonii Mariae Rouco Várela, Archiepiscopi Matritensis, et Mariani Jaworski, Archiepiscopi Leopolitani Latinorum, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Vincentius Lewoniuk et duodecim Socii, Edmundus Ignatius Rice, Maria Anna Mogas Fontcuberta et Marcellina Darowska Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Vincentii Lewoniuk et duodecim Sociorum die vicesima tertia Ianuarii; Edmundi Ignatii Rice die quinta Maii; Mariae Annae Mogas Fontcuberta die sexta Octobris; et Marcellinae Darowska die quinta Ianuarii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti».

Preces dein universa cum Dei Ecclesia fundentes beatam Mariam Marcellinam Darowska pie invocavimus, quatenus, vita iam in exemplum imitationemque omnibus fidelibus proposita, sua apud Redemptorem Divinum deprecatione in terris adhuc versantes militantesque quam efficacissime confirmaret. Singula quae hisce ediximus Litteris ac decrevimus, volumus et nunc et in posterum valere tempus, contrariis quibusvis rebus nequaquam obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die vi mensis Octobris anno MCMXCVI, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco & Sigilli
In Secret. Status tab., n. 418.117

IV

Venerabili Servae Dei Mariae ab Incarnatione Rosal Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Flecto genua mea ad Patrem... ut valeatis comprehendere cum omnibus sanctis quae sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum, scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi» ***(Eph*** 3, 14. 18-19). Ita Paulus Ephesios allocutus est postquam ipsemet, singulari fultus gratia, investigabiles mysterii Christi divitias est perscrutatus. Venerabilis Dei Serva Maria ab Incarnatione Rosal, illud persequens Paulinum exemplum postquam per passionis Christi contemplationem in divitias Cordis eius sese immerserat, ad augendam praesertim apud puellas cognitionem Iesu vitam insumpsit. Quae quidem non tantum Bethlemitas Sorores reformavit, verum etiam apud diversas Americae Australis civitates sociatam praestitit operam ad Ecclesiae incrementum atque mulieris dignitatem per institutionem et culturam vindicavit. Guatimalensi in civitate, in pago Quezaltenango, die xxvi mensis Octobris anno MDCCCXX nata est a parentibus christiana fide valide firmatis, et insequenti die aquis baptismatis est abluta, Maria Vincentia nomine accepto. Parentes saepe eam hortati sunt ad caritatem erga pauperes exercendam et ad cultum erga Nativitatem Passionemque Christi Virginemque Deiparam fovendum. Septemdecim annos nata, persensit se ad vitam religiosam esse vocatam, et anno MDCCCXXXVIII Guatimala in urbe religiosum induit habitum in coenobio Sororum Bethlemitarum, nomen sibi assumens Mariam ab Incarnatione a Corde Iesu. Silentii, observantiae regularis, solitudinis studio flagrans, anno MDCCCXLII debita cum licentia in conventum Sanctae Catharinae transiit; perspiciens tamen mansionem illam ineptam esse animae suae, de spiritalis moderatoris consilio sequenti anno in coenobium rediit unde olim discesserat; tunc Deus ei munus concredidit pristinam observantiam restituendi. Anno MDCCCLV moderatrix constituta, reformationem incohavit Sororum Bethlemitarum, novas exarando Constitutiones. Haud pauca discrimina oppetere debuit, quin animo umquam deficeret, immo reformationis opus maiore perrexit studio. Quando in difficultatibus versabatur, in contemplatione Passionis Christi mentis solatium quaerebat; sic enim animum firmare, fidem spemque corroborare consueverat. Cultum quoque diffundere conata est erga Cor Iesu et Beatam Mariam Virginem. Anno MDCCCLXI, variis eoo-

perantibus sororibus ut novas Constitutiones ad effectum deduceret, in pago suo natali religiosam condidit domum. Gloriam Dei proximique salutem appetens, fratribus indigentibus et aegrotis sedule inserviit, institutionem puellarum iuvenumque apud scholas et convictus provexit. Sororibus suis dicere solebat: « Omnia amitti possunt, dummodo ne amittatur caritas ». Patria relicta, aliis in Nationibus operam suam constituit; domus sunt diffusae in Costarica, Columbia et Aequatoria. Ut patet, contemplationem cum actione componere scivit; fortitudinem quidem ex contemplatione attigit ad opera apostolatus exercenda. Tam labores apostolici quam innumera itinera ad bonum faciendum valetudinem suam enervarunt. Anno MDCCCLXXXVI, die XXIV mensis Augusti, cum in urbem Tulcaniam iter quoddam faceret, a Deo vocata terrestrem vitae cursum explevit. Exuviae eius ibidem sunt conditae et decem post annos Pastopolim translatae, ubi sepulcrum eius exstat et quo innumeri fideles cotidie peregrinantur. Causa beatificationis et canonizationis anno MCMXII est incohata. Servatis omnibus de iure servandis, die vi mensis Aprilis anno MCMXCV Nobis coram decretum prodiit de virtutibus heroum in modum a Dei Serva exercitis et anno MCMXCVI die XVII mensis Decembris decretum evulgatum est super miraculo, intercessioni Servae Dei adscripto et in Columbia anno MCMLXXV patrato. Idcirco statuimus ut beatificationis ritus die iv mensis Maii anno MCMXCVII Romae celebraretur. — Hodie igitur in foro ante Vaticanam Sancti Petri Apostoli Basilicam inter Missarum sollemnia hanc ediximus formulam: Nos, vota Fratrum Nostrorum Ambrosii Echebarria Arroita, Episcopi Barbastrensis-Montisonensis, Victoris Aloisii Mondello, Archiepiscopi Rheginensis-Bovensis, Iulii Nicolini, Episcopi Cremonensis, et Iulii Henrici Prado Bolaños, Episcopi Pastopolitani, nec non plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Florentinus Asensio Barroso, Zephyrinus Giménez Malla, Caietanus Catanoso, Henricus Rebuschini et Maria ab Incarnatione Rosal Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Fiorentini Asensio Barroso die nona Augusti; Zephyrini Giménez Malla die quarta Maii; Caietani Catanoso die vicesima Septembris; Henrici Rebuschini die decima Maii; et Mariae ab Incarnatione Rosai die vicesima septima Octobris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae vero decrevimus volumus firma esse ac rata in perpetuum, contrariis rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die iv mensis Maii, anno MCMXCVII, Pontificatus Nostri undevicesimo.

£8 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 418.058

V

Caelitum Beatarum honor cultusque Servae Dei Mariae Karlowska tribuuntur.

Ad perpetuam rei memoriam. — « Si fuerint alicui centum oves, et erraverit una ex eis, nonne relinquet nonaginta novem in montibus et vadit quaerere eam, quae erravit? » ***(Mt*** 18, 12). Sic Profecto Divinus Se gerebat hominum pastor qui olim etiam est elocutus: «Non egent, qui sani sunt, medico, sed qui male habent. Non veni vocare iustos, sed peccatores in paenitentiam» ***(Lc*** 5, 31-32). Exemplis illis collustrata Domini Iesu doctrinisque imitata est Boni Pastoris curam sollicitam Maria Karlowska Bonique pariter Samaritani magnanimitatem, quae pro feminis sese impendit magna rerum ac morum laborantibus miseria, dum humanae simul earum provectioni efficienter consulebat et christianae maturitati sicque etiam Regni Christi aedificationi. Parentibus haec Dei Serva orta est Matthaeo Karlowski et Generosa Eugenia Dembinska quarto mensis Septembris die anno MDCCCLXV parvo in oppido ***SlupówJca,*** quod hodie Karlowo nuncupatur, intra archidioecesis Gnesnensis fines. A suis religiose instituta pietatem percoluit caritatemque in pauperes aegrotantesque ac votum nuncupavit castitatis. Posnaniae degens opus apud sartorem fecit eodem tempore operam etiam dare coepit redimendis meretricibus, quas urbis illius in regionibus infamibus quoque tum conquirebat, amanter omnino alliciens ac monens ut improbam desererent vitam Deique custodirent legem. Haec tamen ei navitas, quantumvis prudenter expleretur, haud paucas genuit reprehensiones et molestias, quas ob Christi ipsius tolerabat amorem hominumque aeternam salutem. Providentiae divinae sese tota praesidio concredidit suumque opus asperum sane producens domos aperuit quo feminae illae adiutae reciperentur, quas sana educationis ratione docuit Dei amorem et vitae honestatem et manuum operam unde victum sibi vitae ita lucrarentur, quin suam conculcaret dignitatem feminarum. Sodalibus dein ac socia-

bus sese circumdedit atque mulieres ad salvandas condidit Sororum Divini Pastoris a Providentia Divina Congregationem cuius fuit usque ad mortem ea ipsa moderatrix. Sollicite nimirum accurateque curavit instruendas Sorores quas monebat usque ut Bonum Pastorem sectarentur suamque in Dei ministerium impenderent vitam necnon egentium proximarum. Vehementi at materno imperio suum direxit Institutum, cuius opera postea ad curationem extendit mulierum quoque acceptarum in valetudinaria. Puellis item adulescentulis, quae reformatae erant et cupiebant suam conferre industriam apostolatui Congregationis ipsus, Societatem excitavit Sanctae Mariae Magdalenae. Misericordiae incepta sedulo procuravit et mulieres, quotquot illuc accesserunt, divinae paternitatis vicissim expertae sunt dulcedinem. Ex liturgia sacra et divinarum ponderatione scripturarum ex precatione ac pietate erga Eucharistiam ac Passionem Sacratumque Cor Iesu necnon Virginem Mariam Serva Dei vires hausit abunde, quibus suum persequi munus valeret in christianaeque perfectionis via ulterius progredi. Sua propter egregia merita de causis socialibus magni quidem Polono a populo aestimabatur tum etiam a civitatis Polonae auctoritatibus. Omnibus sic exornata virtutibus atque veram vitae exhibens sanctimoniam curriculum terrestre suum Martii mensis die xxiv anno MCMXXXV pie omnino in coenobio loci ***Pniewite*** hodie intra Thoruniensis fines dioecesis absolvit, cuius dein cadaver in urbem translatum Jabłonowo Pomorskie est, ubi mortuorum opperiens resurrectionem etiamnum requiescit. Sine intermissione cum sanctitatis ipsius persisteret fama, anno MCMLXV. Beatificationis Canonizationisque causam instituit Antistes Culmensis, omnibus nimirum ex lege rebus necessariis exactis. Die autem undecimo mensis Iulii anno MCMXCV hanc Dei Servam heroum more theologales factitavisse virtutes et cardinales adnexasque cunctas ediximus. Nostro demum in conspectu super miraculo prodiit decretum quod Gedanae evenisse fertur anno MCMLXXVIII atque eiusdem Servae Dei adscribitur deprecationi.

His de causis ut Beatificationis perageretur ritus subsequenti Iunii mensis sexto die in Sollemnitate Sacratissimi Cordis Iesu constituimus ab Nobismet ipsis pastoralem Poloniae salutationem iterum complentibus.

Hodie propterea notissimo in oppido ***Zakopane*** nuncupato eucharistica intra sollemnia sacra perplacuit hanc patrio sermone pronuntiare formulam qua dictam Dei Servam ad gradum Beatarum eveximus coram immensa pastorum sacrorum fideliumque multitudine:

Spełniając życzenie naszego brata Franciszka Macharskiego, Arcybiskupa Metropolity Krakowskiego, i naszego brata Andrzeja Suskiego, Biskupa

Toruńskiego, jak również wielu innych braci w biskupstwie, oraz licznych wiernych, za radą Kongregacji Spraw Kanonizacyjnych naszą Władzą Apostolską zezwalamy, aby odtąd Czcigodnym Sługom Bożym: Bernardynie Marii Jabłońskiej oraz Marii Karłowskiej przysługiwał tytuł błogosławionych, I aby ich święta obchodzono w miejscach i w sposób określony przez prawo. Dla Bernardyny Marii Jabłońskiej będzie to corocznie 23 września, a dla Marii Karłowskiej 6 czerwca. W imię Ojca i Syna, i Ducha Świętego.

Qua prolata sollemniter sententia continuo sumus nos cum adstantibus novensilem venerati Beatam eiusque exempla inculcantes preces quoque Aeternum ante Sacerdotem pro militante in terris efflagitavimus Ecclesia.

Hisce vero quae statuta sunt Litteris Nostris, perinde ac praesens in tempus ita in posterum, firma ac rata esse iubemus, quibusvis haudquaquam obstantibus contrariis causis.

Datum apud Zakopane in Polonia, sub anulo Piscatoris, die sexto mensis Iunii anno Domini MCMXCVII, Pontificatus Nostri undevicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco EB Sigilli
In Secret. Status tab., n. 418.057

VI

Ecclesia paroecialis Sacratissimo Cordi Iesu dicata in urbe Massiliensi ad gradum Basilicae minoris evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Sacratissimum Cor Iesu merito fidelibus praecipue difficultatibus vexatis exstat refugium: ceterum Dei Filius incarnatione sua cum omni homine quodammodo Se univit omnesque humano corde dilexit (cfr ***Gaudium et spes,*** 22).

Libentes idcirco concedimus postulationi Venerabilis Fratris Bernardi Panafieu, Archiepiscopi Massiliensis, petentis ut templum paroeciale in ipsa urbe Massilia exstans dignitate Basilicae Minoris exornaretur, confisi sane fore ut hoc privilegium haud parum conferat ad bonum populi Dei illius archidioecesis adque divinam misericordiam abundantius super ipsum fundendam.

De consilio ideo Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, potestate Nostra Apostolica, per has Litteras statuimus, ut Ecclesia paroecialis Sacratissimo Cordi Iesu dicata in urbe Massiliensi, titulo et dignitate Basilicae Minoris fruatur, iuribus additis et privilegiis huiusmodi templorum propriis, servatis iis quae iuxta Decretum « De titulo Basilicae Minoris » die ix mensis Novembris, anno MCMLXXXIX, datum servanda sunt. Haec vero nunc et in posterum firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xvn mensis Septembris, anno MCMXCVII, Pontificatus Nostri undevicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

Loco 83 Sigilli

In Secret, Status tab., n. 418.976

VII

Sanctuario Beatae Virginis Mariae sub titulo « Nossa Senhora das Neves » dicato in archidioecesi et urbe Parahybensi Basilicae Minoris dignitas tribuitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Maxime colitur a populo christiano Deipara Maria, « quae signum sacrae virginitatis extulit, et intemeratae integritatis pium Christo vexillum erexit » (S. Ambrosius, ***De institutione Virginis,*** V). Quam quidem devotionem fovere cupientes libentes accepimus postulationem Venerabilis Fratris Marcelli Pinto Carvalheira, Archiepiscopi Parahybensis, qui petivit ut titulo Basilicae Minoris honestaretur Sanctuarium Beatae Mariae Virgini sub titulo « Nossa Senhora das Neves » in urbe Parahybensi dicatum, in quo omnia instituta ad cultum sollemniorem necessaria accommodata sunt nec non divinae gratiae copiose a populo affluente recipiuntur. Confidimus sane fore ut, intercedente Sancta Dei Genetrice Maria, hoc privilegium ad spiritale lucrum Christifidelium adque fidem catholicam in illa regione corroborandam plurimum proficiat.

De consilio ideo Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, potestate Nostra Apostolica per has Litteras statuimus, ut supra dictum sanctuarium Beatae Mariae Virginis titulo et dignitate Basilicae Mi-

noris fruatur, iuribus additis et privilegiis huiusmodi templorum propriis, servatis iis quae secundum Decretum « De titulo Basilicae Minoris » die ix mensis Novembris anno MCMLXXXIX datum servanda sunt. Haec nunc et in posterum firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die v mensis Novembris, anno MCMXCVII, Pontificatus Nostri vicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco 83 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 420.196

VIII

Ecclesiae paroeciali sancto Nicolao dicatae in dioecesi Tarnoviensi, Basilicae Minoris dignitas tribuitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Sanctus Nicolaus per multa misericordiae opera pastoralemque suam industriam Christi factus est dispensator idoneus (cfr S. Augustinus, *Sermo* LIV, 3); quare sacerdotibus et laicis exemplar praebetur christianae fidei et caritatis.

Laetantes igitur accepimus postulationem Venerabilis Fratris Iosephi ¿ycinski, Episcopi Tarnoviensis, qui enixe petiit ut templum Sancto Nicolao dicatum ab Apostolica Sede titulo Basilicae Minoris honestaretur. Plane fisi fore ut per eiusdem Sancti exemplum et auxilium fideles Ecclesiae missionem ferventer participent, audito consilio Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum atque certiores facti omnia instituta ad cultum sollemniorem necessaria ibi accommodata esse, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine statuimus ut ecclesia paroecialis dicata Sancto Nicolao, Episcopo et Martyri, in loco vulgo dicto Bochnia in dioecesi Tarnoviensi, in posterum dignitate Basilicae Minoris frui possit, iuribus additis et privilegiis huiusmodi templorum propriis, servatis iis quae servanda sunt secundum Decretum « de titulo Basilicae Minoris » die ix mensis Novembris anno MCMLXXXIX evulgatum. Quae vero concedimus, volumus nunc et semper firma esse, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII mensis Novembris, anno MCMXCVII, Pontificatus Nostri vicesimo.

£8 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco 83 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 412.275

CONVENTIO

INTER SANCTAM SEDEM ET REI PUBLICAE MELITENSIS GUBERNIUM DE ACCESSIONE FACULTATIS THEOLOGICAE AD STUDIORUM UNIVERSITATEM MELITENSEM

ACCORDO TRA LA SANTA SEDE E IL GOVERNO DELLA REPUBBLICA DI MALTA SULL'INCORPORAZIONE DELLA FACOLTÀ DI TEOLOGIA NELL'UNIVERSITÀ DI MALTA

La Santa Sede e il Governo della Repubblica di Malta, avendo presente lo sviluppo storico degli studi universitari a Malta ed avendo soprattutto considerato i vantaggi di carattere scientifico, culturale e sociale che potranno derivare da un più stretto collegamento della Facoltà di Teologia con l'Università di Malta, stabiliscono di comune intesa quanto segue:

1. La Facoltà di Teologia è incorporata nell'Università di Malta.

Tale incorporazione e le funzioni della Facoltà di Teologia sono regolate, in primo luogo, dalle disposizioni del presente Accordo e, in secondo luogo, dalle Leggi di Malta e dagli Statuti della stessa Università.

2. I gradi accademici e i diplomi conferiti dalla Facoltà di Teologia avranno valore canonico e civile.

3. Per quel che concerne la struttura, l'organizzazione interna, il corpo accademico e quello studentesco, la Facoltà di Teologia è incorporata nell'Università di Malta nello stato di fatto in cui essa si trova alla data del presente Accordo e come risulta dall'Allegato, salvo restando alla stessa Facoltà, per un suo ragionevole ed adeguato sviluppo, il diritto di variare il

numero degli studenti e dei docenti, nonché il diritto di provvedere altri corsi di teologia e di qualunque altra disciplina connessa, se ciò sarà ritenuto necessario per la congrua preparazione dei suoi studenti.

4. L'Università di Malta, in tutto ciò che riguarda l'ordinamento degli studi ed i requisiti accademici e canonici dei docenti della Facoltà di Teologia, procederà in conformità con quanto prescritto dalla Costituzione Apostolica « Sapientia christiana » del 15 aprile 1979 e dalle « Ordinationes » emanate dalla Congregazione per l'Educazione Cattolica il 29 aprile 1979 e con eventuali norme canoniche che in futuro dovessero integrare o sostituire quelle contenute in tali documenti della Santa Sede.

I concorrenti ad un posto di docente nella Facoltà di Teologia dovranno munirsi previamente di un attestato dell'Arcivescovo di Malta che non vi è alcuna obiezione canonica contro di essi.

Per le discipline concernenti la fede e la morale, l'Università di Malta comunicherà tempestivamente allo stesso Arcivescovo il nome del candidato vincitore del concorso, il quale riceverà la nomina di docente dopo che avrà emesso la professione di fede presso il medesimo Ordinario e da questi avrà ricevuto la « missione canonica ».

Qualora lo stesso Arcivescovo, per ragioni attinenti alla fede, alla condotta morale o alla disciplina ecclesiastica, dovesse revocare il « nulla osta » o la « missione canonica » a un docente, questi cesserà di far parte della Facoltà di Teologia e immediatamente si procederà per la nomina di un nuovo docente.

5. Il Governo di Malta e, tramite la «Foundation for Theological Studies », l'arcidiocesi di Malta forniranno i mezzi economici necessari per il conveniente funzionamento della Facoltà di Teologia, nella misura e nei modi che saranno stabiliti di comune intesa.

6. Il Presidente della « Foundation for Theological Studies » o un suo delegato farà parte del Consiglio dell'Università. Due rappresentanti della stessa « Foundation for Theological Studies » faranno parte del Consiglio della Facoltà di Teologia.

7. Se in avvenire sorgessero difficoltà di interpretazione o di applicazione delle precedenti disposizioni, la Santa Sede e il Governo della Repubblica di Malta affideranno la ricerca di un'amichevole soluzione ad una Commissione Paritetica che sarà composta, per parte della Santa Sede, dal Nunzio Apostolico a Malta e dall'Arcivescovo di Malta o da loro delegati, e, per

parte del Governo Maltese, dal Ministro dell'Educazione e dal Rettore dell'Università o da loro delegati.

26 settembre 1988.

Per la Repubblica di Malta
UGO MIFSUD BONNICI
Ministro dell'Educazione

Per la Santa Sede
© PIER LUIGI CELATA
Arcivescovo tit. di Doclea
Nunzio Apostolico

Allegato relativo all'Art. 3 dell'Accordo del 26 settembre 1988 tra la Santa Sede ed il Governo della Repubblica di Malta sull'incorporazione della Facoltà di Teologia nell'Università di Malta.

Si attesta che alla data del 26 settembre 1988 la Facoltà di Teologia consta delle tre seguenti entità, canonicamente erette:

A) Facoltà di Teologia propriamente detta; B) « Institute for Religious Studies »; C) « Institute of Philosophy and Human Studies ».

A. ***La Facoltà di Teologia propriamente detta:*** comprende tre cicli, di cui il primo della durata di 5 anni, al termine del quale è conferito il Baccalaureato (S.Th.B.); il secondo della durata di 2 anni, al termine del quale è conferita la Licenza (S.Th.L.); il terzo, della durata di un congruo numero di anni, per il conseguimento del Dottorato (S.Th.D.). La Facoltà conferisce pure il Diploma in Teologia Pastorale.

Il corpo docente comprende docenti Permanenti, non-Permanenti e Visiting teachers. I docenti Permanenti sono divisi in tre gradi: Lettori, Professori-Associati, Professori. I Docenti non-Permanenti e i Visiting-Teachers possono essere maltesi o stranieri, e variano di numero secondo le esigenze dei Dipartimenti. La Facoltà annovera, inoltre, 3 Professori Emeriti.

La Facoltà consta di sei Dipartimenti con i relativi docenti, come segue:

1. Dipartimento di Teologia Fondamentale e Dogmatica, incluso l'Ecumenismo: con 3 docenti Permanenti (di cui uno Professore e due Lettori);

2. Dipartimento di Teologia Morale, inclusa la Teologia Spirituale ed Ascetica: con 2 docenti Permanenti (Professori);

3. Dipartimento di Sacra Scrittura, Ebraico e Greco: con 3 docenti Permanenti (di cui un Professore e due Lettori);

4. Dipartimento di Storia della Chiesa, Patristica ed Archeologia Paleocristiana: con 2 docenti Permanenti (tra cui un Professore ed un posto attualmente vacante);

5. Dipartimento di Teologia Pastorale, Diritto Canonico e Liturgia: con 5 docenti Permanenti (tra cui un Professore, un Professore-Associato, due Lettori ed un Assistente-Lettore);

6. Dipartimento di Filosofia: con 5 docenti permanenti (tra cui un Professore, due Lettori e due posti attualmente vacanti). In quest'ultimo anno, quando gli studenti di Filosofia frequentavano già i corsi presso l'Università, il Governo, nella previsione dell'incorporazione della Facoltà di Teologia nell'Università, aveva già assegnato al Dipartimento di Filosofia della Facoltà di Teologia una cifra corrispondente a quattro « full timers » (un Professore e tre Lettori), uno dei quali destinato all'insegnamento di una scienza già inclusa nel Dipartimento di Teologia Pastorale della Facoltà di Teologia. Questa materia potrà essere eventualmente considerata dal Consiglio di Facoltà.

Ogni Dipartimento, col consenso del Consiglio di Facoltà, invita annualmente dei Lettori non-Permanenti secondo i propri bisogni. Ogni Dipartimento è retto da un proprio Coordinatore.

I membri Permanenti del corpo docente, su una base di impiego part-time, sono presenti nella Facoltà di Teologia secondo il seguente numero di sessioni settimanali: 5 Professori per 4 sessioni e 1 Professore per 2/3 sessioni; 1 Professore-Associato per 2 sessioni; 1 Lettore per 4 sessioni, 4 Lettori per 3 sessioni, 6 Lettori per 2 sessioni ed 1 Lettore per 1 sessione. Ogni sessione corrisponde a mezza giornata lavorativa.

»	»	»	Al sig. Joseph P. Griffith (Charleston)
»	»		Al sig. Norman A. Haft (Charleston)
11	»	»	Al sig. Mario Bocchino (Roma)
»	»	»	Al sig. Achille Zordan (Roma)
22	»	»	Al sig. Guillermo Gómez Platero (Montevideo)
1	maggio	»	Al sig. Gerard Ingold (Versailles)
»	»	»	Al sig. J. Rayond Braun (Ottawa)
»	»	»	Al sig. Yves Gosselin (Ottawa)
15	»	»	Al sig. Franco Perelli (Roma)
»	»	»	Al sig. Umberto Orsini (Roma)
»	»	»	Al sig. Corrado Rebeck (Roma)
»	»	»	Al sig. Luigi Mazzei (Roma)
24	»	»	Al sig. Ronald Dowden (Plymouth)
20	giugno	»	Al sig. André Van Chan *(Stati Uniti d'America)*
»	»	»	Al sig. John F. Sova (Southwark)
»	»	»	Al sig. Adriano Cosentino (Roma)
»	»	»	Al sig. Claudio De Cet (Roma)
»	»	»	Al sig. Adalberto Anastasi (Roma)
12	»	»	Al sig. Saverio Cianciola (Bari-Bitonto)
24	»	»	Al sig. Adam Bachleda-Curus (Krakow)

29	giugno	1997.	Al sig. Joseph P. Bahoshy (Baghdad dei Latini)
»	»	»	Al sig. Petros Khammo (Baghdad dei Latini)
5	luglio	»	Al sig. Antonius P.A. Riemen (Bois-le-Duc)
»	»	»	Al sig. Jean Traub (Parigi)
»	»	»	Al sig. Werner Maeheiner (Salzburg)
»	»	»	Al sig. Paul B. Uebring *(Germania)*
12	luglio	»	Al sig. Carmine Caramante *(Italia)*
16	»	»	Al sig. Umberto Croxatto (Roma)
17	»	»	Al sig. William J. Curtin (Madison)
»	»	»	Al sig. George Steil (Madison)
»	»	»	Al sig. John F.F. Rogan (Madison)
23	»	»	Al sig. Aldo Graziosi (Roma)
26	»	»	Al sig. Domenico Colagrosso (Velletri-Segni)
»	»	»	Al sig. Alain Delaunoy (Chalón)
2	agosto		Al sig. Giuseppe Pallanch (Roma)
»	»	»	Al sig. Lucien Dardenne (Liegi)
»	»	»	Al sig. Gerard Brenninkmei (Utrecht)
9	»	»	Al sig. Konrad Mohr (Trier)
13	»	»	Al sig. Rino Snaidero (Udine)
25	»	»	Al sig. Hermann Fünigeld (Rottenburg-Stuttgart)
»	»	»	Al sig. Hans Mayr (Wien)
»	»	»	Al sig. Erich Leitnberger (Wien)
22	settembre	»	Al sig. Roberto Calvigioni (Roma)
»	»		Al sig. Arrigo Cignitti (Roma)

La Placca dell'Ordine di San Gregorio Magno

23	marzo	1997.	Al sig. Luigi Di Giorgio (Roma)

Il Cavalierato dell'Ordine di San Gregorio Magno

13	marzo	1997.	Al sig. Paul Murphy (Cardiff)
11	aprile	»	Al sig. Patrick J. McGann, Jr. (Trenton)
»	»	»	Al sig. Thomas F. Kelaher (Trenton)
»	»	»	Al sig. Charles Brennan (Trenton)
»	»		Al sig. Joseph Prykanowski (Trenton)
22	»	»	Al sig. Desmond Carroll (Arundel and Brighton)
»	»	»	Al sig. Johannes CM. Vandelaar (Breda)
	maggio		Al sig. Claud Cuzol (Limoges)
»	»	»	Al sig. Pierre Gasquet (Limoges)
»	»	»	Al sig. Jean Labasse (Lyon)
»		»	Al sig. Joseph Payen (Lyon)
»	»	»	Al sig. Philippe Vasseur (Parigi)
»	»	»	Al sig. Dominique Trolliet (Dijon)
»	»		Al sig. Barney Bradley (Ottawa)
»	»	»	Al sig. Ronald R. Dagenais (Ottawa)
»	»	»	Al sig. Arthur J.M. Lamarche (Ottawa)
15	»	»	Al sig. Alessandro Corneli (Roma)
»	»	»	Al sig. Trento Morena (Roma)
»	»	»	Al sig. Giovanni Polinari (Roma)
»	»	»	Al sig. Egbertus S. Raatjes (Roermond)
»	»	»	Al sig. Ricardo J. Romulo (Manila)
18	»	»	Al sig. Michele Gallo (Teano-Calvi)

18	maggio	1997.	Al sig. Bernardino Palazzini (Roma)
24	»	»	Al sig. Michael Cronin (Menevia)
8	giugno	»	Al sig. Remigio A. Reyes (Balanga)
»	»	»	Al sig. Oscar B. Banzón (Balanga)
»	»	»	Al sig. Oscar R. Sánchez (Balanga)
»	»	»	Al sig. César Z. Simeón (Balanga)
»	»	»	Al sig. Basilio M. Zuleta (Balanga)
»	»	»	Al sig. Roberto Accorsi (Roma)
»	»	»	Al sig. Francis M. Earrington (Westminster)
»	»	»	Al sig. Paul Damian McCarthy (Westminster)
»	»	»	Al sig. Fred Harkin (Westminster)
12	»		Al sig. Roberto Biasol (Monaco Principato)
»	»	»	Al sig. Enrico Frittoli (Monaco Principato)
»	»		Al sig. Robert Pfrimmer (Strasbourg)
14	»	»	Al sig. Lorenzo De Meo (Tortona)
24	»	»	Al sig. Antonius Vlavianos *(Grecia)*
»	»	»	Al sig. Eamonn O'Dwyer (Galway)
»	»	»	Al sig. John Exworthy (Portsmouth)
»	»	»	Al sig. Earl L. Linehan (Baltimore)
29	»	»	Al sig. John Clubb (Portsmouth)
»	»	»	Al sig. John Lipscomb (Westminster)
12	luglio	»	Al sig. Turiddo Pirani *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Francesco Mattu *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Luciano Gioseffo *(Italia)*
14	»	»	Al sig. Leszek Pawlik (Salford)
»	»	»	Al sig. Tadeusz Lesisz (Salford)
»	»	»	Al sig. Roman Filbrandt (Salford)
16	»	»	Al sig. Renzo Schienoni (Milano)
17	»	»	Al sig. Savino Trisorio (Palestrina)
26	»	»	Al sig. Richard Owen (Westminster)
»	»	»	Al sig. Thomas D. Mackenzie (Wellington)
2	agosto	»	Al sig. Raoul Dragon (Aix)
11	»	»	Al sig. Georges Trouve (Seez)
»		»	Al sig. Dermot G. Devereux (Portsmouth)
»	»	»	Al sig. Dan Regan (Westminster)
»	»		Al sig. Giuseppe L. Giacon (Westminster)

La Croce di Dama di Commenda con Placca dell'Ordine di San Gregorio Magno

24	maggio	1997.	Alla sig.ra Micaela J. Portillay Vitoria (Vitoria)
6	giugno	»	Alla sig.ra Mercedes Calvo De Villa (Avellaneda)
»	»	»	Alla sig.ra Maria Angélica Bandeira de Lima Campelo de Andrade Pamplona Corte-Real (Lisboa)

La Croce di Dama di Commenda dell'Ordine di San Gregorio Magno

24	giugno	1997.	Alla sig.ra Margareta Waldsteinova-Wartenbergova *(Repubblica Ceca)* >
26	»	»	Alla sig.ra Lily Douglas Toma (Baghdad dei Latini)
»	»	»	Alla sig.ra Linda Anwar Toma (Baghdad dei Latini)

La Croce di Dama dell'Ordine di San Gregorio Magno

13	marzo	1997.	Alla sig.ra Margaret Thorne (Cardiff)
9	aprile	»	Alla sig .ra Elisabeth Smith Griffith (Charleston)
1	maggio	»	Alla sig.ra Andrey Butler (Ottawa)
»	»	»	Alla sig.ra Mary Kehoe (Ottawa)
»	»	»	Alla sig.ra Gisèle Lalonde (Ottawa)
»	»	»	Alla sig.ra Marlene Manion (Ottawa)
6	»		Alla sig.ra Giulietta Carolina Fontana (Massa Carrara-Pontremoli)
15	»	»	Alla sig.ra Sophia B. Casey (Rockville Centre)
»	»		Alla sig.ra Maria Vingiani (Roma)
24	»	»	Alla sig.ra Imelda Katigbak Dayrit (Manila)
6	giugno	»	Alla sig.ra Mary Rawcliffe (Lancaster)
18	»	»	Alla sig.ra Ana Teresa Castillo de Hernández (*Venezuela)*
»	»	»	Alla sig.ra Ana Dolores Castillo de Biord *(Venezuela)*
26	»	»	Alla sig.ra Elizabeth Clubb (Portsmouth)
29	»	»	Alla sig.ra Sarah Clutton (Arundel and Brighton)
11	agosto		Alla sig.ra Marinetta Giacon (Westminster)

La Gran Croce dell'Ordine di San Silvestro Papa

2	giugno	1997.	Al sig. Felix Laporta Paole (Madrid)
26	»	»	Al sig. Henry Payt (Malines - Bruxelles)

La Commenda con Placca dell'Ordine di San Silvestro Papa

13	gennaio	1997.	Al sig. Wilhelm E. Mallmann (Salzburg)
»	»	»	Al sig. Raimund Spruzina (Salzburg)
14	»	»	Al sig. Gottfried Roth (Wien)
»	»	»	Al sig. Gerhard Schrfiber (Wien)
9	agosto	»	Al sig. Herbert Schimetschek (Wien)
25	»	»	Al sig. Ramon Tapia Espinal (Santo Domingo)
»	»	»	Al sig. Juan Roca (Santo Domingo)

La Commenda dell'Ordine di San Silvestro Papa

6	giugno	1997.	Al sig. Hans Rosenthal (München und Freising)
14	»	»	Al sig. Franz Rabl (St. Pölten)
»	»	»	Al sig. Pietro Perugini (Roma)
»	»	»	Al sig. Rosario Termignone (Roma)
»	»		Al sig. Antonio Volpi (Roma)
»	»	»	Al sig. Pietrino Saraniero (Roma)
24	»	»	Al sig. Hendricus J. Fritscheck (Bois-le-Duc)
»	»	»	Al sig. Antonius J.W.H. Schmitz (Utrecht)
»	»	»	Al sig. Walter Rosato (Concordia-Pordenone)
29	»	»	Al sig. Juan Sánchez Navarro (Monterrey)
»		»	Al sig. Manuel Uribe Castañeda *(Messico)*
23	luglio	»	Al sig. Enrico Pietro De Majo (Roma)
26	»	»	Al sig. Henryk Kubiak (Krakow)
»	»	»	Al sig. Ernst Brück (Köln)
2	agosto	»	Al sig. Luis Giusti La Rosa (Lima)
»	»	»	Al sig. Arturo Salazar Larrain (Lima)

2	agosto	1997.	Al sig. Luis Bolari de la Fuente (Lima)
»	»	»	Al sig. Raúl Cantella (Lima)
»	»	»	Al sig. Jean Verhegghen (Gand)
»		»	Al sig. Jean Lamelle (Malines-Bruxelles)
»	»	»	Al sig. Clément Rochette (Malines-Bruxelles)
»	»	»	Al sig. Victor Gendebien (Liegi)
28	»	»	Al sig. Alessandro Masci (Roma)
2	settembre	»	Al sig. Mario Iacovacci (Roma)
8	»	»	Al sig. Eugen Jesser (Wien)

Il Cavalierato dell'Ordine di San Silvestro Papa

21	aprile	1997.	Al sig. Vincenzo Brugnoli (Roma)
»	»	»	Al sig. Fabio Collalti (Roma)
»	»	»	Al sig. Pierpaolo Di Gianvito (Roma)
»	»	»	Al sig. Pasquale Labrosciano (Roma)
»	»	»	Al sig. Giovanni Battista Ravalli (Roma)
»	»	»	Al sig. Giovanni B. Ranalli (Roma)
»	»		Al sig. Carlo M. Salvador (Roma)
»	»	»	Al sig. Giuseppe Spadaro (Roma)
22	»	»	Al sig. Joseph Banna (Armidale)
»	»		Al sig. Wolfgang Fürlinger (Linz)
»	»	»	Al sig. Gennaro Palomba (Napoli)
»	»	»	Al sig. Gerardus J. Janssen (Groningen)
6	maggio	»	Al sig. Franciscus I.J. Loeffen (Roermond)
»	»	»	Al sig. Cornelis W. Moons (Rotterdam)
»		»	Al sig. Franciscus J. Schmitz (Rotterdam)
»	»	»	Al sig. Hubertus J.M. Moonen (Bois-le-Duc)
	»	»	Al sig. Theodoras F. Naus (Bois-le-Duc)
»	»	»	Al sig. Johannes Konings (Bois-le-Duc)
»	»	»	Al sig. Giuseppe Ardizzon (Chioggia)
»	»	»	Al sig. Gilberto Tonello (Chioggia)
»	»	»	Al sig. Gioacchino Galletti (Massa Carrara-Pontremoli)
15	»	»	Al sig. Vitaliano N. Mañagas (Manila)
»	»	»	Al sig. John Go Han (Manila)
»	»	»	Al sig. Pablo C. Siy (Manila)
»	»	»	Al sig. Faustino Dee (Manila)
»	»		Al sig. Johannes Van't Hooft (Roermond)
18	»	»	Al sig. Franz Tschida (Eisenstadt)
»	»	»	Al sig. Luigi Folletto (Roma)
»	»	»	Al sig. Mario Martini (Imola)
»	»	»	Al sig. Roberto Varisco (Milano)
27	»	»	Al sig. Antonino Gambino (Roma)
6	giugno	»	Al sig. Zelindo Vannuccini (Montepulciano-Chiusi-Pienza)
»	»	»	Al sig. Claudio Caprioli (Roma)
»	»	»	Al sig. Giovanni Fortini (Roma)
»	»	»	Al sig. Antonio Berlingeri (Roma)
»	»	»	Al sig. Enrico Venti (Roma)
»	»	»	Al sig. Emilio T. Yap (Manila)
14	»	»	Al sig. Fausto Mularoni (San Marino-Montefeltro)
24	»	»	Al sig. Adrianus A.A. Van Rooij (Bois-le-Duc)
»	»	»	Al sig. Johannes Van Tilburg (Breda)

24	giugno	1997.	Al sig. Petrus J. Gerits (Roermond)
»	»	»	Al sig. Fulgido Tabone (Susa)
»	»	»	Al sig. Elie Salameh (Vicariato Apostolico d'Arabia)
»	»	»	Al sig. Dermot A. O'Neill (Vicariato Apostolico d'Arabia)
29	»	»	Al sig. Maurizio Pozzi (Roma)
»	»	»	Al sig Alessandro E.M. Kurecska (La Spezia-Sarzana-B gnato)
»	»	»	Al sig. Pino Mordacci (La Spezia-Sarzana-Brugnato)
»	»	»	Al sig. Salvatore Mazzeo (Arezzo-Cortona-S. Sepolcro)
»	»	»	Al sig. Luigi Baldrighi (Cremona)
10	»	»	Al sig. Erasmo Mancini (Latina-Terracina-Sezze-Priverno)
»	»	»	Al sig. Johannes W. Hems (Bois-le-Duc)
»	»	»	Al sig. Hendricus A.Verspeek Jr (Bois-le-Duc)
»	»	»	Al sig. Ambros Drechsler (Salzburg)
12	»	»	Al sig. Goffredo Bernini *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Domenico Chirico *(Italia)*
»		»	Al sig. Paolo D'Emilio *(Italia)*
»		»	Al sig. Ruggiero Capodivento *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Gennaro Marzilli *(Italia)*
14	»	»	Al sig. Johann Hafner (Innsbruck)
»	»	»	Al sig. Giuseppe Zago (Gorizia)
»	»	»	Al sig. Giovanni Boffa (Lugano)
»	»	»	Al sig. Horst Danner (München und Freising)
»	»	»	Al sig. Robert Zrenner (München und Freising)
17			Al sig. Herman Balle (Regensburg)
»	»	»	Al sig. Hubert Woelk (Köln)
»	»	»	Al sig. Adrianus J.M. Umans (Haarlem)
»	»	»	Al sig. Frank Conlon (Hamilton in New Zeland)
26	»		Al sig. Anastaeio Quinto (Manila)
11	agosto	»	Al sig. Antonius Rust (Rotterdam)
»	»	»	Al sig. Hendrik Wilhelmus J. Kempen (Groningen)
»		»	Al sig. Klaus Theyssen (Fulda)
»	»	»	Al sig. Karl Manninger (München und Freising)
»	»	»	Al sig. Siegfried Murch (München und Freising)
»	»	»	Al sig. Giuseppe Torre (Torino)
»	»	»	Al sig. Marcel Govaert (Maniles-Bruxelles)
»	»	»	Al sig. Epke P. Zijlstra (Utrecht)
25	»	»	Al sig. Giovanni Falcinelli (Spoleto-Norcia)
29	settembre	»	Al sig. Gino Di Manno (Roma)
7	ottobre	»	Al sig. Antonio Baldacci (Roma)

La Croce di Dama di Commenda con Placca dell'Ordine di San Silvestro Papa

13	gennaio	1997.	Alla sig.ra Dorothea Mayer-Maly (Salzburg)
25	agosto	»	Alla sig.ra Evelin Dubocq de Vicente (Santo Domingo)
	»	»	Alla sig.ra Mary Perez de Marranzini (Santo Domingo)
			Alla sig.ra Rosa Emilia Vda Tavares (Santo Domingo)
			Alla sig.ra Margarita Najtri Vda Auffnt (Santo Domingo)

La Croce di Dama di Commenda dell'Ordine di san Silvestro Papa

6	maggio	1997.	Alla sig.ra Teresa Bock (Aachen)
12	giugno	»	Alla sig.ra Marie-Antonia Von Twickel (Paderborn)

2	agosto	1997.	Alla sig.ra Maita Garcia Trovato de Flores (Lima)
»	»	»	Alla sig.ra Paulina Hundgkopf de la Rivera de Giusti (Lima)
9	»	»	Alla sig.ra Agnes Niegl (Wien)

La Croce di Dama dell'Ordine di San Silvestro Papa

15	maggio	1997.	Alla sig.ra Rebecca Fernando (Manila)
6	giugno	»	Alla sig.ra Imelda Ongsiako de Cojuangco (Manila)
24	luglio	»	Alla sig.ra Hazel Sternberg (Westminster)
25	agosto	»	Alla sig.ra Marie Louise Wirtz (Ginevra-Losanna-Friburgo)
9	settembre	»	Alla sig.ra Hermine Nowak (Wien)

NECROLOGIO

1	dicembre	1997.	Mons. Eugène Biletsi Onim, Vescovo em. di Idiofa *(Repubblica Democratica del Congo)*
3	»	»	Mons. Domenico Enrici, Arcivescovo tit. di Ancusa.
8	»	»	Card. Laurean Rugambwa, del titolo di San Francesco d'Assisi a Ripa Grande.
15	»	»	Mons. Armando Franco, Vescovo di Oria *(Italia).*
16	»	»	Mons. Luis Enrique Orellana Ricaurte, Vescovo tit. di Bennefa.
20	»	»	Mons. Wenceslas Kalibushi, Vescovo em. di Nyundo *(Rwanda).*
24	»	»	Mons. Antonio Bagnoli, Vescovo em. di Fiesole *(Italia).*
»	»	»	Mons. Victor J. Tielbeek, Vescovo di Formosa *(Brasile).*
25	»	»	Mons. Bronislaw Dabrowski, Arcivescovo tit. di Adrianotere.
28	»	»	Mons. Nicodemus B. Hhando, Vescovo em. di Mbulu *(Tanzania).*

An. et vol. XC 2 Februarii 1998 N. 2

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

ASANSOLENSIS

Nova dioecesis constituitur in India, Asansolensis appellanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Pastorali quidem permoti studio curam continenter adhibemus, ut exoptata Domini beneficia eiusque salutaris nuntius quam amplissimam multitudinem attingant. Idcirco Nos res disponere properamus quo hoc facilius commodiusque eveniat. De consilio igitur Congregationis pro Gentium Evangelizatione, quorum interest audito favorabili suffragio, haec statuimus et decernimus. Novam dioecesim condimus ***Asansolensem*** appellandam, quae partem aliquam archidioecesis Calcuttensis, scilicet territorium septentrionale districtus « Burdwan » et novem « Thanes », ut aiunt, id est « Salterà, Mejhia, Gangajalghati, Barjora, Senamukhi, Patrasari, Indus, Chatna et Bankura », quae sunt in districtu civili « Bankura », atque pariter decem « Thanes », id est « Muhammadbazar, Rajnagar, Khoyrasole, Dubraijpur, Suri, Illambazar, Sainthia, Bolpur, Labhpur et Nanoor », quae sunt in districtu civili « Bhirbhum », complectetur. Hanc dioecesim Metropolitanae Ecclesiae Calcuttensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregatio-

nis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Episcopalem porro sedem in urbe ponimus, quae Asansol vocatur, et ibidem templum Sacro Cordi Iesu dicatum ad statum Cathedralis Ecclesiae attollimus. Cetera secundum leges canonicas gerantur. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Georgium Zur, Archiepiscopum titulo Sestensem atque in India Apostolicum Pronuntium, legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re tandem ad finem perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur, contrariis rebus minime efficientibus quibusvis.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die quarto et vicesimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo septimo, Pontificatus Nostri vicesimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, ***Protonot. Apost.***
Carmelus Nicolosi, ***Protonot. Apost.***

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 420.970

II

GOASOËNSIS

In Gana nova conditur dioecesis Goasoënsis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad aptius provehendam aeternam salutem et efficacius consulendum simul pastorali regimini Christifidelium Ganae commorantium intra fines Sunyaniensis dioecesis, nuper est petitum ut, eadem divisa, nova constitueretur Ecclesia. Quapropter Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, omnibus mature perpensis ac faventi habito voto Venerabilis Fratris Andreae Du-

puy, Archiepiscopi titulo Saelesiensis et in memorata Natione Apostolici Nuntii, admotam postulationem censuerunt esse accipiendam. Nos igitur, pro summo, quo fungimur, munere de cunctis Ecclesiis particularibus solliciti, talem sententiam ratam habemus atque Nostra Apostolica potestate sequentia decernimus. A Sunyaniensi dioecesi distrahimus territorium districtuum civilium nuncupatorum Asunafo, Asutifi, Tano et Ahafo Area; ex eoque novam condimus dioecesim ***Goasoënsem,*** quam metropolitanae Ecclesiae A litore aureo suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe « Goaso » ac paroeciale templum ibidem exstans, Deo in honorem sancti Antonii dicatum, ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus ad effectum adducet Venerabilis Frater Andreas Dupuy, quem diximus, qui, re acta, curabit documenta conficienda sincerisque exemplis ad eandem Congregationem cito mittenda. Hanc denique Apostolicam Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die quarto et vicesimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo septimo, Pontificatus Nostri vicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Carmelus Nicolosi, ***Protonot. Apost.***
Antonius Macculi, ***Protonot. Apost. s.n.***

Loco 83 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 420.944

III

BRUNEIENSIS

Praefectura Apostolica Bruneiensis constituitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Constat in finibus Bruneiensis civitatis vitae catholicae florem eo advenisse ut iam sui iuris illa efficiatur oporteat ecclesiastica dicio. Ad aptius igitur providendum evangelizationis operibus apud eundem populum, audita Congregatione pro Gentium Evangelizatione, re omnino ponderata auditisque faventibus eorum sententiis quorum intererat, opportunum visum est novam ibidem Praefecturam Apostolicam excitare. Nos proinde gravi fungentes officio Supremi Pastoris totius Dominici gregis illud ratum habentes consilium, summa Nostra potestate segregamus a dioecesi Miriensi illam civilem provinciam quae vulgari nomine « Negara Brunei Darussalam » nuncupatur, ex qua novam propterea constituimus Apostolicam Praefecturam *Bruneiensem,* quam aggregari volumus provinciae ecclesiasticae Kuchingensi. Haec autem quae praescripsimus ad effectum deducet Venerabilis Frater Aloisius Bressan, Archiepiscopus titulo Severianensis atque Apostolicus in Brunei Delegatus, quem decebit rebus peractis documenta curare singula exaranda sincerisque plane exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione quam primum transmittenda. Hanc denique Apostolicam Nostram Constitutionem tam in praesens quam valere volumus futurum in tempus quibusvis rebus haud quaquam obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo primo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo septimo, Pontificatus Nostri vicesimo.

& ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 424.333

IV

MANDEVILLENSIS

Vicariatus Apostolicus Mandevillensis ad gradum et dignitatem dioecesis evehitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sedulam sane curam constanter adhibemus ut spiritualia Domini beneficia apud totius orbis fideles diffundantur; qua de re Nos cuncta disponere properamus quo id facilius commodiusque eveniat. Consilio igitur concedentes Venerabilium Fratrum Nostrorum, S.R.E. Cardinalium, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt praepositi, auditoque favorabili eorum quorum interest voto, haec statuimus et decernimus. Cum Vicariatus Apostolicus Mandevillensis haud parva sibi fidei incrementa suscipere pergat maioraque etiam posthac suscipere videatur, de eo cogitavimus ad gradum et dignitatem Dioecesis extollendo. Itaque Apostolica Nostra usi potestate, praelaudatum Vicariatum Apostolicum ad dioecesim eodem nomine ***Mandevillensem*** appellandam evehimus, quam pariter Metropolitanae Ecclesiae Regiopolitanae in Iamaica suffraganeam facimus et iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione obnoxiam. Sic conditae Dioecesis sedem in urbe vulgo Mandeville statuimus ibique exstans templum, Deo in honorem sancti Pauli a Cruce dicatum, gradu et dignitate Ecclesiae Cathedralis exornamus eique insignia, privilegia et honores tribuimus, quibus ceterae in orbe catholico Cathedrales Ecclesiae fruuntur. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Haec omnia ad perficienda Venerabilem Fratrem Eugenium Sbarbaro, Archiepiscopum titulo Tidditanum, Pronuntium Apostolicum in Iamaica, legamus. Re tamen ad exitum perducta, documenta apparentur quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur. Has denique Apostolicas sub plumbo Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis rebus quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo primo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo septimo, Pontificatus Nostri vicesimo.

£8 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

Loco 83 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 424.335

V" ' '

IUINENSIS

In Brasilia nova conditur dioecesis Iuinensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad plenius consulendum spirituali bono Christifidelium, Venerabiles Fratres Antonius Possamai, Episcopus Giparanensis, et Augustinus Kist, Episcopus Adamanteae, audita Conferentia Episcoporum Brasiliae, ab hac Apostolica Sede enixe petiverunt ut, dismembrato territorio circumscriptionum ecclesiasticarum suarum, nova dioecesis conderetur. Nos quidem, habito faventi voto Venerabilis Fratris Alfii Rapisardá, Archiepiscopi titulo Cannensis et in memorata Natione Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis admotae postulationi, animarum saluti certe profuturae, libenter concedendum esse putavimus. De plenitudine igitur Apostolicae potestatis quae sequuntur decernimus. A dioecesibus Giparanensi et Adamanteae separamus integrum territorium, prout nunc lege civili circumscribitur, municipiorum nuncupatorum: Juina, Castanheira, Juruena, Cotriguaçu, Aripuana et Brasnorte; atque ex ita distracto territorio novam constituimus dioecesim *Iuinensem* appellandam, quae iisdem limitabitur finibus, quibus praedicta municipia, simul sumpta, in praesens lege civili terminatur. Sic conditae Ecclesiae sedem in urbe «Iuina» ponimus, ibique exstans paroeciale templum, Deo in honorem Sacri Cordis Iesu dicatum, ad

gradum et dignitatem cathedralis templi evehimus cuique insignia, privilegia et honores tribuimus, quibus ceterae cathedrales ecclesiae in orbe catholico fruuntur. Praeterea dioecesim Iuinensem suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Cuiabensi eiusque pro tempore Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore Cuiabensis subicimus iisdem iuribus, privilegiis, insigniis honoribusque ornatum atque oneribus officiisque adstrictum, quae Praesulum Ordinariorum locorum propria sunt. Mandamus insuper ut quam primum ibi Collegium Consultorum ad normam iuris constituatur qui Episcopo, consilio et opera, valido sint auxilio. Congruae sustentationi Praesulis novae dioecesis provideatur Curiae emolumentis, fidelium oblationibus ac portione, e divisione ad normam canonis 122 C.I.C. facienda, bonorum quae eidem obvenire debent quaeque hactenus ad Mensas episcopales (« Mitras » patrio sermone appellatas) Giparanensem et Adamanteae pertinuerunt. In iis autem quae respiciunt ad Seminarii dioecesani aedificationem atque candidatorum ad sacerdotium institutionem, serventur praescripta iuris communis, habita praesertim ratione normarum ac regularum a Congregatione de Institutione Catholica statutarum; suoque tempore, si fas erit, selecti Seminarii dioecesani alumni, philosophicis ac theologicis disciplinis imbuendi, necnon sacerdotes sua studia completuri, Romam mittantur ad Pontificium Collegium Pium Brasiliensi Quod vero attinet ad conditae dioecesis regimen, bonorum ecclesiasticorum administrationem, dioecesani Administratoris « sede vacante » electionem, fidelium iura et onera aliaque id genus, quae sacri canones praescribunt ad amussim serventur. Simul ac dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, sacerdotes illi adscripti censeantur Ecclesiae in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri autem sacerdotes Seminariique alumni incardinati maneant vel incardinentur Ecclesiae in cuius territorio legitimum habent domicilium. Acta et documenta quae ad noviter constitutam dioecesim eiusque clericos, fideles et forte bona temporalia respiciunt, a Curiis Giparanensi et Adamanteae ad Curiam Iuinensem quam primum transmittantur. Quae statuimus perficienda committimus Venerabili Fratri Alfio Rapisarda, quem diximus, vel, absente eo, illi, qui curat negotia Apostolicae Nuntiaturae in Brasilia, eisdem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis, cum primum fas erit, remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tertio et vicesimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo septimo, Pontificatus Nostri vicesimo.

ffi ANGELUS card. SODANO — *Secretarius Status*

& BERNARDINUS card. GANTIN — *Congr. pro Episcopis Praef.*

Marcellus Rossetti, ***Protonot. Apost.***
Carmelus Nicolosi, ***Protonot. Apost.***

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 424.525

VI

AMPARENSIS

Ab Ecclesiis Campinensi et Limeirensi quodam distracto territorio, nova conditur dioecesis Amparensis appellanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ecclesiae universae ministerium ab ipso Domino Nobis demandatum omni diligentia explicare destinamus, ut eiusdem salutaria beneficia et praecepta omnia loca contingant cunctasque efficaciter gentes. Ideo Nos res disponere properamus ut hoc facilius commodiusque eveniat. Quocirca cum Venerabiles Fratres Gilbertus Pereira Lopes, Archiepiscopus Campinensis et Ercilius Turco, Episcopus Limeirensis, audita Conferentia Episcoporum Brasiliensi, postulaverint ut, ecclesiasticae circumscriptionis sibi commissae territorio quodam seiuncto, nova conderetur dioecesis, favente quoque Venerabili Fratre Alfio Rapisarda, Archiepiscopo titulo Cannensi et in Brasilia Apostolico Nuntio, de Congregationis pro Episcopis consilio, haec pro Apostolica Nostra potestate statuimus et decernimus: ab archidioecesi Campinensi et a dioecesi Limeirensi integrum territorium horum municipiorum distrahimus, prout a lege civili nunc terminantur, videlicet Amparo, Aguas de Lindóia, Holambra, Itapira, Jaguariúna, Lindóia, Mogi Mirim, Monte Alegre do Sul, Pedreira, Santo Antonio de Posse et Serra Negra. Inde novam dioecesim constituimus, ***Amparensem*** appellandam, quae iisdem terminatur finibus quibus supra memorata municipia. Novae dioecesis sedem in urbe Amparo locamus, templumque ibidem situm idemque Beatae Virgini

« de Amparo » dicatum ad gradum evehimus Ecclesiae Cathedralis, cunctis consentaneis concessis iuribus et privilegiis. Amparensis pro tempore Episcopus iisdem fruetur iuribus ceterisque rebus, quibus reliqui Ordinarii locorum. Novam constitutam Ecclesiam Metropolitanae Sedi Campinensi suffraganeam facimus eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi eiusdem Ecclesiae Metropolitanae pro tempore subicimus.

Congruam Praesulis sustentationem novae dioecesis Curiae emolumenta, fidelium oblationes et portio procurabunt, quae ei obveniet ex divisione, ad normam can. 122 C.I.C., bonorum quae antehac ad Mensas episcopales (quae « Mitras » appellantur) Campinensem et Limeirensem pertinuerunt. Consultores dioecesani deligantur ad iuris normam, qui ipsi Episcopo opem ferant. Quod ad Seminarii institutionem atque sacrorum candidatorum formationem, praescripta Congregationis de Institutione Catholica serventur. Seminarii quidam tirones itemque sacerdotes, si fieri potest, ad studia complenda Romam mittantur ad Pontificium Collegium Pium Brasiliensi Quod autem ad novae dioecesis regimen pertinet, bonorum ecclesiasticorum administrationem, Administratoris dioecesani, sede vacante, electionem, fidelium iura aliaque horum similia, quae sacri canones praecipiunt serventur. Simul atque novae dioecesis Amparensis constitutio ad effectum deducta erit, eo ipso sacerdotes Ecclesiae illi censeantur assignati in cuius territorio officium ecclesiasticum habent, ceteri vero sacerdotes, Seminarii que tirones illi Ecclesiae in cuius territorio legitimum detinent domicilium. Acta et documenta quae in universum novam dioecesim respiciunt, a Curiis Campinensi et Limeirensi ad Curiam Amparensem transferantur. Ad haec tandem explenda quae per has Litteras iussimus, antea memoratum Venerabilem Fratrem Alfium Rapisarda Apostolicum Nuntium legamus, facta etiam potestate subdelegandi quemlibet in ecclesiastica potestate constitutum. Re denique ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Episcopis diligenter mittantur, contrariis rebus minime obsistentibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tertio et vicesimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo septimo, Pontificatus Nostri vicesimo.

6B ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

£B BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, ***Protonot. Apost.***
Franciscus Chiaurri, ***Protonot. Apost.***

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 424.529

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Beatos inter caelites Venerabilis Servus Dei Alfredus Ildefonsus Schuster rite recensetur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam.—- « Vos testes estis et Deus, quam sancte et iuste et sine querela vobis, qui credidistis, fuimus; sicut scitis qualiter unumquemque vestrum, tamquam pater filios suos, deprecantes vos et consolantes testificati sumus, ut ambularetis digne Deo, qui vocat vos in suum regnum et gloriam» *(1 Thess* 2, 10-12).

Quos Paulus Apostolus christifidelibus Thessalonicae sermones sic quondam inscripsit, quasi quandam summam illi vitae praebent ministeriique pastoralis ipsius Alfredi Ildefonsi Cardinalis Schuster qui Boni Pastoris (cfr ***Io*** 10, 11) ingressus vestigiis, Mediolanensi Archidioecesi caritate sollicitudineque patris deserviit, quam sapienter Dei in viis produxit suaque simul praeclara virtute necnon fidelitatis erga Christum et Ecclesiam absolutae testificatione ipsam collustravit.

Inlustris hic Dei Populi pastor Romae die duodevicesimp Ianuarii mensis ortus est anno millesimo octingentesimo octogesimo, humilium coniugum filius Ioannis Schuster et Annae Mariae Tutzer. Coenobium puer intravit Sancti Pauli extra Moenia, ubi abnegare se ipsum animique demissionem factitare et oboeditionem didicit, tum silentium etiam amare ac precationem, Deum postremo amare et secundum Sancti Benedicti regulam ei famulari. Simplicia nuncupavit anno millesimo octingentesimo nonagésimo nono vota, sollemnia vero anno millesimo nongentesimo secundo. Quantumvis iam primis ab infantiae annis infirmiore laboraret valetudine, disciplinae tamen monasticae rigore usque servabat studiisque philosophiae ac theologiae firmissima voluntate et optimo prorsus cum proventu se dedebat. Presbyteratus ordine est in sollemnitate Sancti Iosephi initiatus anno millesimo nongentesimo quarto. Maiori exinde ponderis atque auctoritatis munia illi concredita sunt: magister videlicet noviciorum fuit, tum Congregationis Casinensis generalis procurator, tum communitatis suae praepositus. Quaedam apud instituta educationis Romana ecclesiasticas tradidit disciplinas, cum eodem tempore consiliarius esset Congregationis Rituum et Commissio-

nis pro Arte Sacra praeses ac nonnumquam Seminariorum Italiae apostolicus visitator. Uti studiosus doctrinarum investigator plura foras dedit opera. Anno millesimo nongentesimo duodevicesimo Abbatiae monachi Sancti Pauli extra Moenia suum eum abbatem, qui custodiam deinceps Regulae Benedictinae suo ipsius exemplo fovit sedulaque hortatione et gubernatione nec sane minus spiritalem communitatis vitam. Undecim autem post annis Pontifex Romanus Pius XI, qui ob pietatem eius multiplicemque eruditionem permagni aestimabat illum, ex parvo eiusdem Abbatiae sustulit grege et archiepiscopalem ad sedem Mediolanensem provexit quem post viginti etiam dies ad cardinalatus gradum promovit. Suum deinde inter proprium populum hic Servus Dei efficiebat ut sanctimoniae fervorisque apostolici eximia in Sanctis Ambrosio et Carolo et Andrea Carolo Ferrari specimina reviviesceret. Pastorali commotus caritate evangelium Christi sine intermissione praedicabat, sacramenta dispensabat, spiritalis procurabat atque corporalis misericordiae opera, corroborabat sacerdotum institutionem, christianam laicorum vitam incitabat, catechismi propagabat explicationem necnon frugiferam celebrationum liturgicarum participationem, pientissimum denique Eucharistiae Matrisque Redemptoris cultum. Quinque curavit archidioecesanas celebrandas synodos, novas pariter excitandas paroecias. Sui tempore ministerii quinquies peregit totius dicionis suae pastoralem visitationem, qua dissitissimas etiam latissimorum archidioecesis finium communitates attigit. Vitae consecratae sustinuit instituta atque egentes domus et familias; opifices adiuvit et opere carentes, quemadmodum et carcere retentos ac pauperes et homines politicam ob causam vexatos. Saeviente altero bello mundano populi sui dolores tam animorum quam corporum pacemque indefessus inculcavit. Operam aequabiliter dedit ut peccatores bonam ad frugem se reciperent vehementerque ipse adversus errores depugnavit atque Ecclesiae et debilium propugnavit iura. Nemo denique eius a sollicitis pastoris curis arcebatur. Fecundata autem illius multiplex ac strenua industria est perpetuo cum Deo consortio et devota mysteriorum divinorum celebratione, meditatione et fervida precatione, sui abnegatione et castigatione. Quotquot eum adibant, alta ipsius mirabantur de vita spiritali confestimque cernebant in eo solidum Dei virum qui ex ipsa animi humilitate ac paupertate cogitabat, loquebatur, agebat secundum Christi spiritum. Ad extremos usque terrestris vitae dies cum Deo ambulavit eiusque voluntatem complevit et pro illius gloria animarumque salute quam optimis modis contendit. Post obitum quoque, qui evenit die tricesimo mensis Augusti an-

no millesimo nongentesimo quinquagesimo quarto, in Seminarii Maioris aedibus apud Venegonum quod exstrui ipse iusserat, virtutum eius odor suavissimo haud cessavit ubique sese diffundere. Quin immo, cum sanctitatis ac miraculorum illius fama non modo cresceret verum altas passim ageret radices, successor archiepiscopus Ioannes Baptista Montini, deinde Pontifex Romanus Paulus Sextus, anno millesimo nongentesimo quinquagesimo septimo Beatificationis atque Canonizationis instituit causam. Omnibus postea normis et consiliis lege necessariis observatis, declaravimus Nosmet die vicesimo sexto mensis Martii anno millesimo nongentesimo nonagésimo quarto hunc Dei Servum heroum omnino in modum virtutes exercuisse théologales, cardinales et connexas cum iis. Apud Congregationem de Causis Sanctorum suo tempore feliciter suscepta est exituque secundissimo pertractata investigatio adsertae prodigiosae sanationis quae Mediolani contigisse dicta est anno millesimo nongentesimo quinquagesimo sexto eiusdemque Venerabilis Servi Dei deprecationi adscripta. Nostro denique in conspectu super miraculo decretum die undecimo Iulii mensis prodiit anno millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, quo etiam tempore statuimus ut Romae Beatificationis ritus die duodecimo mensis Maii subsequentis anni perficeretur.

Hodie propterea, sexta Paschatis Dominica, summopere Nos iuvit coram immensa quidem pastorum fideliumque Ecclesiae ex omni orbe festiva multitudine frequentem sane Venerabilium Servorum ac Servarum Dei coronam uno pientissimo ritu in album Caelitum Beatorum ac Beatarum referendam curare, quos inter primum quidem locum Alfredus Ildefonsus Schuster, Ordinis Sancti Benedicti alumnus, obtinet. Inter ceremonias autem et preces licuit et libuit hanc ipsam sollemniter proferre Beatificationis formulam:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Caroli Mariae Cardinalis Martini, Archiepiscopi Mediolanensis Cosmi Francisci Ruppi, Archiepiscopi Lyciensis, Michaelis Cardinalis Giordano, Archiepiscopi Neapolitani, Braulii Rodríguez Plaza, Episcopi Salmantini, et Aloisii Belloli, Episcopi Anagnini-Alatrini, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Alfredus Ildefonsus Schuster, Philippus Smaldone, Ianuarius Maria Sarnelli, Candida Maria a Iesu Cipitria y Barrióla, Maria Raphaela Cimatti et Maria Antonia Bandrés y Elósegui Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum die ipsorum natali: Alfredi Ildefonsi Schuster die trigesima Augusti; Philippi Smaldone die quarta Iunii; Ianuarii Mariae Sarnelli die

trigesima Iunii; Candidae Mariae a Iesu Cipitria y Barrióla die nona Augusti; Mariae Raphaelae Cimatti die vicesima tertia Iunii et Mariae Antoniae Bandrés y Elósegui die vicesima septima Aprilis in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Qua rite dicta et audita adgressi sumus indolem ac virtutem uniuscuiusque recensere et permagno excolere adfectu. Precibus postremo Nostris et adstantium adiimus eos pro totius Ecclesiae et hominum generis necessitatibus. Nec minime quidem dubitamus quin insignis Alfredi Ildefonsi Schuster figura vitae mirabilis plurimis praesertim sacris pastoribus profutura sit ad imitationem sanctioremque Populi Dei curationem.

Quae has per Litteras ediximus et decrevimus, ea tam nunc quam in posterum tempus firma esse volumus ac rata, contrariis quibuslibet rebus haudquaquam obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xn mensis Maii, anno MCMXCVI, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

£8 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco 68 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 396.360

II

Paroeciale templum Sancto Lamberto episcopo et martyri dicatum ipsumque in archidioecesi Ultraiectensi situm, ad dignitatem Basilicae Minoris attollitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Insigne templum hoc, superiore saeculo aedificatum, catholicam operam pietatisque studium testificatur. Ibidem quoque Beatae Mariae Virginis « Kevelaer » effigies quae servatur non modo ipsum sacrum aedificium decorat ac locupletat, verum et fideles ad caelestis Matris dilectionem suaviter allicit. Pastoralis praeterea ibidem actio efficaciter explicatur ad communitatis ecclesialis utilitatem ac spiritalem progressum. His ob oculos habitis rebus, Venerabilis Fratris Nostri Hadriani S.R.E. Cardinalis Simonis, Archiepiscopi Ultraiectensis, precibus occurrendum sine cunctatione censuimus, qui suum tum ostendens postulatum tum

suorum fidelium, enixe efflagitant ut paroeciale templum Sancto Lamberto episcopo et martyri dicatum, quod in loco « Hengelo » invenitur, in ipsius archidioecesi, in Basilicarum Minorum album referretur. Itaque ea quae statuit Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum comprobantes, factis a Nobis quondam potestatibus, Apostolica pro Nostra auctoritate sacrum aedificium, de quo supra est facta mentio, Basilicae Minoris dignitate honestamus, cunctis additis iuribus et privilegiis, quae ad id genus templa pertinent. Serventur deinde quae decretum iubet «de titulo Basilicae Minoris » die ix mensis Novembris, anno MCMLXXXIX evulgatum, quibuslibet minime obsistentibus rebus.

Perquam decet tandem Ecclesiae testes convenientibus laudis extollere, qui vitam suam pro Christi nomine tradere non dubitarunt. Ad eos igitur mentem et animum referentes qui nunc sunt fideles, studiosius ad eorum exempla imitanda adque probanda incepta suscipienda incitantur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxix mensis Novembris, anno MCMXCVII, Pontificatus Nostri vicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco © Sigilli
In Secret. Status tab., n. 420.651

III

Beatae Mariae Virginis « Reginae Familiarum » imago, quae paroeciali in templo oppidi « Koscierzyna » asservatur, nomine et auctoritate Summi Pontificis coronatur.

IOANNES PAULUS PP II

Ad perpetuam rei memoriam. — Ab antiquis iam temporibus omnium ordinum fideles ad Virginem Mariam fidenti animo decurrerunt, pro comperto habentes superna se beneficia indulgenter accepturos ac certa auxilia adepturos. Nos vero hanc pietatem cupimus quam latissime augeri et proferri, ideoque occurrendum censuimus postulatis Venerabilis Fratris Ioannis Szlaga, Episcopi Pelplinensis, qui poposcit, ut insignis imago Beatae Mariae Virginis «Reginae Familiarum», in paroeciali templo oppidi ***Koscierzyna*** servata, nomine auctoritateque Nostra pretioso diademate coronaretur. Itaque, probatis iis quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum statuit, potestatis Nostrae usi plenitudine, concedimus ut Beatae

Mariae Virginis imago, quam supra memoravimus, pretioso diademate nomine Nostraque auctoritate redimiri possit, ob oculos videlicet sacrae liturgiae habitis praescriptis.

Ceterum omnes noverunt inter Polonas gentes flagranti sane animo coli Virginem Mariam. Ipsa enim per saeculorum decursum veluti propugnaculum habita est ad fidem integre servandam ac proprium cultum et humanitatem tuendam. Exemplo quoque sanctorum infiammati exoptamus ut inibi fideles, Virginis imagine eximiis honoribus elata, ad maiorem in caelestem Matrem pietatem concitentur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die II mensis Ianuarii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

© ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffl Sigilli
In Secret. Status tab., n. 424.771

CONVENTIO

INTER APOSTOLICAM SEDEM ET REM PUBLICAM AUSTRIACAM

QUINTO ACCORDO

Addizionale fra la Santa Sede e la Repubblica Austriaca alla Convenzione fra la Santa Sede e la Repubblica Austriaca per il Regolamento di Rapporti Patrimoniali del 23 giugno 1960.

Fra la Santa Sede,

rappresentata dal suo Plenipotenziario Sua Eccellenza Reverendissima Monsignor DDr. Donato Squicciarini, Arcivescovo tit. di Tiburnia e Nunzio Apostolico in Austria,

e la Repubblica Austriaca,

rappresentata dai suoi Plenipotenziari il Signor Dr. Wolfgang Schüssel, Ministro Federale per gli Affari Esteri, e la Signora Elisabeth Gehrer, Ministro Federale per l'Istruzione e gli Affari Culturali,

viene conclusola ulteriore complemento della Convenzione fra la Santa Sede e la Repubblica Austriaca per il Regolamento di Rapporti Patrimoniali del 23 giugno 1960, il seguente Accordo Addizionale:

Articolo I

La somma di 158 milioni di scellini, di cui all'Articolo II, Capov. 1, lettera a, della Convenzione fra la Santa Sede e la Repubblica Austriaca per il Regolamento di Rapporti Patrimoniali del 23 Giugno 1960 nella redazione dell'Accordo Addizionale 10 Ottobre 1989, verrà elevata a partire dall'anno 1996 a milioni 192 di scellini.

Articolo II

L'Articolo XXII, Capov. 2, del Concordato del 5 Giugno 1933 vale, per analogia, per la soluzione di difficoltà concernenti l'interpretazione del presente Accordo Addizionale.

Articolo III

Questo Accordo Addizionale, il cui testo italiano e tedesco sono ugualmente autentici, dev'essere ratificato e gli istrumenti di ratifica devono essere scambiati al più presto in Roma. Esso entra in vigore il giorno dello scambio degli istrumenti di ratifica.

In fede di che i Plenipotenziari hanno firmato il presente Accordo in doppio originale.

Fatto a Vienna, il 21-XII-1995

Per la Santa Sede:
S* D. Squicciarini

Per la Repubblica Austriaca:
Wolfgang Schüssel
Elisabeth Gehrer

FÜNFTER ZUSATZVERTRAG

zwischen dem Heiligen Stuhl und der Republik Österreich zum Vertrag zwischen dem Heiligen Stuhl und der Republik Österreich zur Regelung von vermögensrechtlichen Beziehungen vom 23. Juni 1960

Zwischen dem Heiligen Stuhl,

vertreten durch dessen Bevollmächtigten, Seine Exzellenz, den Herrn Apostolischen Nuntius in Österreich, Titularerzbischof von Tiburnia, Msgr. DDr. Donato Squicciarini,

und der Republik Österreich,

vertreten durch deren Bevollmächtigten, Herrn Dr. Wolfgang Schüssel, Bundesminister für auswärtige Angelegenheiten und Frau Elisabeth Gehrer, Bundesministerin für Unterricht und kulturelle Angelegenheiten,

wird in neuerlicher Ergänzung des Vertrages zwischen dem Heiligen Stuhl und der Republik Österreich zur Regelung von vermögensrechtlichen Beziehungen vom 23. Juni 1960 nachstehender Zusatzvertrag geschlossen:

Artikel I

Der in Artikel II Absatz 1 lit. a des Vertrages zwischen dem Heiligen Stuhl und der Republik Österreich zur Regelung von vermögensrechtlichen Beziehungen vom 23. Juni 1960 in der Fassung des Zusatzvertrages vom 10. Oktober 1989 genannte Betrag von 158 Millionen Schilling wird, beginnend mit dem Jahr 1996, auf 192 Millionen Schilling erhöht.

Artikel II

Artikel XXII Absatz 2 des Konkordates vom 5. Juni 1933 gilt für die Regelung von Schwierigkeiten bezüglich der Auslegung dieses Zusatzvertrages sinngemäß.

Artikel III

Dieser Zusatzvertrag, dessen deutscher und italienischer Text authentisch ist, bedarf der Ratifikation; die Ratifikationsurkunden werden sobald wie möglich in Rom ausgetauscht werden. Er tritt mit dem Tag des Austausches der Ratifikationsurkunden in Kraft.

Zu Urkund dessen haben die Bevollmächtigten diesen Zusatzvertrag in doppelter Urschrift unterzeichnet.

Geschehen zu Wien, am Dezember 1995.

Für den Heiligen Stuhl:	*Für die Republik Österreich:*
8ü D. Squicciarini	Wolfgang Schüssel
	Elisabeth Gehrer

Sollemni Conventione inter Apostolicam Sedem et Rem publicam Austriacam rata habita, die XIV m. Octobris a. MCMXCVI, in Civitate Vaticana instrumenta ratihabitionis accepta et reddita sunt: a quo die Conventio vigere coepit.

CONVENTIO

INTER APOSTOLICAM SEDEM ET FOEDERATAM CIVITATEM MEGALOBURGI-POMERANIAE ANTERIORIS

Vertrag
zwischen dem Heiligen Stuhl
und
dem Land Mecklenburg-Vorpommern

DER HEILIGE STUHL,
vertreten durch

den Apostolischen Nuntius in Deutschland

Erzbischof
Dr. Giovanni Lajolo,

und

DAS LAND MECKLENBURG-VORPOMMERN,
vertreten durch

den Ministerpräsidenten

Dr. Berndt Seite,

- einig in dem Wunsch, die Beziehungen zwischen dem Land Mecklenburg-Vorpommern und der Katholischen Kirche in Recht und Freiheit neu zu ordnen,

- im Bewußtsein der Eigenständigkeit von Staat und Kirche, im

Accordo
fra la Santa Sede
e
il Land Meclemburgo-Pomerania Anteriore

LA SANTA SEDE,
rappresentata dal

Nunzio Apostolico in Germania

Arcivescovo
Dott. Giovanni Lajolo,

e

IL LAND MECLEMBURGO-POMERANIA ANTERIORE,
rappresentato dal

Ministro-Presidente

Dott. Berndt Seite,

- concordi nel desiderio di dare un nuovo ordinamento in diritto e libertà alle relazioni fra il Land Meclemburgo-Pomerania Anteriore e la Chiesa cattolica,

- nella consapevolezza dell'autonomia dello Stato e della Chiesa,

gegenseitigen Respekt vor ihrem Selbstbestimmungsrecht und in Bereitschaft zur Zusammenarbeit,

- in Achtung vor der Religionsfreiheit des Einzelnen,

- in dem gemeinsamen Anliegen, die Menschenwürde und die Menschenrechte zu achten und zu schützen,

- in der Einsicht, daß christlicher Glaube, kirchliches Leben und karitatives Wirken einen Beitrag für das Gemeinwohl und den Gemeinsinn der Bürger in einer pluralen Gesellschaft leisten,

schließen
unter Anerkennung der Fortgeltung des Konkordats zwischen dem Heiligen Stuhl und dem Deutschen Reich vom 20. Juli 1933 und unbeschadet einer Fortgeltung des Vertrages des Freistaates Preußen mit dem Heiligen Stuhl vom 14. Juni 1929 diesen

Vertrag

Artikel 1

Das Land gewährt der Freiheit, den katholischen Glauben zu bekennen und auszuüben, und dem karitativen Wirken der katholischen

nel reciproco rispetto del loro diritto di autodeterminazione e nella disponibilità alla collaborazione,

- nel rispetto della libertà religiosa del singolo,

- nel comune desiderio di rispettare e salvaguardare la dignità umana e i diritti dell'uomo,

- nella persuasione che in una società pluralistica la fede cristiana, la vita ecclesiale e l'azione caritativa danno un contributo per il bene comune ed il senso di responsabilità dei cittadini per la cosa pubblica,

riconoscendo che resta in vigore il Concordato fra la Santa Sede ed il Reich Germanico del 20 luglio 1933, e senza pregiudizio della permanenza in vigore della Solenne Convenzione fra la Santa Sede e la Prussia del 14 giugno 1929, concludono il seguente

Accordo

Articolo 1

Il Land dà protezione, mediante la Costituzione e la legge, alla libertà di professare e praticare la fede cattolica e all'azione caritativa del-

Kirche (im Folgenden: die Kirche) den Schutz durch Verfassung und Gesetz.

Artikel 2

Die Kirche ordnet und verwaltet ihre Angelegenheiten selbständig innerhalb der Schranken des für alle geltenden Gesetzes.

Artikel 3

(1) Zur Klärung von Fragen und zur Vertiefung ihrer Beziehungen treffen sich die Landesregierung und die Diözesan-Erzbischöfe regelmäßig.

(2) Die Landesregierung unterrichtet die Erzbischöfe von Gesetzgebungsvorhaben und Programmen, die Belange der Kirche unmittelbar berühren, und hört sie an.

Summus Pontifex Pius XII, die 21 mensis Ianuarii anno 1941 eum Episcopum Iaurinensem nominavit. Paucis post diebus, novae suae dioecesis legatos excipiens, cum simplicitate suum patefecit cogitatum, in quo ad finem usque mansit: « Hactenus mea opera sacerdotalis est pastorali nota signata, et etiam uti Episcopus Iaurinensis pastor manere volo». Et quidem excellentibus humanis ac spiritualibus facultatibus in plenum communitatis dioecesanae servitium est usus, gloriam Dei quaerens atque animarum salutem et exemplari modo muneribus fungens docendi, sanctificandi et gubernandi. Cum sacerdotibus cumque fidelibus consuetudinem iniit sincerae mutuaeque fiduciae; sine exceptione omnes admittebat, qui illum adire cupiebant; liturgiae prospexit, vitae spiritali sacerdotum et alumnorum seminarii atque laicorum catholicorum formationi. Nävus fuit in aegrotos, quos saepe visitabat, in agrícolas inque operarios; iustitiam socialem fovit; überaus fuit erga pauperes, et in omnes, nullo excepto, magnam adhibuit caritatem, observantiam, verborum ac tractationis humanitatem. Hebraeos defendit, qui id temporis crudeliter vexabantur et Iudaeorum vico extruendo pro eis in urbe laurino obstitit. Die Pentecostes anno 1944 in ecclesia cathedrali, periculorum neglegens, quibus se committebat, vocem intendit: « Omnes, qui primum et maximum christianorum praeceptum negant, et personas, classes vel gentes exsistere censent, quae odio habendae sint et persequendae; qui doctrinas vulgant secundum quas liceat homines tormentis excruciare, sive nigros, sive Hebraeos, nihil aliud sunt, nisi pagani, etsi se christianos esse glorientur. Omnes qui probant aut communicant cruciatus in suos similes illatos, peccatum mortale committunt intolerabilis gravitatis ».

Dilexit Ecclesiam et concorditer cum Primate, Cardinali Iustiniano Serédi aliisque sacris Pastoribus, in quibus fuit Episcopus Iosephus Mindszenty, contra iniquas leges restitit, quae iura ac dignitatem hominis et populi violabant. Cum Hungaria campus facta est adversariorum exercituum, Servus Dei fidelium suorum incolumitati prospexit. Sedis suae portas aperuit trecentis ferme perfugis, quorum sustentationi et valetudini consulebat, cum id opus erat. Omnes excepit, qui illum adibant, pauperes ac divites, catholicos et Hebraeos atque de singulis paterna cum benignitate et sedulitate curam adhibuit.

Vespere diei 28 mensis Martii, anno 1945, feriae quartae Maioris Hebdomadae, milites Russici ad sedem Episcopi prodierunt, qui eos cum serenità-

te accepit et dignitate, quamquam eorum aliqui minati ei erant eundemque perquisiverant. Insequenti nocte dormitum non ivit, dicens: « Oportet me vigilare, si quid eveniat ». Feria quinta in Cena Domini, pyrobolorum coniectionibus saevientibus, ultimam celebravit Missam in cella vinaria et per totum diem milites ingressi sunt et exierunt ex eius domo, res varias auferentes. Perfugis, qui eum adhortabantur ne nimis periculo se obiceret, respondit suum esse defendere gregem. Vespere feriae sextae Hebdomadae Maioris aliqui milites puellas, quae domi erant, iusserunt se alio sequi ut negotia familiaria explicarent. Episcopus, sciens illis propositum esse puellis vim inferre, magna cum firmitudine obstitit. Ignivomis missilibus collineatis ei minati sunt; confirmavit fortiter se numquam huiusmodi rem esse permissurum. Et puellis succurrens, quae e suo refugio protrahebantur, tribus armorum igneorum ictibus est percussus, e quibus unus in abdominis recessus penetravit. Tunc milites abscesserunt. Iuvenes mulieres salvae erant. Episcopus, qui se pro earum dignitate et castitate devoverat, sanguinolentus, dixit: « Deo gratias ago, quia pro meis fidelibus me possum immolare », et deinde addidit: « Gratias persolvo Deo, quoniam tam pulchram feriam sextam Maioris Hebdomadae mihi praeparavit». In valetudinarium deductus, ilico sectionem chirurgicam subiit. Horribiles fuere dolores ac sitis ardens, sed querelas non iecit. Etiam atque etiam dixit: « Pro meis fidelibus cruciatus offero meos ». Vespere Paschae peritonaei inflammatio intervenit. Peccata sua confessus, Unctionem Infirmorum accepit. Extremae eius curae ad sacerdotes, ad fideles, ad reipublicae auctoritates, ad patriam pertinuerunt et ad suos Ecclesiaeque inimicos, quibus ignovit. Hora septima, nempe prima post meridiem, diei Lunae post Pascham, postridie calendas Apriles anno 1945, placide in Domino obdormivit.

Propter bellum, exsequiae simplices fuerunt et pauperes, sed martyrii fama diffundi coepit ubique et corroborari: quocirca Episcopus Iaurinensis Causam iniit beatificationis et canonizationis celebrato Processu ordinario informativo (anno 1949), quem secuti sunt Rogatoriales Debrecensis et Colociensis. Ob tristes eventus qui Ecclesiam in Hungaria invaserunt, Causa ulteriores non fecit progressus usque ad annum 1989, cum Episcopus Iaurinensis ad consummationem Processus pervenit, quod accidit anno 1990. Hae dioecesanae inquisitiones probatae sunt a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 31 mensis Maii anno 1991 promulgatum. Confecta Positione, disceptatum est an Servus Dei posset martyr haberi. Die mensis Iunii 3 anno 1997 actus est, felici cum exitu, Congressus Peculiaris

Consultorum Theologorum. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Sessione Ordinaria calendis Iunii eodem anno habita, Causae Ponente Excellentissimo Domino Mario Rizzi, Archiepiscopo titulari Balneoregiensi, affirmaverunt mortem Servi Dei Gulielmi Apor verum fuisse martyrium.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Pro-Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, praecepit ut decretum super martyrio Servi Dei rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis ceterisque de more convocandis eisque adstantibus Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de martyrio eiusque causa Servi Dei Gulielmi Apor, Episcopi Iaurinensis, anno 1946 interfecti, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 7 mensis Iulii A. D. 1997.

£B ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. ©S.

68 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Ioannes Paulus PP. II per Apostolicas sub plumbo Litteras iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit praesules:

die 27 Decembris 1997. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Hieronymi Terraebonae, Exc.mum P. D. Aegidium Cazabon, O.M.I., hactenus Episcopum Timminsensem.

die 31 Decembris 1997. — Titulari episcopali Ecclesiae Elotonensi R.D. Aloisium Armandum Collazuol, hactenus curionem in civitate Rosariensi, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Rosariensis.

die 5 Ianuarii 1998. — Titulari episcopali Ecclesiae Ancusensi R.D. Marcellinum Hernández Rodríguez, e clero archidioecesis Guadalaiarensis, hactenus moderatorem Instituti « Génesis » nuncupati, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Mexicanae.

— Titulari episcopali Ecclesiae Bavagalianensi, R.D. Thomam I. Flanagan, e clero archidioecesis Sancti Antonii, ibique paroeciae Sanctae Brigidae curionem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Thamugadensi, R.D. Patricium I. Zurek, e clero dioecesis Austiniensis, ibique paroeciae Sancti Ioannis Neumann curionem atque Operis dioecesani pro Vocationibus moderatorem, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Sancti Antonii.

die 14 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Guanhanensi R.D. Emmanuelem Messiam de Oliveira, e clero Valadarensi, hactenus paroeciae Dominae Nostrae de Aparecida parochum.

die 19 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Calgariensi, Exc.mum P.D. Fridericum Bernardum Henry, hactenus Episcopum Sinus Tonitralis.

die 21 Ianuarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Calabriensi R.D. Walmor Oliveira de Azevedo, rectorem Seminarii maioris Iudiciforensis, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Sancti Salvatoris in Brasilia.

— Titulari episcopali Ecclesiae Iliberritanae R.D. Lilium Felicio, Vicarium generalem Sanctae Crucis in Brasilia, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Sancti Salvatoris in Brasilia.

— Cathedrali Ecclesiae Graiahuensi R.D. Franciscum Cuter, O.F.M. Cap., provinciae Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum vulgo Maranhão-Pará Ministri Provincialis vices gerentem.

die 24 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Guantanamensi-Baracoënsi, noviter erectae, Exc.mum P.D. Carolum Iesum Patricium Baladren Valdés, hactenus Episcopum titulo Cibalianensem et Auxiliarem archidioecesis Sancti Christophori de Habana.

die 24 Ianuarii 1998. — Cathedrali Ecclesiae Drepanensi, Exc.mum P.D. Franciscum Micciché, hactenus Episcopum titularem Chusirensem et Auxiliarem archidioecesis Messanensis-Liparensis-Sanctae Luciae.

die 27 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Santaremensi in Lusitania, Exc.mum P.D. Emanuelem Pelino Domingues, hactenus Episcopum titularem Lemellefensem et Auxiliarem Portugallensem.

die 28 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Formosensi R.D. Ioannem Wilk, Ordinis Fratrum Minorum Conventualium sodalem, Conventi in civitate vulgo Luziânia Custodem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Bennefensi R.D. Gundisalvum de Iesu Rivera Gómez, e clero archidioecesis Medellensis, ibique Vicarium episcopalem et curionem paroeciae « Nuestra Señora del Rosario » nuncupatae, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Thuccaborensi R.D. Rolandum Antonium Corrales García, e clero archidioecesis Medellensis, hactenus sub moderatorem Seminarii maioris archidioecesani, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 31 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Veglensi R.D. Valtherum Zupan, Administratorem dioecesanum eiusdem dioecesis.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

i

PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit:

die 3 Martii 1997. — Cathedrali Ecclesiae Daltonganiensi R.P. Gabrielem Kujur, S.I., novitiorum Collegii «St. Stanislaus» in oppido vulgo Sitagarh magistrum.

die 14 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Darieelingensi R.D. Stephanum Lepcha, Seminarii minoris in praefata dioecesi rectorem.

— Cathedrali Ecclesiae Bagdogranae, noviter erectae in India et metropolitanae Ecclesiae Calcuttensis suffraganeae, R.D. Thomam D'Souza, hactenus Darieelingensem Administratorem dioecesanum.

— Cathedrali Ecclesiae Barodensi R.P. Godefridum de Rozario, S.I., praefati Instituti religiosi in civili regione Indica vulgo Gujarat nuncupata Superiorem provincialem.

die 16 Octobris. — Metropolitanae Ecclesiae Parakuensi, noviter constitutae in Benino, Exc.mum P.D. Nestorem Assogba, hactenus Episcopum eiusdem sedis episcopalis.

— Cathedrali Ecclesiae Baruipurensi R.D. Salvatorem Lobo, in praesens eiusdem circumscriptionis Administratorem dioecesanum.

die 24 Octobris. — Metropolitanae Ecclesiae Bulauaiensi R.D. Pium Alexandrum Ncube, eiusdem archidioecesis Vicarium generalem.

— Cathedrali Ecclesiae Bubantinae R.D. Ioannem Ntagwarara, e clero Kitegaënsi, consociationis « Œuvre de Foyer de Charité » appellatae Assistentem spiritualem atque Seminarii maioris Buiumburaënsis professorem.

— Cathedrali Ecclesiae Kohimaënsi R.D. Iosephum Mukala, in praesens eiusdem circumscriptionis Administratorem dioecesanum.

— Cathedrali Ecclesiae Labradorpolitanae-Scheffervillensi R.P. Duglasium Crosby, O.M.I., Episcoporum Canadensium Conferentiae per territorium civilem linguae Anglicae Secretarium generalem.

— Cathedrali Ecclesiae Pembanae R.P. Thomam Makhweliha, S.C.I., Congregationis Sacerdotum a Sacro Corde Iesu consultorem generalem.

— Cathedrali Ecclesiae Abeokutanae, noviter constitutae in Nigeriana regione atque metropolitanae Ecclesiae Lagosensi suffraganeae, R.D. Alfredum Martins, Seminarii maioris Ibadensis Sanctis Petro et Paulo dicato olim professorem.

die 24 Octobris 1997. — Cathedrali Ecclesiae Asansolensi, noviter conditae in India et archidioecesi Calcuttensi suffraganeae, Exc.mum P.D. Cyprianum Monis, hactenus Episcopum titularem Molicunzensem et Auxiliarem praefatae archidioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Goasoënsi, noviter constitutae in Gana et A litore aureo suffraganeae, R.D. Petrum Kwaku Atuahene, Seminarii maioris apud civitatem praefatae archidioecesis vulgo Pedu dictam spiritus directorem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Milevitanae R.D. Iosephum Ignatium Randrianasolo, in oppido vulgo Ambohimiadana curionem necnon Seminarii maioris archidioecesis Antananarivensis professorem, quem deputavit Auxiliarem praefatae metropolitanae Ecclesiae.

— Titulari episcopali Ecclesiae Baianensi, R.P. Hadrianum Lange, O.F.M., praefati Ordinis per Africam Definitorem generalem, quem deputavit Auxiliarem Maputensem.

die 21 Novembris. — Archiepiscopum Coadiutorem metropolitanae Ecclesiae Papeetensis R.D. Hubertum Coppenrath, Vicarium generalem necnon cathedralis templi eiusdem archidioecesis curionem.

— Cathedrali Ecclesiae Mandevillensi, noviter conditae et archidioecesis Regiopolitanae in Iamaica suffraganeae, Exc.mum P.D. Paulum Michaelem Boyle, C.P., hactenus Episcopum titularem Canapitanum et Vicarium Apostolicum eiusdem circumscriptionis ecclesiasticae.

— Titulari episcopali Ecclesiae Vallispostanae, R.P. Angelum R. Lampón, O.M.I., praefatae Congregationis per Asiam-Oceaniam Consultorem generalem, Vicarium Apostolicum Ioloënsem.

die 13 Decembris. — Coadiutorem dioecesis Bangassuensis, R.P. Ioannem-Iosephum Aguirre Muñoz, M.C.C.I., Provinciae Rei publicae Africae Mediae praefati Instituti religiosi Superiorem.

— Coadiutorem dioecesis Kengensis R.P. Casparem Mudiso, S.V.D., in praesens Societatis Verbi Divini consilii generalis Membrum.

II

NOMINATIONES

Peculiaribus datis decretis, Congregatio pro Gentium Evangelizatione ad suum beneplacitum renuntiavit:

die 29 Septembris 1997. — R.P. Antonium Avila, praesentis in Argentina regione Instituti Verbi Incarnati sodalem, primum Missionis « sui iuris » in Tadzikistaniana natione Superiorem.

— R.P. Andream Madej, O.M.I., Provinciae polonicae praefatae Congregationis sodalem, noviter Missionis «sui iuris» in Turcmenistania institutae Superiorem.

— R.P. Christophorum Kukulka, O.F.M. Conv., membrum Provinciae polonicae eiusdem Ordinis, primum Superiorem ecclesiasticum Usbekistanianae Missionis « sui iuris ».

die 14 Octobris. — Exc.mum P.D. Petrum Fernando, Episcopum Coadiutorem Tuticorensem, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Tiruchirapolitanae.

die 18 Octobris. — Exc.mum P.D. Iosephum Kumuondala Mbimba, Archiepiscopum Mbandakanum-Bikoroënsem, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Molegbensis.

die 25 Octobris. — Exc.mum Michaelem Malo, Episcopum Mahagianganum, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum sanctae Sedis » dioecesis Ambaniaënsis.

die 1 Novembris. — Exc.mum P.D. Angelum Massafra, O.F.M., Episcopum Rrëschenensem et Administratorem Apostolicum « sede vacante » dioecesis Alexiensis, Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » archidioecesis Scodrensis et dioecesis Sappensis.

die 21 Novembris. — R.D. Cornelium Sim, in praesens Vicarium generalem dioecesis Miriensis, primum Praefectum Apostolicum Bruneiensem.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Sabato, **31** Gennaio **1998,** S.E. il Signor MARK EDWARD PELLEW, Ambasciatore di Gran Bretagna presso la Santa Sede.

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Venerdì, **16** Gennaio **1998,** S.E. il Signor MOSHE KATSAV, Vice-Primo Ministro e Ministro del Turismo di Israele.

Giovedì, **29** Gennaio **1998,** S.E. il Prof. BRONISLAW GEREMEK, Ministro degli Affari Esteri di Polonia.

Da mercoledì 21 a lunedì 26 gennaio 1998 il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio a Cuba.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

22 dicembre 1997. Il rev. Ryszard Rubinkiewicz, S.D.B., ***Membfo della Pontificia Commissione Biblica « ad quinquennium ».***

» » » Mons. Mario Marini, Sotto-Segretario della Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti, ***Esperto Permanente della Pontificia Commissione « Ecclesia Dei ».***

» » » Il prof. Enrico Nenna, ***Consultore della Congregazione per l'Educazione Cattolica « in aliud quinquennium ».***

2 gennaio 1998. Il rev. Giovanni Vaccarotto, *Difensore del Vincolo sostituto presso il Tribunale della Rota Romana « ad quinquennium ».*

7 » » Il rev. Ercole Boggio-Bozzo, *Capo della Cancelleria del Tribunale della Rota Romana «ad quinquennium».*

8 » » S.E. mons. Audrys Juozas Backis, Arcivescovo di Vilnius, *Membro del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali « in aliud quinquennium ».*

8 » » Il sig. Hans-Peter Gohla e mons. Bernard Prince, *Consultori del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali « in aliud quinquennium ».*

» » » P. Peter Hans Kolvenbach, S.I., *Consultore della Congregazione per le Chiese Orientali « in aliud quinquennium ».*

13 » » Mons. Piero Pennacchini, *Capo Ufficio nel Comitato del Grande Giubileo dell'Anno 2000.*

17 » » P. Antonio Montereale, della Congregazione Regina dei Gigli, *Capo Ufficio nella Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti.*

25 » » Mons. Michele Di Ruberto, *Sotto-Segretario della Congregazione delle Cause dei Santi « in aliud quinquennium ».*

29 » » L'Em.mo Signor Cardinale Alfonso López Trujillo e le LL.EE. i monsignori Ottorino Pietro Alberti e Girolamo Grillo, *Membri della Congregazione delle Cause dei Santi « in aliud quinquennium ».*

NECROLOGIO

1 gennaio 1998. Mons. Pedro Boxler, Vescovo em. di Gualeguaychu *(Argentina).*

2 » » Mons. William F. Kupfer, Vescovo em. di Taichung *(Taiwan).*

3 » » Mons. Giulio Salimei, Vescovo tit. di Vico di Augusto.

5 » » Mons. Alejandro Jiménez Lafeble, Vescovo em. di Valdivia *(Cile).*

» » » Mons. Nicola Comparone, Vescovo di Alife-Caiazzo *(Italia).*

8 » » Mons. Albino Mensa, Arcivescovo em. di Vercelli *(Italia).*

9 » » Mons. Crisanto Mata Cova, Arcivescovo em. di Ciudad Bolivar *(Venezuela).*

10 » » Mons. Magin C. Torreblanca Reyes, Vescovo em. Texcoco *(Messico).*

13 » » Mons. Charles Kweku Sam, Vescovo di Sekondi-Takoradi *(Ghana).*

14 » » Mons. Francis G. Kramer, Vescovo em. di Lu An *(Cina).*

16 » » Mons. Ernst Tewes, Vescovo tit. di Villamagna di Proconsolare.

18 » » Mons. Josef Schneider, Arcivescovo em. di Bamberg *(Repubblica Federale di Germania).*

» » » Mons. Giuseppe Uhac, Arcivescovo tit. di Tharros.

22	gennaio	1998.	Mons. Hendrick De Cocq, Vescovo em. di Rarotonga *{Isole Cook).*
28	»	»	Mons. Bernard J. Flanagan, Vescovo em. di Worcester *(Stati Uniti d'America).*

Recens nuntiatum est Petrum Guichet, episcopum emeritum Taravanum, die 3 m. Octobris a. 1997 de vita decessisse.

An. et vol. XC 7 Martii 1998 N. 3

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

URBIS

Vicariatus Urbis nova ratione ordinatur

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

1. ECCLESIA IN URBE ad munus prorsus singulare obeundum vocatur: eadem, quemadmodum edicit Synodi liber: ***princeps est in magna Ecclesiae familia, in familia nempe dioecesium sororum*** atque ***sociatur universali sollicitudini Episcopi sui: patet ipsa atque peculiarem in modum refertur ad unicae Ecclesiae universalitatem; hoc modo suam agere debet vitam Ecclesiae particularis.***[1] Etenim Romae ab Apostolis Petro et Paulo est condita et constituta Ecclesia illa ***quacum ob potfentjiorem principalitatem necesse est convenire omnem Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique conservata est ea quae est ab Apostolis traditio:***[2] ***ad ipsam spectant ceterae Ecclesiae veluti ad unam quae caritati praesidet.***[3]

[1] Cfr *Synodi liber Romanae dioecesis.* Secunda Synodus dioecesana Ioanne Paulo II praeside celebrata, Romae 1993, n. 11.

[2] S. IRENAEUS, *Adversus haereses* III, 3, 2: SCh 211, 33.

[3] Cfr S. IGNATIUS ANTIOCHENUS, *Epistula ad Romanos,* Inscr. *Patres Apostolici* I, ed. F. X. FUNK, Romae 1901, p. 253.

2. Hinc procedit vocatio ad exemplum praebendum Ecclesiae Romanae concredita, quam Synodi liber suis in spiritalibus, ecclesialibus et pastoralibus rationibus clare definivit: de exemplo agitur fidelitatis erga Christum et erga vitalem cum Eo coniunctionem, quae amore, humilitate, conversione et servitio imbuitur quaeque ad Dei Patris gloriam penitus vergit atque eius gratiae dumtaxat confidit.[4]

3. Nova evangelizatio atque missionalis impetus a Synodo pastorali excitati Ecclesiae Romanae permanentem constituunt electionem, quae firmam poscit voluntatem ut in communione cum multiplicibus suis partibus progrediatur.

Ex communione namque necessitas oritur concordis illius pastoralis consensionis, quae peculiariter a Romana dioecesi postulatur, quatenus ipsa singulari multiplicitate ac varietate formarum et inceptorum ecclesialium distinguitur. ***Reapse Romana dioecesis ut veluti exemplar sit compellitur, motionis principium atque comparationis regiminis Ecclesiae universalis, quae a Christo Petro commissa est eiusque Successoribus. Etenim Romani Episcopi interest primum ecclesiologiam iudicium honorare, ad quod quisque Episcopus, bene suam regens Ecclesiam ut Populi Dei particulam, ad bonum totius mystici Corporis, quod est Ecclesia, efficaciter confert.***[5]

4. Synodi dioecesanae Romanae optatum amplectentes,[6] iussimus ut Constitutio apostolica ***Vicariae potestatis***[7] recognosceretur, quae structuram et Vicariatus Urbis perfunctionem moderatur quaeque a Decessore Nostro Paulo VI, recolendae memoriae, die vi mensis Ianuarii anno MCMLXXVII evulgata est, quo ipsa novi Codicis Iuris Canonici normis magis reddatur consentanea nec non synodalibus consiliis in ***Synodi libro*** significatis, quem Nos die xxiv mensis Iunii anno MCMXCIII edidimus. Quapropter haec Constitutio ecclesiologiam communionis atque missionale propositum sustentare vult, in quae Ecclesiam Romanam reapse direxit Synodus, per aptiorem definitionem et ordinationem propriorum munerum Vicariatus, qui, hac sub ratione, penitus dioecesana Curia est habendus, secundum can. 469 C.I.C. definitionem. Certis indiciis acceptis, quae in Synodi libro continentur, haec ***Vicariae potestatis*** recognitio compluria elementa ob oculos habuit tum praeterita tum nova quibus urbis Romae implicata condicio significatur, in

[4] ***Synodi liber,*** **n. 11.**

[6] ***Ibid.***

[6] **Cfr** *ibid.,* **Indicia Pastoralia 1, 10.**

[7] PAULUS **VI, Const. Ap.** *Vicariae potestatis* (6 **Ianuarii** 1977): *AAS* 69 (1977), 5-18.

qua Clerus et Populus Romanus, cum Pastore suo coniuncti, testimonium fidei suae et caritatis vivendo exhibent.

5. Ad Romanam Ecclesiam proprio nomine pertinent Collegii Cardinalium sodales, quibus, ad normam iuris, munus est Romanum Episcopum eligendi. Hic insuper collocata sunt Curiae Romanae Dicasteria, quibus ad sua universalia munera exsequenda utitur Apostolica Sedes. Praeterea inveniuntur hic sedes gubernationis plurimorum Institutorum Vitae consecratae et Societatum Vitae apostolicae, tum etiam praestantiora instituta litterarum ac studiorum Ecclesiae nec non principalia officia societatum catholicarum quae in pluribus Nationibus operantur. Roma est pariter sedes Primatis Italiae atque sedes Conferentiae Episcopalis eiusdem Nationis sicut et variorum eius institutorum apostolicorum.

Quam ob rem Urbem aeternam incolunt permulti sacerdotes et religiosi et laici advenae ex variis orbis partibus, quorum vita et opera — si scite componitur — ditat ac locupletat christianum Romae consortium multiplicibus formis et experimentis vitae spiritualis.

6. Roma in se ostendit omnes qualitates ac proprietates capitis urbis Status huius temporis, ubi videlicet quaestiones et difficultates totius Nationis tamquam in speculo cernuntur. Cum autem ipsa sit sedes praecipuorum ministeriorum Nationis ac domicilium cultus humani, rei socialis et politicae, quod sane maximo momento est praeditum, suo quoque modo importat ipsis incolis et civibus propriis peculiares necessitates.

7. Augescentes propter oeconomicas ac sociales difficultates Urbis innumerae personae familiaeque in angustias sunt adductae, atque peculiari cura indigent, ut earum spiritus et corporis necessitatibus in primis subveniatur: migratio adeo multorum hominum est res omnino implicata, sed ipsa compellit quoque ad testificandum animum acceptionis et solidarietatis, quem saeculorum decursu Romana Ecclesia habuit. Civilis quoque urbis moderaminis dispertitio requirit ut christiani sua in regione praesentes agant proprias partes acri cum officii conscientia.

8. Singularis historia Romam constituit metam tot iter facientium qui saepius peregrinationem sacram suscipiunt, permoti memoria Apostolorum et Martyrum et Sanctorum, non autem minus ipsa praesentia Vicarii Christi. Huiusmodi nimirum viatoribus occasio singularis offertur sumendae institutionis religiosae omnino peculiaris, quae eo spectat, ut quasi ante oculos ponatur perennis novitas Evangelii, quod Apostoli Petrus et Paulus hic

nuntiaverunt, quod illi aliique Martyres suo sanguine hic aluerunt, quod innumerabiles Sancti et Sanctae exemplo vitae suae hic testificati sunt.

9. Eandem propter singularem vocationem necessario Ecclesiae Romanae peculiariter cordi est oecumenicum propositum, quod non ex fortuitis inceptis oritur, sed ex ipsa Christi voluntate, ex fide in Eum et a Baptismo, quae christianos consociant. Plenae unitatis conquisitio, quam mutua cognitio, alterna caritas atque fraterna cum fratribus sororibusque aliarum Ecclesiarum et christianarum confessionum cooperatio aiunt, primarium est dioecesis munus pro evangelizationis testimonio in urbe et in mundo.

10. Dialogum etiam interreligiosum cum Hebraeorum communitate Ecclesia Romana, adhortationi obsequens Concilii Oecumenici Vaticani II, continuare vult.

11. Pro Muslimis atque aliarum religionum cultoribus, qui Romae sunt, opus explicandum est ipsos suscipiendi eosdemque sociali solidarietate sustinendi, una cum dialogo et sociata actuositate, ut luculenta eis reddatur fidei vitaeque christianae testificatio.

12. Vivida missionariorum recordatio, qui saeculorum decursu ex Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli Ecclesia profecti sunt ut Evangelium in omnibus terrarum orbis locis nuntiarent, totam dioecesim singulosque Romanos fideles incitat ad ***missionem ad gentes,*** ut universalem caritatem testificentur, quae apostolicam missionem vivificat proprii Episcopi, Pastoris universalis Ecclesiae.

13. His consideratis rebus, peropportunum est nonnulla perpendere officia quae maxime eminent et premunt Ecclesiam Romanam quaeque summam pastoralem Vicariatus singularumque dioecesanarum partium curam iure sibi vindicant: nova evangelizatio et missionale opus in unumquemque urbis incolam atque in singula loca collatum; iuvenum familiaeque pastoralis actio; sollicitudo de cultura et communicationibus; socialis navitas et caritatis testificatio erga vetera novaque paupertatis genera, quibus complures personae et familiae urbis vexantur; vocationes ad sacerdotale ministerium diversasque vitae consecratae formas; catechistarum ac pastoralium laicorum cooperatorum institutio; oecumenica congressio et interreligiosus dialogus; novarum paroeciarum aedificatio, in suburbiis potissimum.

14. Ut Vicariatus — hoc est Curia dioecesana — Urbis fiat instrumentum aptum renovationis ac progressionis pastoralis Romae, quem ad mo-

dum documenta post Concilium edita de singulis curiis dioecesanis praecipiunt atque praesertim novus Iuris Canonici Codex nec non pastoralis Synodus Romae, principia ac monita quae sequuntur, quaeque normas ad hoc tempus exstantes substituunt, considerari debebunt, derogando, prout necesse erit, omnibus praescriptis generalibus atque particularibus documentorum antea editorum.

Titulus I

PRINCIPIA DIRECTORIA

Art. 1

Quodlibet opus vel inceptum intra Vicariatus Urbis ambitum initum, quovis in ordine aut gradu auctoritatis, semper suapte natura pastorale est: nempe eo spectat, ut ad effectum deducatur mysterium salutis pro Ecclesia Christi quae Romae est, atque sic procurat illud debitum exemplum, quod particularis haec Ecclesia originis apostolicae universae catholicae Ecclesiae omnibusque per orbem homines exhibere debet.[8]

Art. 2

Omnis opera a Vicariatus Urbis officiis expleta illuc pertinet ut sustineatur et promoveatur nova evangelizatio, consilia et rerum agendarum ordinem in pastorali actione dioecesana persequendo et omnibus membris ecclesialibusque causis inserviendo, in paroeciis potissimum, ut — per assiduam institutionis et actionis sociatae industriam — earum communio pastoralisque unitas augeantur, pro efficaciore atque duraturo missionali ministerio in urbe et in mundo.

Art. 3

Accepta quidem distinctione et propria auctoritate officiorum cuiusque, omnes qui quovis titulo operam navant in ministeriis Vicariatus Urbis quique eliguntur tum secundum pietatem et peritiam tum secundum studium

[8] Cfr PAULUS VI, Const. Ap. *Vicariae potestatis* (6 Ianuarii 1977), 1 § 1: *AAS* 69 (1977), 8.

et navitatem suam pastoralem, praestabunt sociam operam cum animo vere serviendi, respicientes ***diaconiam*** Christi, qui venit ut ministraret non ut ministraretur ei.[9]

Art. 4

Etiamsi officia singula proprios persequuntur fines, tamen inter se conspirent oportet coniunganturque similibus rationibus, consiliis atque inceptis ut organica evadat eorum temperatio et frugifera simul actio pastoralis secundum directorias normas pastoralis dioecesani consilii.[10]

Art. 5

Actuosa navitas officiorum confirmanda pariter est per mutuum aliquod complementum atque, ubi fieri potuerit, etiam per consentaneam moderatorum ipsorum commutationem. Quo efficaciora reddant vincula cum communitatibus ecclesialibus, adiutricem suam operam conferent etiam per intervalla tantum ac secundum definitam cuiusque peritiam, sacerdotes, diaconi, religiosi, religiosae, laici ex diversis rei pastoralis campis.[11]

Art. 6

Omnes autem officio se astringi noverint sedulitatem constanter servandi, se ipsos progressione quadam renovandi nec non sese vere inserendi in vitam actionemque pastoralem dioecesanam; quod si sacerdotes sunt, etiam curam animarum actuose participent.[12]

Art. 7

In novis normis de Vicariatus Urbis ministris,[13] quae Nobis comprobandae erunt, agendi rationes enuntiabuntur de functione et opera ministrorum qui eundem apud Vicariatum famulantur, sub respectu moderationis, disciplinae rerumque oeconomicarum.

[9] Cfr PAULUS VI, Const. Ap. *Vicariae potestatis* (6 Ianuarii 1977), 1 § 2: *AAS* 69 (1977), 8.
[10] Cfr *ibid.,* 1 § 3: *l.m.* 9.
[11] Cfr *ibid.,* 1 § 4: *l.m.*
[12] Cfr *ibid.,* 1 § 5: *l.m.*
[13] Cfr *ibid.,* Regulae Vicariatus, 24: *l.m.* 18.

Titulus II

CENTRALIS STRUCTURA VICARIATUS

Art. 8

Vicariatus Urbis, Sanctae Sedis institutum quod personalitate iuridica et administrationis propria facultate pollet, dioecesanae Curiae munera gerit,[14] quae tamen collustratur peculiari natura dioecesis Romanae. Quapropter, ratione quadam subsidiaria, communis iuris normae in eo usurpantur, prout consentaneae sunt illius indoli et functioni.

Art. 9

Intra Romanae dioecesis fines, fideles qui in territorio Civitatis Vaticanae inveniuntur iurisdictioni Archipresbyteri pro tempore basilicae Vaticanae sunt obnoxii, qui est Noster Vicarius generalis pro Civitate Vaticana.[15]

Art. 10

Cardinalis Vicarius, nomine et mandato Nostro, obit episcopale ministerium magisterii, sanctificationis et regiminis pastoralis pro dioecesi Romana potestate ordinaria vicaria intra terminos a Nobis signatos. Habet idcirco ille altam veramque Vicariatus moderationem, atque iudex ordinarius stat dioecesis Romanae.[16]

Art. 11

Cardinalis Vicarius statis temporibus atque quotiens ei visum fuerit de opere pastorali ac vita ipsa dioecesis ad Nos referat. Nominatim ne quidquam grave agat, nisi antea Nobis significaverit.[17]

[14] **Cfr** PAULUS **VI, Const. Ap.** ***Vicariae potestatis*** (6 **Ianuarii** 1977), **Principia directoria,** 1: ***AAS*** 69 (1977), 8.

[15] **Cfr *ibid.,* Normae** 2 § 2: ***l.m.*** 10; IOANNES PAULUS II, **Chirographum *Dopo la costituzione*** (14 **Ianuarii** 1991): ***AAS*** 83 (1991), 147-148.

[16] **Cfr** PAULUS **VI, Const. Ap.** ***Vicariae potestatis*** (6 **Ianuarii** 1977), 2 § 1; 3 § 2: ***AAS*** 69 (1977), 9-10; 12.

[17] **Cfr *ibid.,*** 2 §§ 10-11: ***l.m.*** 11-12.

Art. 12

Cardinalis Vicarius legitimus est curator negotiorum dioecesis Romanae nec non Vicariatus Urbis.

Art. 13

Cardinalis Vicarius non cessat ab officio Apostolica Sede vacante.[18]

Art. 14

Cardinalis Vicarius adiuvatur a Vices Gerente et ab Episcopis auxiliaribus a Nobis nominatis.[19]

Art. 15

§ 1 - Vices Gerens, qui Archiepiscopi titulo honestatur, exercet iurisdictionem ordinariam vicariam intra limites statutos, arta servata coniunctione et communione cum Cardinale Vicario, ipseque curam dabit ut Cardinalis Vicarii normae directoriae observentur atque sinceram communionis voluntatem inter omnes Curiae dioecesanae partes promovebit.[20]

§ 2 - Munera quoque sustinet Cardinalis Vicarii propria, eo impedito vel absente aut eius officio vacante.[21]

Art. 16

Vices Gerentis officium non cessat, vacante Sede Apostolica.[22]

Art. 17

§ 1 - Auxiliares Episcopi potestate fruuntur Vicariorum episcopalium atque ministerium pastorale gerunt in certa quadam regione vel in pastoralis operis provincia cui sunt destinati, vel in utraque.[23]

[18] **Cfr** PAULUS **VI, Const. Ap.** ***Vicariae potestatis*** **(6 Ianuarii 1977), 2 § 1:** ***AAS*** **69 (1977), 10-11;** IOANNES PAULUS **II, Const. Ap.** ***Universi Dominici gregis*** **(22 Februarii 1996), 14:** ***AAS*** **88 (1996), 305-343.**

[19] **Cfr** PAULUS **VI, Const. Ap.** ***Vicariae potestatis*** **(6 Ianuarii 1977), 2 § 3:** ***AAS*** **69 (1977), 10.**

[20] **Cfr** ***ibid.,*** **2 § 4; 3 § 3:** ***l.m.*** **10; 12.**

[21] **Cfr** ***ibid.,*** **2 § 4:** ***l.m.*** **10.**

[22] **Cfr** ***ibid.***

[23] **Cfr** ***ibid.,*** **2 § 5:** ***l.m.*** **12.**

§ 2 - In tota dioecesi ipsi facultate ordinaria pollent sacramenta sacramentaliaque ministrandi nec non matrimoniorum celebrationi assistendi. Omnes insuper habent facultates, quas Cardinalis Vicarius eis suo decreto tribuerit. Quod ad Sacras pertinet Ordinationes normis subiciuntur cann. 1015-1017 C.I.C.[24]

§ 3 - Quoad facultates, quae in superiore paragrapho sunt enuntiatae, can. 409 § 2 C.I.C adhibetur.

Art. 18

Praelatus Secretarius, a Nobis designatus Cardinale Vicario exhibente, munus sustinet moderandi Vicariatus Officia. Eius est Cardinalem Vicarium et Vices Gerentem in negotiis agendis adiuvare nec non res componere quae cum actis administrativis nectuntur atque curare ut reliqui Vicariatus ministri fideliter sua officia gerant.[25]

Titulus III

COETUS CONSILIARIORUM VICARIATUS

Art. 19

Consilio episcopali praesidet Cardinalis Vicarius, atque constat Vices Gerente, auxiliaribus Episcopis[26] ac Praelato secretario.

Art. 20

Cardinalis Vicarius iudicio Consilii parochorum praefectorum utitur, ad pastoralia dioecesana proposita componenda et comprobanda utque directoria proximae pastoralis actionis lineamenta designentur.[27]

[24] **Cfr** PAULUS **VI, Const. Ap.** ***Vicariae potestatis*** **(6 Ianuarii 1977), 2 § 5:** ***AAS*** **69 (1977), 12.**

[25] **Cfr** ***ibid.,*** **3 § 4; 4:** ***l.m.*** **12-13.**

[26] **Cfr** ***ibid.,*** **2 § 6; 3 § 4:** ***l.m.*** **11-12.**

[27] **Cfr** ***ibid.,*** **2 § 8:** ***l.m.*** **11.**

Art. 21

Cardinalis Vicarius iudicio quoque utitur aliorum consiliorum dioecesanorum:[28] Collegio videlicet consultorum,[29] Consilio presbyterali[30] atque Consilio pastorali,[31] quae propriis constitutionibus ab eo comprobatis reguntur.

Art. 22

§ 1 - Consilium dioecesanum a rebus oeconomicis,[32] cui praesidet Cardinalis Vicarius vel Vices Gerens, singulis annis debet subducere praeviam computationem procurationis oeconomicarum rerum atque introituum et exituum summariam rationem quae pro universo dioecesis regimine praevidentur nec non rationem accepti et expensi probare.

§ 2 - Cardinalis Vicarius de negotiis maioris momenti Consilium sententiam rogat.

Titulus IV

VICARIATUS OFFICIA

Art. 23

Vicariatus, seu Curia dioecesana Romae, officiis rei pastoralis atque rei administrativae constat nec non tribunalibus.[33]

Art. 24

Ut opem ferat Cardinali Vicario propria negotia agenti, Vices Gerenti, auxiliaribus Episcopis et Praelato secretario generali secretariae Officium constituitur.

[28] Cfr PAULUS VI, Const. Ap. *Vicariae potestatis* (6 Ianuarii 1977), 2 § 7: *AAS* 69 (1977), 12.

[29] Cfr *Codex Iuris Canonici,* can. 502.

[30] Cfr *ibid.,* can. 495 ss.

[31] Cfr *ibid.,* can. 511 ss.

[32] Cfr *ibid.,* can. 492 ss.

[33] Cfr PAULUS VI, Const. Ap. *Vicariae potestatis* (6 Ianuarii 1977), 3 § 1: *AAS* 69 (1977), 12; art. 8 praesentis Constitutionis et - prout congruit - *Codex Iuris Canonici,* cann. 469-494.

Art. 25

§ 1 - Singula Officia praeter Moderatorem habere possunt Alterum a moderatore et unum pluresve Ministros.

§ 2 - Omnium officiorum Moderatores, sicut etiam dioecesis Romanae parochi, a Cardinale Vicario nominantur, Nobis antea comprobantibus; Alteri autem a moderatoribus ceterique ministri a Cardinale Vicario nominantur.

Art. 26

Cancellarius facultatibus fruitur, quas Codex Iuris Canonici[34] eidem tribuit, atque cancellariae Officium dirigit.

Art. 27

§ 1 - Oeconomus facultatibus fruitur quas Codex Iuris Canonici tribuit ei atque administrationis Officium dirigit.

§ 2 - Oeconomus dioecesanus ad quinquennium[35] designatur, qui tamen ad continuata ulteriora etiam mandata confirmari potest.

Art. 28

Ut dioecesis necessitatibus occurratur, secundum principia et normas quae supra sunt significata, haec in Vicariatu officia conduntur, videlicet sedes et ministeria, quae, etsi variis appellantur nominibus, tamen inter se gradu non differunt:

O ***pastoralis indolis***

- Officium catecheticum et Ministerium pro catechumenatu
- Officium pastoralis curae scholarum et religiosae institutionis
- Officium pro catholicis scholis
- Officium liturgicum
- Officium cleri
- Ministerium pro clericorum continuata institutione

[34] **Cfr cann. 474 et 482-488, prout congruunt.**
[35] ***Codex Iuris Canonici,* can. 494.**

- Officium de vita consecrata
- Ministerium pro vocationibus
- Officium pro laicorum sodaliciis et confraternitatibus
- Institutum de communi inter Ecclesias missionali opera
- Officium ad oecumenismum adiuvandum nec non dialogum inter religiones et novos cultus
- « Caritas » dioecesana
- Officium de pastorali migrantium cura
- Sedes pro apostolatu intra familias
- Ministerium pastorale pro iuvenibus
- Officium apostolatus pro Studiorum Universitatum alumnis
- Institutum pro valetudinis curatoribus
- Ministerium de socialibus operibus
- Sedes instrumentorum socialis communicationis
- Pastorale officium de liberis temporibus, de itineribus faciendis et ludicris exercitiis

• ***administrativi generis***

- Officium cancellariae
- Ministerium pro matrimoniis
- Tabularium generale
- Tabularium historicum dioecesanum
- Officium administrationis
- Officium de rebus iuridicialibus
- Officium pro sacris aedificiis
- Sedes notionibus et numeris digerendis

Art. 29

Apud Vicariatum Urbis est constitutum, Cardinale Vicario praeside, Opus Romanum Peregrinationum quod, ut sua proposita assequatur, propria constitutione ac ordinatione regitur, ab ipso Cardinale Vicario comprobatis.

Art. 30

§ 1 - Cardinalis Vicarius — Nobis antea comprobantibus — potestatem habet nova Officia pastoralia condendi et immutandi aut exstinguendi exsistentia, uberiore quodam iudicio quod progrediens ad pastorales necessitates poscit accommodatio.

§ 2 - Cardinalis Vicarius commissiones dioecesanas naturae consultoriae constituere potest, quae in negotiis gerendis ad legitima Officia referuntur.

Titulus V

TRIBUNALIA

Art. 31

Apud Vicariatum Romanum tria diversa sunt Tribunalia, videlicet:

- Tribunal ordinarium Romanae dioecesis.[36]

- Tribunal regionale Latii primae instantiae pro causis nullitatis matrimonii.[37]

- Tribunal Appellationis.[38]

Art. 32

§ 1 - Cardinalis Vicarius, pro ordinaria potestate vicaria quam Summi Pontificis nomine sustinet, iudex est ordinarius[39] dioecesis Romanae ac tribunalium Moderator.[40]

§ 2 - Romae Vices Gerens in tribunalia propriam Cardinalis Vicarii potestatem exercet eo absente vel impedito, aut ipsius officio vacante.[41]

[36] Cfr PAULUS VI, Const. Ap. *Vicariae potestatis* (6 Ianuarii 1977), 12 § 1: *AAS* 69 (1977), 15; *Codex Iuris Canonici,* can. 1419 § 1.

[37] Cfr PIUS XI, Litt. Ap. *Qua cura* (8 Decembris 1938): *AAS* 30 (1938), 410-413; *Codex Iuris Canonici,* can. 1423.

[38] Cfr IOANNES PAULUS II, Litt. Ap. *Sollicita cura* (26 Decembris 1987): *AAS* 80 (1988), 121-124; *Codex Iuris Canonici,* can. 1439.

[39] Cfr *Codex Iuris Canonici,* can. 1419.

[40] Cfr PAULUS VI, Const. Ap. *Vicariae potestatis* (6 Ianuarii 1977), 12 § 2: *AAS* 69 (1977), 15; IOANNES PAULUS II, Litt. Ap. *Sollicita cura* (26 Decembris 1987), sub «b»: *AAS* 80 (1988), 123.

[41] Cfr PAULUS VI, Const. Ap. *Vicariae potestate* (6 Ianuarii 1977), 12 § 2: *AAS* 69 (1977), 15

Art. 33

Singula tribunalia consistunt ex Vicario iudiciali, aequo numero Vice-officialium additorum, ex iudicibus, promotoribus iustitiae ac defensoribus vinculi, ex Cancellario, congruo numero notariorum[42] et rninistris auxiliaribus.

Art. 34

§ 1 - Vicarii iudiciales tribunalium quae supra memoravimus ad quinquennium a Nobis nominantur,[43] qui ad continuata ulteriora etiam mandata confirmari possunt. Ad tribunal ordinarium Romanae dioecesis designatio fiet proponente Cardinale Vicario; ad tribunal Primae Instantiae pro causis nullitatis matrimonii atque ad tribunal Appellationis nominationes fiant proponente Cardinale Vicario, consentiente Conferentia episcopali Latii.

§ 2 - Vicarii iudiciales additicii atque iudices a Cardinale Vicario ad quinquennium destinantur,[44] Nobis antea comprobantibus, qui ad continuata ulteriora mandata etiam confirmari possunt. Cum agitur de nominationibus pro tribunali Primae Instantiae pro causis nullitatis matrimonii[40] et pro tribunali Appellationis,[46] Cardinalis Vicarius, Conferentia episcopali Latii audita, officium tribuet.

§ 3 - Promotores iustitiae, defensores vinculi, cancellarii, notarii ceterique ministri cuncti a Cardinale Vicario designantur. Quod autem attinet ad nominationem promotorum iustitiae ac defensorum Vinculi pro tribunali Primae Instantiae pro causis nullitatis matrimonii nec non pro tribunali Appellationis, Cardinalis Vicarius munus concredet audita Conferentia episcopali Latii.

Art. 35

§ 1 - Praescripto salvo can. 1490 C.I.C. in supradictis tribunalibus gerunt personas patronorum et procuratorum partium pro causis matrimonia-

[42] Cfr PAULUS VI, Const. Ap. *Vicariae potestatis* (6 Ianuarii 1977), 13: *AAS* 69 (1977), 15; can. *Codex Iuris Canonici,* can. 1420-1437.

[43] Cfr *Codex Iuris Canonici,* can. 1422; PAULUS VI, Const. Ap. *Vicariae potestatis* (6 Ianuarii 1977), 14: *AAS* 69 (1977), 15.

[44] Cfr *Codex Iuris Canonici,* can. 1422.

[45] Cfr PAULUS VI, Const. Ap. *Vicariae potestatis* (6 Ianuarii 1977), 14: *AAS* 69 (1977), 15.

[46] Cfr IOANNES PAULUS II, Litt. Ap. *Sollicita cura* (26 Decembris 1987), sub «c»: *AAS* 80 (1988), 123.

libus ii qui, in Albo Procuratorum et Advocatorum tribunalis Romanae Rotae iam inscripti, a Cardinale Vicario comprobantur.

§ 2 - Alii patroni et procuratores, iis non exceptis qui in indicibus continentur ceterorum tribunalium ecclesiasticorum, patrocinium suscipere possunt dumtaxat si in singulis casibus a Cardinale Vicario comprobantur.[47]

§ 3 - Peritorum agere partes possunt ii qui a Cardinale Vicario per ipsius decretum admittuntur.

Art. 36

§ 1 - Vicarius iudicialis administrativam, disciplinarem et oeconomicam sui tribunalis auctoritatem exercet atque Moderatori rationem reddere debet.[48]

§ 2 - Singula tribunalia propriam administrationem habent.[49]

§ 3 - Tribunalia, prout eorum iuridica condicio patitur, mandata servabunt quae dabit Conferentia episcopalis Italiae tam de regimine administrativo quam de normis ad opus patronorum temperandum.

Art. 37

Vicarius iudicialis cuiusque tribunalis interiores regulas sui tribunalis Cardinali Vicario exhibet ab eo per decretum comprobandas, Conferentia episcopali Latii audita si agitur de regulis ad tribunal Primae Instantiae spectantibus pro causis nullitatis matrimonii, itemque de tribunali Appellationis. Hae regulae, quae adduntur iis, quas iam decernunt Codex Iuris Canonici et praescripta Conferentiae episcopalis Italiae, prout superiore articulo sunt memorata, rationes definire debent ad administrativum, disciplinare et oeconomicum tribunalis opus gubernandum.[50]

[47] Cfr Conferentia episcopalis Italiae, *Norme circa il regime amministrativo dei Tribunali Ecclesiastici Regionali italiam e l'attività di patrocinio svolta presso gli stessi,* 5 § 1: Notiziario della C.E.I, n. 2, 26 Martii 1997.

[48] Cfr PAULUS VI, Const. Ap. *Vicariae potestatis* (6 Ianuarii 1977), 15: *AAS* 69 (1977), 15-16.

[49] Cfr *ibid.,* 13: *l.m.* 15; IOANNES PAULUS II, Litt. Ap, *Sollicita cura* (26 Decembris 1987), sub «d»: *AAS* 80 (1988), 123.

[50] Cfr PAULUS VI, Const. Ap. *Vicariae potestatis* (6 Ianuarii 1977), 16-17: *AAS* 69 (1977), 16.

Art. 38

§ 1 - Tribunal ordinarium dioecesis Romanae, quod cann. 1419-1437 C.I.C. regitur, munus in causis explet quas Codex committit tribunali dioecesano primi gradus, exceptis causis nullitatis matrimonii.

§ 2 - Tribunal ordinarium agitât causas quoque Sanctorum, secundum peculiaria mandata quae Apostolica Sedes edixit, causas solutionis ***super rato et non consummato,*** causas solutionis vinculi ***in favorem fidei.***

§ 3 - Ad eius Vicarium iudicialem pertinet exquirere elementa, quae ad definiendum forum competens can. 1673 nn. 3-4 C.I.C. poscit, itemque suum dare congruum consensum.[51]

§ 4 - Ab hoc tribunali appellatur ad tribunal Appellationis Vicariatus Romani vel ad tribunal Romanae Rotae.[52]

Art. 39

§ 1 - Tribunal Primae Instantiae pro causis nullitatis matrimonii potestatem habet, haud secus quam statuitur Litteris Apostolicis motu proprio datis, quarum titulus ***Qua cura,*** tractandi causas nullitatis matrimonii Latii.[53]

§ 2 - Ab hoc tribunali ad tribunal Appellationis Vicariatus Romani vel ad tribunal Romanae Rotae appellatur.

Art. 40

§ 1 - Tribunal Appellationis causas excutit quae in primo gradu sunt definitae:

- a Tribunali ordinario dioecesis Romanae;
- a Tribunali Primae Instantiae pro causis nullitatis matrimonii regionis Latii;
- a Tribunalibus regionalibus Campano ac Sardiniensi pro causis nullitatis matrimonii;

[51] PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI AUTHENTICE INTERPRETANDO, ***Responsio*** **diei** 28 **Februarii** 1986: ***AAS*** 78 (1986), 1323.

[52] **Cfr** IOANNES PAULUS II, **Litt. Ap.** ***Sollicita cura*** (26 **Decembris** 1987), **sub «a»:** ***AAS*** 80 (1988), 123.

[53] **Cfr** ***sub I.: AAS*** 30 (1938), 412; ***Codex Iuris Canonici,*** **can.** 1423 § 2.

- a Tribunalibus dioecesanis dioecesium Latii;
- a Tribunali Ordinariatus Militaris pro Italia;[54]
- a Tribunali Praelaturae personalis Sanctae Crucis et Operis Dei;[55]

§ 2 - Ab hoc tribunali ad Rotae Romanae tribunal appellatur.[56]

Hae leges normaeque volumus nunc et futuro de tempore plenam vim habeant initio ducto a die i mensis Maii, anno MCMXCVIII, minime obstantibus quibuslibet rebus contrariis, etiam Constitutionibus et Apostolicis Ordinationibus, quas Nos Decessoresque Nostri statuimus, aliisque praescriptis, vel peculiarissima mentione dignis.

Datum Romae, apud S. Petrum, die i mensis Ianuarii, in sollemnitate Sanctae Dei Genetricis Mariae, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

IOANNES PAULUS PP. II

II

PARANATINGUENSIS

In Brasilia nova conditur Praelatura territorialis Paranatinguensis

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ecclesia sancta Dei in omni floret terrarum orbis plaga; quapropter novae passim constituuntur episcopales sedes quae simul eiusdem floris praeclara sunt documenta. Communi hinc consilio Venerabiles Fratres Gentilis Delázari Episcopus Sinopensis, tum etiam Antonius Sarto Antistes Barragartiensis et Osorius Villebaldus Stoffel Apostolicus Administrator Rondonopolitanus, ab hac Sede efflagitaverunt ut, dicionum ecclesiasticarum suarum finibus contractis, nova inde excitaretur Praelatura territorialis. Iudicio autem percepto Venerabilis Fratris Alfii Rapisarda Archiepiscopi titulo Cannensis et in Brasilia Nuntii Apostolici, adsentiente pariter ipsa Congre-

[54] **Cfr** SUPREMUM TRIBUNAL SIGNATURAE APOSTOLICAE, ***Decretum prot. 4420/88 SAT,*** **diei** 22 **Septembris** 1988.

[55] **Cfr** ID., ***Decretum prot. 4419/1196 SAT,*** **diei** 15 **Ianuarii** 1996.

[56] ***Codex Iuris Canonici,*** **can.** 1444.

Al compimento di tale età, la Società di Assicurazione erogherà la prima rata della rendita.

§ 2. L'importo della prima annualità sarà pari al rateo di pensione maturato alla cessazione dal servizio, calcolato secondo le disposizioni del Regolamento Pensioni vigente e rivalutato all'anno di godimento in base alle variazioni dell'indice IST AT dei prezzi al consumo per le famiglie di operai ed impiegati della città di Roma.

Le rate successive alla prima saranno rivalutate annualmente secondo il criterio precedentemente indicato.

§ 3. Il godimento della rendita vitalizia inizierà al termine del periodo di differimento, in caso di sopravvivenza dell'assicurato a tale data, e continuerà fino al decesso di quest'ultimo.

§ 4. In caso di premorienza dell'assicurato durante il periodo di differimento della rendita, ai superstiti designati dall'assicurato-beneficiario sarà versato il premio pagato aumentato delle quote annuali di adeguamento in conformità al criterio indicato al precedente 2° comma.

§ 5. Qualora la morte del dipendente cessato dal servizio avvenga prima dell'accensione della polizza assicurativa, il Fondo Pensioni verserà il rateo di pensione maturato alla cessazione dal servizio ai superstiti del dipendente, individuati secondo la normativa applicata in relazione all'ordinamento pensionistico vaticano.

Art. 4

(versamento del premio)

Il Fondo Pensioni, all'accensione della polizza, verserà alla Società di Assicurazione prescelta dallo stesso Fondo il premio unico che è a totale suo carico.

Art. 5

(impegno del Fondo)

L'Ufficio del Fondo Pensioni si impegna con una dichiarazione scritta, che costituisce parte integrante della polizza, a rinunciare alla revoca o modifica della designazione del « beneficiario ».

Art. 6

(riscatto della polizza)

Nel caso in cui l'assicurato-beneficiario sia riassunto in servizio, l'Ufficio del Fondo Pensioni, dietro autorizzazione scritta dello stesso assicurato, riscatterà la polizza per ricongiungere, agli effetti della pensione, differenti periodi di servizio.

TITOLO II

Riscatto di periodi di studi universitari trascorsi prima dell'assunzione in servizio (Art. 12, 2° comma)

Art. 7

(incidenza del riscatto)

Il riscatto del periodo di corso legale degli studi universitari incide solo sulla misura della pensione.

Art. 8

(procedura)

La domanda di riscatto, compilata su apposito modello fornito dall'Ufficio del Fondo Pensioni, deve essere presentata dal dipendente all'« Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica — Gestione del Fondo Pensioni» corredata della prescritta documentazione (Allegato A).

Art. 9

(riscatto di anni residui)

Il dipendente in servizio al 31 dicembre 1992 ed in possesso del diploma di laurea, che ai sensi dell'Art. 12, 3° comma del vigente Regolamento Pen-

sioni beneficia degli effetti derivanti dall'Art. 18 del Regolamento Pensioni del 23 dicembre 1963, può richiedere, sempre che ne sussistano le condizioni, il riscatto del residuo numero di anni della durata statutaria del corso di studi relativo alla medesima laurea.

Art. 10

(conseguimento del diploma dopo l'assunzione)

Il dipendente che abbia conseguito il diploma dopo l'assunzione in servizio può chiedere il riscatto solo per i periodi di studio trascorsi prima dell'assunzione.

I periodi di studio da riscattare si ricavano moltiplicando la durata statutaria dei corsi per un coefficiente dato dal rapporto tra il numero di esami sostenuti con esito favorevole ed il numero complessivo degli esami previsti dagli statuti dei singoli corsi.

Art. 11

(titolari di più diplomi)

I titolari di più diplomi possono riscattarne uno solo, a loro scelta.

Art. 12

(limiti del riscatto)

Il riscatto deve riferirsi al periodo di studi universitari del corso cui si riferisce il diploma conseguito, nel limite massimo della sua durata statutaria, e può essere chiesto anche limitatamente a singoli periodi di studio.

In questo caso i restanti periodi di studio della durata statutaria del corso potranno essere oggetto di una o più domande di riscatto in tempi successivi.

Art. 13

(entità del riscatto)

L'entità del riscatto è stabilita dal Presidente dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica a norma dell'Art. 12, 2° comma del Regolamento Pensioni 1992.

Art. 14

(pagamento del riscatto)

§ 1. Il pagamento del riscatto potrà essere eseguito in un'unica soluzione oppure, in tutto o in parte in forma dilazionata per un massimo di 60 rate mensili costanti comprensive di interessi.

§ 2. Il numero delle rate non potrà comunque essere superiore al numero di mesi di effettivo servizio residuo del dipendente.

§ 3. Il tasso di interesse annuo per il pagamento dilazionato è pari al tasso annuo medio di rendimento tecnico finanziario del Fondo Pensioni, relativo all'anno nel quale viene chiesta la dilazione.

Art. 15

(esito della domanda)

L'Ufficio del Fondo Pensioni, entro 60 giorni dal ricevimento della domanda, notifica mediante raccomandata A/R all'interessato il provvedimento di accoglimento o di rigetto della domanda.

Art. 16

(termine di pagamento)

§ 1. Il pagamento del riscatto in un'unica soluzione o della parte non dilazionata, dovrà essere effettuato entro il termine di 30 giorni dal ricevimento della raccomandata A/R di notifica del provvedimento di accoglimento della domanda.

§ 2. Il termine di pagamento sopra indicato è perentorio e la sua inosservanza determina automaticamente la caducazione della concessione.

§ 3. Se la domanda di riscatto viene presentata alla cessazione dal servizio, la somma da pagare sarà ritenuta per intero sulla liquidazione.

Art. 17

(pagamento rateale)

§ 1. Le rate del pagamento dilazionato dovranno essere pagate tramite l'Amministrazione di appartenenza del dipendente, con ritenute mensili sul-

la retribuzione a decorrere dal mese successivo alla data di accoglimento della domanda.

§ 2. In caso di sospensione della retribuzione, anche per eventuali collocamenti in aspettativa, sarà cura del dipendente, per evitare la revoca della concessione della dilazione di pagamento, versare in ogni modo alla propria Amministrazione le rate di scadenza.

§ 3. I versamenti al Fondo Pensione delle rate mensili dei riscatti verranno effettuati da ciascuna Amministrazione entro il decimo giorno successivo alla fine di ciascun mese di competenza (cf Art. 8, 3° comma Regolamento Pensioni 1992).

§ 4. Qualora l'Amministrazione, per atti o fatti del dipendente, non possa effettuare il pagamento della rata in scadenza entro il termine perentorio di cui al precedente 2° comma, la concessione della dilazione di pagamento è revocata automaticamente e senza ulteriore avviso ed il periodo temporale riscattato è commisurato alla parte di capitale già rimborsato in base alle rate pagate in conformità alle presenti norme.

Art. 18
(estinzione anticipata del debito)

§ 1. Il dipendente, in ogni caso, ha facoltà di estinguere il pagamento dilazionato mediante versamento dell'intero debito residuo, maggiorato degli interessi maturati dalla data di scadenza dell'ultima rata pagata fino alla data del versamento a saldo.

§ 2. Gli interessi di cui al precedente I° comma sono da computarsi come interessi semplici al tasso d'interesse annuo di cui al precedente Art. 14, 3° comma, assumendo come riferimento l'anno civile.

§ 3. La domanda di anticipata estinzione del pagamento dilazionato, deve essere presentata all'Ufficio del Fondo Pensioni entro i primi dieci giorni del mese successivo al mese di scadenza dell'ultima rata pagata.

§ 4. Il pagamento del debito residuo e dei relativi interessi dovrà essere effettuato entro il termine perentorio di 30 giorni dal ricevimento della raccomandata A/R di notifica del provvedimento di accoglimento della domanda di estinzione anticipata del debito.

Il mancato pagamento determina automaticamente la revoca della domanda di estinzione anticipata.

Art. 19

(revoca della dilazione di pagamento)

§ 1. Al dipendente che per qualsiasi motivo cessa dal servizio, viene automaticamente revocata la concessione del pagamento dilazionato.

Ove non sia esercitata la facoltà di cui al successivo 2° comma, il periodo temporale già riscattato è commisurato alla parte di capitale già rimborsato in base alle rate pagate in conformità alle presenti norme.

§ 2. È data facoltà di estinguere, alle condizioni di cui all'Art. 18, I°, 2° e 4° comma, l'intero debito residuo.

La domanda dovrà essere presentata all'Ufficio del Fondo Pensioni entro il termine perentorio di 30 giorni dalla data di cessazione dal servizio e la sua inosservanza determina automaticamente la caducazione della concessione.

Città del Vaticano, 16 Febbraio 1998.

ffi ANGELO card. SODANO

Adnexum

Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica — Gestione del Fondo Pensioni

DOMANDA DI RISCATTO DI PERIODI DI STUDI UNIVERSITARI TRASCORSI PRIMA DELL'ASSUNZIONE IN SERVIZIO
(Art. 12 § 2 Reg. Pensioni 1992)

Il sottoscritto...matricola ....
cognome **nome**

nato il...in...
città **nazione**

Residenza: città C.A.P. Provincia ....

indirizzo..tel. ....

Stato civile ....

Amministrazione di appartenenza ....

Domicilio eletto in Vaticano...

Data di assunzione in servizio ....

Titolo di studio per il quale si chiede il riscatto

Conseguito il...................................presso ....
università

chiede ai sensi dell'art. 12 § 2 del Regolamento Pensioni 1992 di riscattare il periodo dal...al ....

pari ad anni e mesi ....

Per il versamento del contributo dovuto per il riscatto, il sottoscritto dichiara di aver scelto il pagamento:

- in forma dilazionata, autorizzando fin d'ora l'Amministrazione di appartenenza ad operare le relative ritenute sulla retribuzione mensile;
- in unica soluzione.

DOCUMENTAZIONE ALLEGATA

- copia autentica diploma di laurea o diploma universitario relativa al corso di cui si chiede il riscatto;
- certificazione rilasciata dai competenti organi universitari circa la durata statutaria del corso e gli anni accademici in cui si è svolto il corso;
- copia cedola retribuzione mese antecedente alla domanda;

Vaticano, firma

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

GUADALAIAREN.

Beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Vincentiae a S. Dorothea (in saec.: Vincentiae Chávez Orozco) fundatricis Congregationis Ancillarum a SS. Trinitate et a Pauperibus (1867-1949)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria Vincentia a Sancta Dorothea (in saeculo: Vincentia Chávez Orozco) orta est in Mexico, in urbe Cotija (intra fines provinciae Michoácan sita), postridie nonas Februarias anno 1867. Pro aegrotis assiduitate praebenda proque puerorum christiana educatione Congregationem Ancillarum a SS. Trinitate et a Pauperibus condidit. Anno 1910 professionem fecit temporaneam et anno 1915 professionem perpetuam. Institutum suum alacriter, diligenter et spiritus cum sacrificio usque ad annum 1942 rexit, non paucas superans difficultates et aerumnas, quas mirabili cum patientia pertulit. Pie mortua est die 30 mensis Iulii anno 1949, fama sanctitatis insignis.

Beatificationis et canonizationis Causa inchoata est ab Archiepiscopo Guadalaiarensi anno 1966. Rite iis peractis, quae ius statuit, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, die 21 mensis Decembris anno 1991, declaravit Servam Dei heroum in modum virtutes théologales, cardinales et his adnexas observavisse.

Causae Postulatio, eiusdem Servae Dei beatificationis respectu, Congregationis de Causis Sanctorum iudicio permisit coniectam miram sanationem Tuxpaniae (in Jalisco) ad Mexicum pertinentis effectam et eiusdem Venerabilis intercessioni tributam. Casus hic spectat ad puerulum Michaelem Tejeda septem anno natum qui die 3 mensis Novembris anno 1951 est pedis dextri infortunio affectus, qui rotae insertus est vehiculi ab animalibus tracti. Hoc infractionem suscitavit capsulae et tali commissurarum, ita ut

pes penderet, parte posteriori cruris unice coniunctus. Postquam est in valetudinarium deductus, medici, cognita vulneris gravitate consilium significaverunt pedem amputandi, sed mater pueri fortiter obstitit; vulnus igitur expurgaverunt, texta resecuerunt necrosi correpta, ossa in suam sedem reposuerunt, puris deductionem suerunt et gypsum induxerunt. Cum amputationis timor duraret, ipse aegrotus, mater eius, aliquae Ancillae a SS. Trinitate et a Pauperibus aliaeque personae intercessionem invocaverunt Servae Dei Vincentiae a Sancta Dorothea ut sanationem obtinerent a Deo. Postridie curans non solum non est ad amputationem conversus, sed repperit instaurationem arteriarum pedis atque contagionis absentiam. Cogitatum est etiam de insitione dermatica, sed gypso ablato processus cicatricem glutinandi apparuit omnino ordinatus. Ratione ex scientia inexplicabili puer Michael plene et sine detractione tali commissuram recuperavit.

De sanatione, extemplo intercessioni ascripta eidem Venerabili, annis 1970-1971 apud Curiam Guadalaiarensem instructus est Processus canonicus, qui est a Congregatione de Causis Sanctorum probatus decreto postridie calendas Octobres anno 1992 promulgato. Medicorum Consilium Dicasterii, in sessione die 10 mensis Octobris habita anno 1996, una voce edixit sanationem fuisse rapidam, completam, mansuram ac pro scientia inexplicabilem. Die 10 mensis Ianuarii anno 1997 Consultorum Theologorum est actus Congressus Peculiaris et die 8 mensis Aprilis insecuti Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali -Eduardo Francisco Pironio. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, die 27 mensis Iunii hoc eodem anno, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Serva Dei Maria Vincentia a Sancta Dorothea (in saec.: Vincentia Chávez Orozco), Fundatrice Congregationis Ancillarum a SS. Trinitate et a Pauperibus, videlicet de rapida, completa ac mansura sanatione pueri Michaelis Tejeda a « grave frattura esposta del collo del piede destro con lacerazione della capsula***

articolare, dei legamenti collaterali esterno e interno, con sezione di numerosi tendini, arterie e nervi, rimanendo congiunto il piede alla gamba per mezzo del tendine di Achille, cute e arteria tibiale posteriore ».

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 7 mensis Iulii A. D. 1997.

'£8 ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. ©S.

£B Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

INDIANAPOLITANA

Beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Theodorae Guérin (in saec.: Annae Teresiae) Fundatricis Sororum a Providentia Sanctae Mariae ad Nemus (1798-1856)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Theodora Guérin (in saeculo: Anna Teresia Guérin) in Gallia nata est, in pago Etables-sur-Mer, intra fines posito dioecesis Briocensis, postridie calendas Octobres anno 1798. Congregationem ingressa Sororum a Providentia, professionem fecit religiosam anno 1825. In patria impigram et fructuosam explicavit industriam pro pauperibus et in suo Instituto muneribus est iuncta magni ponderis. Ad apostolatum exercendum missa in Foederatas Civitates Americae Septentrionalis, gravia obiit incommoda et difficultates. Conditrix facta et antistita generalis Congregationis Sororum a Providentia Sanctae Mariae ad Nemus, in bonum incubuit Sororum atque animarum. Fama sanctitatis insignis pridie est defuncta idus Maias anno 1856.

Beatificationis et canonizationis Causa anno 1909 inita est ab Episcopo Indianapolitano. Decretum de virtutibus heroum in modum cultis promulgatum est coram Summo Pontifice Ioanne Paulo II die 11 mensis Iulii anno 1992.

Beatificationis prospectu, Causae Postulatio Congregationi de Causis Sanctorum iudicandam permisit miram coniectam sanationem, intercessioni

ascriptam eiusdem Servae Dei. Casus pertinet ad Sororem Mariam Theodosiam Mug, sodalem Congregationis a Providentia Sanctae Mariae ad Nemus, quae unius et quadraginta annorum neurite laborare coepit umerum et brachium dextrum afficiente. Deinde ei diagnosis facta est de abdominis tumore; sed sectionem chirurgicam recusavit. Anno 1906 Soror massam notavit in mamilla sinistra, quam medici iudicaverunt tumorem esse malignum, « scirron » appellatum. Radicitus est secta, quandoquidem tumor iam processerat. Tribus post mensibus recidiva apparuit cum cellularum necrosi in eadem tumoris sede. Aegrotae condiciones in deterius mutatae sunt gradatim, quocirca prognosis infausta facta est quoad vitam; interim tumor abdominis, qui non erat resectus, multum creverat, dolores suscitans et varias aegrae difficultates.

Vespere diei 30 mensis Octobris anno 1908 Soror Maria Theodosia, Servae Dei Theodorae Guérin sepulcrum visitans, eius intercessionem petiit. Insequenti mane, e somno expergefacta, animadvertit se esse penitus et semel sanatam.

Anno 1958 apud Curiam Indianapolitanam de coniecta mira sanatione est Processus celebratus apostolicus, cuius auctoritas et vis probata est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 10 mensis Februarii anno 1995 promulgatum. Dicasterii Consilium Medicorum in sessione die 20 habita mensis Novembris anno 1996, uno ore declaravit sanationem subitaneam fuisse, completam, stabilem et ex scientia inexplicabilem. Die mensis Martii 21 anno 1997 actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris et die 3 secuti mensis Iunii Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Eminentissimo Domino Cardinali Henrico Schwery.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, die 27 mensis Iunii hoc eodem anno, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de miraculo a Deo patrato intercedente Ven. Serva Dei***

Theodora Guérin (in saec.: Anna Teresia Guérin), Fundatrice Sororum a Providentia Sanctae Mariae ad Nemus, videlicet de subitanea, completa ac stabili sanatione Sororis Mariae Theodosiae Mug a « tumore maligno del seno sinistro in stadio avanzato con precoce recidiva locale e limitazione funzionale dolorosa del braccio, associata a patologia addominale clinicamente evidente ».

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 7 mensis Iulii A. D. 1997.

83 ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. 83 S..

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

LUCIONEN.

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Petri Monnereau sacerdotis dioecesani et parochi Fundatoris Congregationis Sororum Sacrorum Cordium Iesu et Mariae (1787-1856)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Pascite, qui est in vobis, gregem Dei, providentes non coacto sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris sed formae facti gregis » ***(1 Pe*** 5, 2-3).

Divini Pastoris vestigia secutus, sacerdos Petrus Monnereau libenter vitam consumpsit in Christi gregis pastorali servitio, vitae sanctitate et operum evangelium est testificatus, alacriter operam dedit Regno Dei aedificando in temporis sui societate atque efficaciter progressioni puellarum humanae et christianae consuluit pro quibus novam condidit congregationem religiosam.

Industrius hic Ecclesiae minister ortus est die 29 mensis Iulii anno 1787 in oppido Saint-Martin-des-Noyers, intra fines posito dioecesis Lucionensis, a Renato Monnereau et Margarita Groleau, qui prospexerunt ut eodem die baptizaretur. In familia bona est imbutus educatione religiosa et tredecim annorum primum se Sanctissima aluit Eucharistia. Eius institutioni schola privata providit; interim patrem adiuvabat in officina ac die dominica

pueros oppidi congregabat ut eos christianam doceret doctrinam. Anno 1807 seminarium ingressus est urbis Chavagnes, ubi se diligenter praeparavit ad sacerdotium moderante Venerabili Servo Dei Ludovico Maria Baudouin. Excelienti memoria eminuit, splendida intellegentia, multa pietate, caritate atque humilitate. Presbyter ordinatus die 25 mensis Augusti anno 1811, nomen professus est in consociationem Filiorum Mariae, privatim vota religiosa profitens.

Ministerium pastorale tamquam vicarius explicavit in variis paroeciis, peculiarem curam ostendens vocationum atque caritatis et paupertatis exercitationis. Anno 1814 eius Episcopus, a quo iam sanctus habebatur, parochum eum nominavit agrestis pagi Les Brouzils, cuius moralis et religiosa condicio minime felix erat. Omni ope et inexhausta pastorali caritate se dedidit populi evangelizationi et sanctificationi multiplicia provehens incepta, quae sacrificio ac precatione sustinuit.

Ut diffusam depelleret religiosam ignorantiam vehementer verbum Dei nuntiavit, christianam docuit doctrinam et Congregationem instituit Sororum Sacrorum Cordium Iesu et Mariae (anno 1818) puellis rusticis educandis. Quod Opus, sapienter a pio Conditore rectum, celeriter crevit et pluribus in locis diffusum est, simul aegrotis assiduitatem praebendam curans. Divinum fovit cultum et legum Dei atque Ecclesiae observantiam; contra peccatum contendit ac morales dissolutiones et sacramentum Paenitentiae administra vit assidue. Quaedam laicalia sodalicia condidit, missiones populares apparavit, sedulo curam adhibuit de iuvenum formatione christiana deque vocationibus sacerdotalibus, domo paroeciali in parvum quodammodo seminarium mutata. Liberalis fuit in pauperes et in mendicos; aegrotos visitabat et morientibus assidebat; sicut fratres suos dilexit vicarios, a quibus est redamatus et veneratus. Eius parochi et Conditoris vita distincta est aegritudinibus, inimicitiis et calumniis, quae numquam eius apostolicum studium, Dei fiduciam et caritatem erga superiores et proximos attenuaverunt. Quo munus suum fructuosius expleret, in via sanctitatis ambulavit atque cum gaudio, perseverantia et spiritali oblectatione virtutes coluit. Ipsae sacrae actiones quas exsequebatur excellens fuerunt illi instrumentum, ut in imitatione Christi progrederetur et in sacerdotali perfectione.

Fidem suam, limpidam et fortem, spem et caritatem nutrivit ferventi Missae celebratione et Liturgiae Horarum, meditatione, continua precatione. Litterae Sacrae, Christus Crucifixus, Sacra Iesu et Mariae Corda, Eucharistia lumen animae eius fuerunt eiusque navitatis.

Ecclesiae magisterio assensus est, semper Episcopis dioecesanis oboedivit. In communione vixit cum ceteris presbyteris, qui eum magistrum spiritalem sibi elegerunt. Divino flagrans amore, se abnega vit suamque cotidie vitam impendit in Dei gloriam, animarum salutem et bonum Ecclesiae. Pacem tulit in familias, suis calumniatoribus ignovit et malum vicit bono. Ab inanibus rebus mundi alienus fuit, Providentia confisus est, iura defendit Ecclesiae, paupertatem exercuit, sinceritatem, humilitatem, castitatem, iustitiam, temperantiam, fortitudinem atque silentium in angoribus, prudentiam in suae sanctificationis opere summo, in negotiis pastoralibus atque in Congregatione regenda, quam condiderat.

Praemium aeternum cum appeteret, sancte ad mortem se praeparavit, qua est oppressus in sua paroecia die 26 mensis Aprilis anno 1856. Funus amplum fuit ob multum sacerdotum, Sororum et populi concursum.

Fama sanctitatis, qua in vita claruit, post eius mortem duravit, sed beatificationis et canonizationis Causa nonnisi post multos annos inita est. Auctoritas et vis Processus ordinarii informativi, apud Curiam Lucionensem annis 1933-1935 instructi, probata est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 23 mensis Novembris anno 1990 promulgatum. Eventu cum prospero, die 29 mensis Octobris anno 1991, sessio acta est Consultorum Historicorum et die 20 mensis Decembris anno 1996 Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 20 mensis Maii habita anno 1997, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Eduardo Gagnon, edixerunt sacerdotem Petrum Monnereau heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas explicavisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, die 27 mensis Iunii hoc eodem anno, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Petri Monnereau, Sacerdotis dioecesani et Parochi, Fundatoris Congrega-***

tionis Sororum Sacrorum Cordium Iesu et Mariae, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Iulii A. D. 1997.

& ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. © S.

ffi Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

MATRITEN.

Beatificationis seu declarationis martyrii Servarum Dei Mariae Gabrielae Hinojosa y Naveros (in saec.: Mariae a Refugio) et VI sociarum monialium Ordinis Visitationis S. Mariae (f 1936)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« Id enim, quod in praesenti est, leve tribulationis nostrae supra modum in sublimitatem aeternum gloriae pondus operatur nobis, non contemplantibus nobis, quae videntur, sed quae non videntur; quae enim videntur, temporalia sunt, quae autem non videntur, aeterna sunt» ***(2 Cor*** 4, 17-18).

In iis, quae non videntur, quae aeterna sunt, oculos defixerunt Servae Dei Soror Maria Gabriela et sex Sociae, quae, ut Domini sequerentur vocationem, mundi reliquerunt inania seseque ei consiliorum evangelicorum professione consecraverunt. Deinceps crucem subire non dubitaverunt nec vitam devovere ut, sanguinis effusione, suam Deo testificarentur fidelitatem utque bona adipiscerentur invisibilia, nempe gloriam aeternam.

Fortes humilesque hae mulieres fuere Ordinis Visitationis Sanctae Mariae sodales, a Sancto Francisco Salesio conditi et a Sancta Ioanna Francisca Frémiot de Chantal. In occultatione vivebant Primi Monasterii Matritensis Visitationis, contemplationi deditae et omnino a studiis politicis alienae, quae id temporis in Hispania agitabantur, ubi bellum civile saeviebat ac persecutio furebat contra Ecclesiam eiusque membra, quorum multa in odium fidei occisa sunt.

Iam anno 1931 Monachae eius monasterii, cum condiciones factae essent insectationis contra catholicos, compulsae erant ad refugium atque incolumitatem invenienda in oppido Oronoz, in provincia Navarra posito. Idem fecerunt anno 1936 cum, renovata adversus Ecclesiam contentione, communitas monastica ad alia loca migravit, septem religiosis mulieribus, de quibus nunc loquimur, in monasterio Matritensi secundum antistitae optationem residentibus.

Hae fuerunt:

1. Soror Maria Gabriela (in saeculo: Maria a Refugio Hinojosa y Na veros): Orta est Alhamae in provincia Illiberitana, die 24 mensis Iulii anno 1872, et professionem religiosam fecit anno 1894. Templi custos fuit et aliquot annos communitatis antistita. Regulae observantia eminuit, caritate erga sodales sorores, pietate in Eucharistiam inque Beatam Virginem Mariam.

2. Soror Teresia Maria (in saeculo: Laura Cavestany y Anduaga). Orta est die 30 mensis Iulii anno 1888 Portu Gaditano, in provincia Gaditana, et professionem fecit religiosam anno 1916. Ministrae infirmarum communitatis est munere iuncta. Tanta cum fidelitate ac perfectione suam coluit consecrationem, ut, etiam viva, fama claruerit sanctitatis.

3. Soror Iosepha Maria (in saeculo: Maria dei Carmen Barrera y Izaguirre). Nata est in oppido Ferrol, intra fines provinciae Coronensis, die 23 mensis Maii anno 1881 et religiosam fecit professionem anno 1920. Indole fuit seria simul et hilari. Munere est iuncta ministrae infirmarum et pietatem nutrivit erga Eucharistiam ac paenitentiam exercuit et humilitatem.

4. Soror Maria Agnes (in saeculo: Agnes Zudaire y Galdeano). Nata est in loco Echávarri, intra fines provinciae Navarrae, die 28 mensis Ianuarii anno 1900 et professionem religiosam fecit anno 1920. In coquina laboravit. Munia explevit cum diligentia et alacritate atque ex sua consecratione cum simplicitate et spiritu servitii vixit.

5. Soror Maria Caecilia (in saeculo: Maria Felicitas Cendoya y Araquistain). Orta est in oppido Azpeitia, in provincia Guipúzcoa, die 10 mensis Ianuarii anno 1910 et professionem religiosam fecit anno 1932. Dei voluntas norma vitae eius fuit.

6. Soror Maria Angela (in saeculo: Martina Olaizola y Garagarza). Nata est in loco Garin, ad provinciae Guipuzcoam pertinente, pridie idus Novembres anno 1893. Postquam est Deo consecrata, concreditae sunt ei rationes

externae monasteri tamquam « tornerae ». Exemplari modo suum explevit officium, silentii studium et humilitatis ostendens. Vota religiosa suscepit anno 1934.

7. Soror Maria Gratia (in saeculo: Iosepha Ioachima Lecuona y Aramburu). Nata est in oppido Oyarzun, intra fines provinciae Guipuzcoae, postridie calendas Iulias anno 1897. Monasterium ingressa tamquam « tornera », in sua consecratione vixit cum fervore et appetitione progrediendi in via perfectionis. Vota religiosa fecit anno 1934.

Septem hae Religiosae, quae manserant ut Monasterium custodirent, mense Iulio anno 1936, augescentibus periculis, prudenter in diaetam seminfossam Matritensem se contulerunt, ubi communiter sua munera explere perrexerunt, aequo animo praeparantes se ad martyrium, si Dominus hanc eis gratiam concessisset. Nulla earum, etsi poterat, a ceteris voluit discedere ut refugium tutius inveniret. A duabus mulieribus proditae Militianis, sunt pluries perquisitae. Vespere diei 18 mensis Novembris anno 1936 comprehensae sunt ideo solum, quod religiosae essent et, ut tales, habitae sunt morte dignae. Autocinetum onerarium conscendentes, quod erat eas ad martyrium ducturum, signo crucis se signaverunt minimeque persecutoribus restiterunt, paratae ad se immolandas pro Christo. Directo ad locum supplici adductae, statim sunt glandibus metallicis perfossae; sed, iam tenebris obortis, ex eis una, Soror Maria Caecilia, fugere potuit; quae, sponte eadem nocte se tradidit militibus et est in custodiam coniecta, ubi in precatione, ad supremum sacrificium se praeparavit; namque, nocte inter diem 22 et diem 23 mensis Novembris eodem anno et ipsa est martyrii coronam assecuta.

Ilico putatae sunt odii contra fidem victimae et haec persuasio crevit ac solidata est annis earum mortem secutis; quapropter Archiepiscopus Matritensis Causae beatificationis et canonizationis initium fecit per instructam Inquisitionem dioecesanam (annis 1985-1989), quae est a Congregatione de Causis Sanctorum probata decreto postridie nonas Decembres anno 1991 promulgato. Positione confecta, disceptatum est an supra memoratarum Sororum mors verum martyrium haberi posset. Die 4 mensis Octobris anno 1996, felici cum eventu, actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales deinde et Episcopi in Sessione Ordinaria die 3 mensis Iunii habita anno 1997, Causae Ponente Excellentissimo Domino Fiorino Tagliaferri, Episcopo Viterbiensi, fassi sunt Sororem Mariam Gabrielam et sex Socias vitam suam devovisse ut suam erga Christum fidelitatem testarentur.

De hisce omnibus rebus, die 27 mensis Iunii hoc eodem anno, referente subscripto Pro-Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, praecepit ut decretum super martyrio Servarum Dei rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis ceterisque de more convocandis eisque adstantibus Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de martyrio eiusque causa Servarum Dei Mariae Gabrielae Hinojosa y Naveros (in saec.: Maria a Refugio) et VI Sociarum, Monialium Ordinis Visitationis S. Mariae, anno 1936 interfectarum, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 7 mensis Iulii A. D. 1997.

£8 ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. ©S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

MATRITEN.

Beatificationis seu declarationis martyrii Servarum Dei Ritae a Virgine Perdolente a Corde Iesu (in saec.: Ritae Pujalte y Sánchez) et Franciscae a Corde Iesu (in saec.: Franciscae Aldea y Araujo) religiosarum professarum Congregationis Sororum Caritatis a Sacro Corde Iesu (f **1936)**

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« Venit sponsus et quae paratae erant intraverunt cum eo ad nuptias » ***(Mt*** 25, 10).

Sicut virgines prudentes Servae Dei Rita a Virgine Perdolente a Corde Iesu et Francisca a Corde Iesu per vitam suam sine intermissione lucernas suas oleo aluerunt fidei, spei et caritatis et, cum hora venit supremum amoris testimonium praebendi sanguinis effusione, Sponsum sequi in via crucis, ut cenam communicarent eius nuptiarum, non dubitaverunt.

Serva Dei Rita a Virgine Perdolente a Corde Iesu (in saeculo: Rita Pujalte y Sánchez), in oppido Aspe orta est, intra fines posito dioecesis Orio-

lensis, die 18 mensis Februarii anno 1853, ab Antonio Pu j alte atque Aloisia Sánchez, christianis religionem colentibus. Dei et Ecclesiae legum docta observantiam, a pueritia pietatem coluit, bonum fecit, religionem exercuit in Eucharistiam et Domini Passionem. Sodalis fuit consociationis Filiarum Mariae, cuius aliquamdiu praeses fuit, Tertii Ordinis Franciscani et Coetuum Vincentianorum. Catechismum docuit pueros pauperes. Anno 1888 in Congregationem Sororum Caritatis a Sacro Corde Iesu introivit, anno 1877 conditam a Serva Dei Elisabetha de Larrañaga Ramírez puellis pauperibus educandis. Religiosam professionem fecit anno 1890 in manibus Conditricis quae, cum illam existimaret, paulo post eam antistitam Collegii Sanctae Susannae Matritensis nominavit deindeque Collegii Sancti Ioseph loci Fuensalida (in territorio positi Toletano) ac demum novitiarum magistram. A morte Conditricis usque ad annum 1928 antistita fuit generalis sui Instituti, cum fixmitudine, benignitate atque materna cura Congregationis suae bono prospiciens et Sororum formationi. Fidei soliditate eminuit, caritate erga Deum et proximos ac praesertim erga Sorores sodales infirmas, prudentia, religione in Eucharistiam et Sacrum Cor Iesu, precationis et meditationis spiritu, tractationis humanitate. Extremos vitae annos egit in oratione et in humilitate, patienter suas tolerans infirmitates. Caeca ferme facta cum esset, ei ex consuetudine assidebat Serva Dei Francisca a Corde Iesu (in saeculo: Francisca Aldea y Araujo). Haec die nata est 17 mensis Decembris anno 1881 in oppido Somolinos, intra fines sito dioecesis Seguntinae, a Paulo Aidea et Narcisa Araujo, bonorum externorum indigentibus, sed fide divitibus. Patre orbata, est in Collegio Sanctae Susannae Matritensi accepta, a Sororibus Caritatis a Sacro Corde Iesu administrato. Paulo post mater quoque mortem obiit. Puellula fuit intelligens, pia et generosa peculiaremque coluit in Virginem Mariam pietatem. Duodeviginti annos nata, vocatione animadversa, ad vitam consecratam, suarum praeceptricum ingressa est Institutum magistramque novitiatus habuit Servam Dei Ritam a Virgine Perdolente a Corde Iesu. Anno 1903 professionem temporaneam fecit atque anno 1910 perpetuam. Diploma magistrae consecuta, praeceptrix fuit et postea antistita Domus loci Quintana de Soba. Deinceps muneribus est functa consultricis generalis, Collegii Sanctae Susannae antistitae, secretariae generalis. Anno 1935 electa est oeconoma generalis. Cum fidelitate et alacritate ex sua vixit consecratione religiosa. Regulae fuit observans, humilis, prudens, temperans, precationis et laboris studiosa, benefica in pauperes et potissimum erga Eucharistiam ac Redemptoris Matrem pia.

Cum in Hispania persecutio orta est contra Ecclesiam, ambae hae Servae Dei Matriti erant in Collegio Sanctae Susannae, quod die 20 mensis Iulii anno 1936 Militiam aggressi sunt. Iamdudum eaedem religiosae, periculorum consciae in quibus earum vita versabatur, ad martyrium se praeparabant; namque, Soror Rita antistitae dixerat: « Oportet animum praeparemus ad martyrium suscipiendum », et Soror Francisca: « Pro certo habeo Dominum ad martyrium me vocare; cum hora venerit, robur mihi concedet necessarium ». Cum Collegium invasum est, in ecclesia illae erant, ubi precatione se parabant ad supremum vitae sacrificium, ante tempus persecutoribus suis christianae ignoscentes. Dein a Militiano comitatae sunt, simulante se velle eas adiuvare, ad domum coenobio propinquam; inde ad aliam transierunt domum privatam, unde post duas horas sublatae sunt ab iis, qui iam eas delere statuerant. Ambae Sorores, sicut agni ad occisionem ducti, minime restiterunt; immo miram ostenderunt quietem, interiorem et exteriorem pacem atque supernaturalem fortitudinem, paratae ad se devovendas pro Christo. Abductae plumbeis glandibus transfossae sunt in via, circiter horam nonam postmeridianam die 20 mensis Iulii anno 1936.

Confestim fidei martyres habitae sunt haecque fama est ultro solidata et aucta volventibus annis, quapropter Episcopus Matritensis Causam iniit beatificationis seu declarationis martyrii per celebratum Processum ordinarium informativum (annis 1954-1958), cuius vis et auctoritas est a Congregatione de Causis Sanctorum probata decreto die 8 mensis Februarii anno 1991 promulgato. Positione confecta, inquisitum est ex more an mors harum Servarum Dei martyrium fuisset. Postridie idus Iunias anno 1996 actus est, prospero cum eventu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Pridie nonas Maias subsequentis anni Patres Cardinales et Episcopi, in Sessionem Ordinariam congregati, Causae Ponente Excellentissimo Domino Fiorino Tagliaferri, Episcopo Viterbiensi, professi sunt duas has religiosas in odium fidei interfectas esse ideoque martyres putandas esse, cum pro Christi amore vitam devovissent.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Pro-Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, praecepit ut decretum super martyrio Servarum Dei rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis ceterisque de more convocandis eisque adstantibus Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de mar-***

tyrio eiusque causa Servarum Dei Ritae a Virgine Perdolente a Corde Iesu (in saec.: Ritae Pujalte y Sánchez) et Franciscae a Corde Iesu (in saec.: Franciscae Aldea y Araujo), Religiosarum professorum Congregationis Sororum Caritatis a Sacro Corde Iesu, anno 1936 interfectarum, in casu et ad effectum de quo agitur.

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 7 mensis Iulii A. D. 1997.

& ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. © S.

& Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

NURSINA

Beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Teresiae (in saec.: Mariae Ioannae Fasce) monialis professae Ordinis S. Augustini Abbatissae Monasterii S. Ritae a Cassia (1881-1947)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria Teresia (in saeculo: Maria Ioanna Fasce) orta est in oppido Torriglia, intra fines posito dioecesis Derthonensis, die 27 mensis Decembris anno 1881. Viginti quinque annos nata ingressa est inter Moniales Ordinis Sancti Augustini in monasterium Cassianum, ubi professionem fecit simplicem anno 1907 et sollemnem anno 1912. Magistra fuit novitiarum, vicaria et ab anno 1920 usque ad mortem abbatissa. Vitam fovit spiritalem Sororum sodalium atque Regulae observantiam, pietatem erga Sanctam Ritam a Cassia provexit, in cuius honorem novum condidit templum, non paucis oppetitis incommodis. Caritate impulsa orphanotrophium instituit pro puellis. Firmiter longum et acerbum pertulit morbum. Meritis ornata atque virtutibus die 18 mensis Ianuarii anno 1947 in Domino obdormivit.

Crescente sanctitatis fama Episcopus Nursinus anno 1968 initium fecit beatificationis et canonizationis Causae. Iis rite peractis, quae sunt iure statuta, Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 11 mensis Iulii anno 1995

edixit Servam Dei Mariam Teresiam heroum in modum virtutes coluisse théologales, cardinales iisque adnexas.

Beatificationis prospectu, Causae Postulator iudicio Congregationis de Causis Sanctorum miram permisit coniectam sanationem precibus adscriptam eiusdem Venerabilis, Neapoli patratam. Sanatio spectat ad Claram Gargano, alta cholesterolaemia crebrisque bilis torminibus affecta. Die mensis Aprilis 3, anno 1991, post acuta tormina, cum nulla obtineretur salubris mutatio per medicamentum spasmatis mitigatorium echographicae inspectioni subiecta est, ex qua calculus apparuit centimetra latus 2,1, infundibulo vesicae bilis interiacens, cum praesentia sabuli biliaris et levis iecoris incrementi. Ut calculus auferretur suasum est aegrotae ut chirurgicam subiret sectionem, sed fortiter illa recusavit; eodem autem die cum fiducia ad deprecationem confugit Matris Mariae Teresiae Fasce, postulans ut a Deo calculi exstinctionem adipisceretur. Die 20 mensis Aprilis eodem anno ex echographica inspectione non iam calculus se ostendit.

Sanationis rationibus consideratis, mirae putatae, Curia Neapolitana annis 1993-1994 dioecesanam instruxit Inquisitionem, cuius auctoritas est a Congregatione de Causis Sanctorum probata per decretum die 17 mensis Martii anno 1995 promulgatum. Consilium Medicorum Dicasterii in sessione die 4 habita mensis Iulii anno 1996 uno ore declaravit calculi defectum celerem fuisse, completum, stabilem et ex nostrae aetatis scientia inexplicabilem. Die 24 mensis Ianuarii anno 1997 actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris et secuti mensis Martii die 18 Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Pio Laghi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, die 27 mensis Iunii hoc eodem anno, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Serva Dei Maria Teresia (in saec.: Maria Ioanna Fasce), Monialis professa Ordinis S. Augustini, Abbatissa Monasterii S. Ritae a Cassia, videlicet de celeri,***

completa ac stabili sanatione Clarae Gargano a « calcolo della colecisti, incuneato nell'infundibolo, con dimensioni di cm. 2,1 di diametro ».

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 7 mensis Iulii A. D. 1997.

© ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. © S.

© Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

Salernitanae-Campaniensis-Acernensis et Aliarum

de finium mutatione

DECRETUM

Ad uberius praesentis aetatis Christifidelium spirituali bono consulendum atque sacrorum Antistitum pastoralem actionem efficaciorem reddendam, iuxta normas a Decreto Concilii Oecumenici Vaticani II « Christus Dominus » n. 23 exaratas, consentaneum visum est nonnullarum archidioecesium et dioecesium in regione Campania fines aliquantulum immutari. Congregatio pro Episcopis, auditis locorum Ordinariis quorum interest et praehabito favorabili voto Exc.mi P. D. Francisci Colasuonno, Archiepiscopi titularis Truentini et in Italia Apostolici Nuntii, rata huiusmodi immutationem animarum saluti profuturam, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Ioanne Paulo, divina Providentia PP. II, tributarum, hoc Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, quae sequuntur decernit:

1. ab archidioecesi Salernitana-Campaniensi-Acernensi distrahantur et dioecesi Abellinensi adnectantur paroeciae vulgo:

— « SS. Biagio e Stefano con sede in 83020 Forino (Avellino), Via Siniscalchi 8»;

— « S. Felicissimo con sede in 83020 Petruro di Forino (Avellino), Via Pascoli »;

— « S. Maria delia Misericordia e S. Nicola con sede in 83020 Celzi di Forino (Avellino), Via 2 Principati»;

— «S. Giovanni Battista e S. Maria di Monserrato con sede in 83020 Contrada (Avellino), Via L. Bruno 98 »;

— « S. Michele Arcangelo con sede in 83020 S. Michele di Serino (Avellino), Via Cremona 1 »:

— « SS. Pietro e Paolo Ap. con sede in 83020 S. Lucia di Serino (Avellino), Piazza Dante 1 »;

— « S. Antonio di Padova con sede in 83028 Rivottoli di Serino (Avellino), Via Cap. De Filippis 52 »;

— « SS. Annunziata e SS. Corpo di Cristo con sede in 83020 S. Biagio di Serino (Avellino), Via P. Roberto 1 »;

— «S. Eustachio Martire con sede in 83028 Sala di Serino (Avellino), Via Roma »;

— « SS. Giovanni, Luca e Lorenzo con sede in 83020 Ferrari di Serino (Avellino), Via S. Giovanni »;

2. ab archidioecesi Beneventana distrahantur et dioecesi Abellinensi adiungantur paroeciae vulgo:

— « Santa Maria degli Angeli con sede in 83040 Chiusano San Domenico (Avellino), Via G. Marconi »;

— « Santa Margherita con sede in 83050 Poppano di San Mango sul Calore (Avellino) »;

— « Maria SS. Addolorata con sede in 83039 Pratola Serra (Avellino), Via Roma 1 »;

3. ab archidioecesi Sancti Angeli de Lombardis-Compsana-Nuscana-Bisaciensi distrahatur et dioecesi Arianensi Hirpinae-Laquedoniensi adiungatur paroecia vulgo « San Bartolomeo Apostolo con sede in 83059 Vallata (Avellino) »;

4. a dioecesi Arianensi Hirpina-Laquedoniensi distrahatur et archidioecesi Beneventanae adiungatur paroecia vulgo « S. Nicola di Bari con sede in 82020 Buonalbergo (Benevento), Piazza De Iuliis »;

5. a dioecesi Abellinensi distrahantur et adiungantur archidioecesi Sancti Angeli de Lombardis Compsanae-Nuscanae-Bisaciensi paroeciae vulgo:

— « Santi Nicola di Bari e Antonino martire con sede in 83040 Gesualdo (Avellino), Via San Nicola »;
— « Santa Maria della Pace con sede in 83050 Villamaina (Avellino), Via Pace »;
— « Maria SS. Assunta in Cielo con sede in 83040 Frigento (Avellino), Via Duomo »;
— « Santi Domenico e Francesco con sede in 83055 Sturno (Avellino), Via San Domenico »;
— « S. Michele Arcangelo con sede in 83055 Sturno (Avellino), Piazza M. Aufiero »;

6. a dioecesi Abellinensi distrahantur et dioecesi Arianensi Hirpinae-Laquedoniensi adiungantur paroeciae vulgo:
— « S. Maria di Carpignano con sede in 83030 Carpignano frazione di Grottaminarda (Avellino) »;
— « Santa Maria Maggiore con sede in 83035 Grottaminarda (Avellino), Via Santa Maria »;

7. a dioecesi Abellinensi distrahatur et abbatiae territoriali Montisvirginis adiungatur paroecia vulgo « Maria SS. Addolorata con sede in 83010 Starze, frazione di Summonte (Avellino) ».

promesso dal Salvatore,
irradia i tuoi sette doni,
suscita in noi la parola.

Come non riservare una particolare riflessione ai doni dello Spirito Santo, che la tradizione della Chiesa, sulla scia delle fonti bibliche e patristiche, indica come sacro Settenario? Questa dottrina ha avuto un'attenta considerazione da parte della teologia scolastica, che ne ha ampiamente illustrato il significato e le caratteristiche.

« Dio ha mandato nei nostri cuori lo Spirito del suo Figlio che grida: Abbà, Padre!» ***(Gal*** 4, 6). «Tutti quelli che sono guidati dallo Spirito di Dio, costoro sono figli di Dio [...] Lo Spirito stesso attesta al nostro spirito che siamo figli di Dio » ***(Rm*** 8, 14.16). Le parole dell'apostolo Paolo ci ricordano che dono fondamentale dello Spirito è la grazia santificante *(gratia gratum faciens),* insieme alla quale si ricevono le virtù teologali: fede, speranza e carità, e tutte le virtù infuse *(virtutes infusae),* che abilitano ad agire sotto l'influsso dello stesso Spirito. Nell'anima, illuminata dalla grazia celeste, tale corredo soprannaturale è completato dai doni dello Spirito Santo. A differenza dei carismi, che sono concessi per l'altrui utilità, questi doni sono offerti a tutti, perché ordinati alla santificazione ed al perfezionamento della persona.

I loro nomi sono noti. Li menziona il profeta Isaia delineando la figura del futuro Messia: « Su di lui si poserà lo spirito del Signore, spirito di sapienza e di intelligenza, spirito di consiglio e di fortezza, spirito di conoscenza e di timore del Signore. Si compiacerà del timore del Signore» (11, 2-3). Il numero dei doni sarà poi portato a sette dalla versione dei Settanta e dalla Volgata, che aggiungono la pietà, eliminando dal testo isaiano la ripetizione del timore del Signore.

Già sant'Ireneo ricorda il Settenario ed aggiunge: « Il Signore diede lo stesso Spirito alla Chiesa [...] mandando sulla terra il Consolatore» ***(Adv. haereses*** III, 17, 3). San Gregorio Magno, per parte sua, illustra la dinamica soprannaturale introdotta nell'anima dallo Spirito, elencando i doni nell'ordine inverso: « Mediante il timore ci eleviamo infatti alla pietà, dalla pietà alla scienza, dalla scienza otteniamo la forza, dalla forza il consiglio, con il consiglio progrediamo verso l'intelligenza e con l'intelligenza verso la sapienza e così, per la grazia settiforme dello Spirito, ci è aperto al termine delle ascensioni, l'ingresso alla vita celeste » *(Horn, in Hezech.,* II, 7, 7).

I doni dello Spirito Santo — commenta il *Catechismo della Chiesa Cattolica* —, essendo una particolare sensibilizzazione dell'anima umana e delle sue facoltà all'azione del Paraclito, « completano e portano alla perfezione le virtù di coloro che li ricevono. Rendono docili i fedeli ad obbedire con prontezza alle ispirazioni divine» (n. 1831). La vita morale dei cristiani è, cioè, sorretta da tali « disposizioni permanenti che rendono l'uomo docile a seguire le mozioni dello Spirito Santo » *(ibid.,* n. 1830). Con essi viene portato a maturità l'organismo soprannaturale che, mediante la grazia, si costituisce in ogni uomo. I doni, infatti, si adattano mirabilmente alle nostre

disposizioni spirituali, perfezionandole ed aprendole in modo particolare all'azione di Dio stesso.

4. *Influsso sull'uomo dei doni dello Spirito*

Accende lumen sensibus
Infunde amorem cordibus;
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Sii luce all'intelletto
fiamma ardente nel cuore;
sana le nostre ferite
col balsamo del tuo amore.

Mediante lo Spirito, Dio si fa intimo alla persona e penetra sempre di più nel mondo umano: « Dio uno e trino, che in se stesso "esiste" come trascendente realtà di dono interpersonale, comunicandosi nello Spirito Santo come dono all'uomo, trasforma il mondo umano dal di dentro, dall'interno dei cuori e delle coscienze » *(Dominum et vivificantem,* 59).

Nella grande tradizione scolastica questa verità conduce a privilegiare l'azione dello Spirito nella vicenda umana ed a porre in evidenza l'iniziativa salvifica di Dio nella vita morale: pur non annullando la nostra personalità, né privandoci della libertà, Egli ci salva al di là delle nostre aspettative e dei nostri progetti. I doni dello Spirito Santo rientrano in tale logica, essendo « perfezioni dell'uomo che lo dispongono a seguire prontamente la mozione divina » (S. Tommaso, *Summa Theologiae,* I-II, q. 68, a. 2).

Con i sette doni è data al credente la possibilità di un rapporto personale ed intimo col Padre, nella libertà che è propria dei figli di Dio. E quanto sottolinea san Tommaso, rilevando come lo Spirito Santo ci induca ad agire non per forza ma per amore: «I figli di Dio — egli afferma — sono mossi dallo Spirito Santo liberamente, per amore, non servilmente, per timore » *(Contra gentiles,* IV, 22). Lo Spirito rende gli atti del cristiano deiformi, cioè in sintonia con il modo di pensare, di amare e di agire divino, così che il credente diventa segno riconoscibile della Santissima Trinità nel mondo. Sostenuto dall'amicizia del Paraclito, dalla luce del Verbo, dall'amore del Padre, egli può audacemente proporsi di imitare la perfezione divina (cfr *Mt* 5, 48).

Lo Spirito agisce secondo un duplice ambito d'intervento, come ricordava il mio venerato predecessore, il Servo di Dio Paolo VI: « Il primo campo è quello delle singole anime [...] è il nostro io: in questa cella profonda e a noi stessi misteriosa della nostra esistenza, entra il soffio dello Spirito Santo; si diffonde nell'anima con quel primo e sommo carisma che chiamiamo grazia, che è come una vita nuova, e subito l'abilita ad atti che superano la sua efficienza naturale ». Il secondo campo « in cui si effonde la virtù della Pentecoste » è il « corpo visibile della Chiesa [...] Certamente ***"Spiritus ubi vult spirat" (Gv*** 3, 8); ma, nell'economia stabilita da Cristo, lo Spirito percorre il canale del ministero apostolico ». È in virtù di questo ministero che ai sacerdoti è data la potestà di trasmettere lo Spirito ai fedeli « nell'annuncio autorizzato e autorevole della Parola di Dio, nella guida del Popolo cristiano e nella distribuzione dei sacramenti (cfr ***1 Cor*** 4, 1), fonti appunto della grazia, cioè dell'azione santificante del Paraclito » ***(Omelia per la Pentecoste,*** 25 maggio 1969).

5. I doni dello Spirito nella vita del sacerdote

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus:
Ductore sic te praevio
Vitemus omne noxium

Difendici dal nemico,
reca in dono la pace,
la tua guida invincibile
ci preservi dal male.

Lo Spirito Santo ristabilisce nel cuore umano la piena armonia con Dio e, assicurandogli la vittoria sul Maligno, lo apre alle dimensioni universali dell'amore divino. In questo modo Egli fa passare l'uomo dall'amore di se stesso all'amore della Trinità, introducendolo all'esperienza della libertà interiore e della pace, ed avviandolo a fare della propria vita un dono. Con il sacro Settenario lo Spirito guida così il battezzato verso la piena configurazione a Cristo e la totale sintonizzazione con le prospettive del Regno di Dio.

Se questa è la strada su cui lo Spirito sospinge dolcemente ogni battezzato, una speciale attenzione Egli non manca di riservare a coloro che sono stati insigniti dell'Ordine sacro, in vista di un conveniente adempimento

del loro impegnativo ministero. Così, con il dono della ***sapienza,*** lo Spirito conduce il sacerdote a valutare ogni cosa alla luce del Vangelo, aiutandolo a leggere nelle proprie vicende ed in quelle della Chiesa il misterioso ed amorevole disegno del Padre; con ***l'intelletto,*** favorisce in lui una più profonda penetrazione della verità rivelata, spingendolo a proclamare con convinzione e forza il lieto annuncio della salvezza; con il ***consiglio,*** lo Spirito illumina il ministro di Cristo perché sappia orientare il proprio agire secondo le vedute della Provvidenza, senza farsi condizionare dai giudizi del mondo; con il dono della ***fortezza*** lo sostiene tra le difficoltà del ministero, infondendogli la necessaria «parresia» nell'annuncio del Vangelo (cfr ***At*** 4, 29.31); col dono della ***scienza,*** lo dispone a comprendere e ad accettare l'intreccio talvolta misterioso delle cause seconde con la Causa prima nelle vicende del cosmo; con il dono della ***pietà,*** ravviva in lui il rapporto di intima comunione con Dio e di fiducioso abbandono alla sua provvidenza; infine, con il ***timore di Dio,*** ultimo nella gerarchia dei doni, lo Spirito consolida nel sacerdote la coscienza della propria fragilità umana e dell'indispensabile ruolo della grazia divina, giacché « né chi pianta, né chi irriga è qualche cosa, ma è Dio che fa crescere » ***(1 Cor*** 3, 7).

6. *Lo Spirito introduce nella vita trinitaria*

Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Luce d'eterna sapienza,
svelaci il grande mistero
di Dio Padre e del Figlio
uniti in un solo Amore.

Com'è suggestivo immaginare queste parole sulle labbra del sacerdote che, insieme con i fedeli affidati alle sue cure pastorali, cammina incontro al suo Signore! Egli sospira di giungere con loro alla vera conoscenza del Padre e del Figlio e di passare così dall'esperienza ***«per speculum in aenigmate»*** ***(1 Cor*** 13, 12) dell'opera del Paraclito nella storia, alla contemplazione ***«facie ad faciem» (ibid.)*** della vivente e palpitante Realtà trinitaria. Egli è ben consapevole di affrontare « su delle piccole barche una lunga traversa-

ta » e di muoversi verso il cielo « servendosi di piccole ali » (Gregorio Nazianzeno, *Poemi teologici,* 1); ma sa anche di poter contare su Colui che ha avuto il compito di insegnare ai discepoli ogni cosa (cfr *Gv* 14, 26).

Avendo imparato a leggere i segni dell'amore di Dio nella sua storia personale, il sacerdote, man mano che si avvicina l'ora dell'incontro supremo con il Signore, rende sempre più pressante ed intensa la sua preghiera nel desiderio di adeguarsi con fede matura alla volontà del Padre, del Figlio e dello Spirito.

Il Paraclito, «scala della nostra ascesa a Dio» (Ireneo, *Adv. haereses,* III, 24, 1), lo attira al Padre, mettendogli nel cuore il desiderio ardente di vedere il suo volto. Gli fa conoscere tutto ciò che riguarda il Figlio, attirandolo a Lui con nostalgia crescente. Lo illumina sul mistero della sua stessa Persona, portandolo a percepirne la presenza nel proprio cuore e nella storia.

Così, tra le gioie e gli affanni, le sofferenze e le speranze del ministero, il sacerdote impara a confidare nella vittoria finale dell'amore grazie all'indefettibile azione del Paraclito che, nonostante i limiti degli uomini e delle istituzioni, conduce la Chiesa a vivere in pienezza il mistero dell'unità e della verità. Egli sa, di conseguenza, di potersi affidare alla potenza della Parola di Dio, che supera ogni umana parola, ed alla forza della grazia, che vince i peccati e le insufficienze degli uomini. Questo lo rende forte, nonostante l'umana fragilità, nel momento della prova e pronto a tornare col cuore al Cenacolo, dove, perseverando nella preghiera con Maria e con i fratelli, può ritrovare l'entusiasmo necessario per riprendere la fatica del servizio apostolico.

7. *Prostrati alla presenza dello Spirito*

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In saeculorum saecula.
Amen.

A Dio Padre sia gloria,
al Figlio che è risorto
e allo Spirito Paraclito,
per i secoli in eterno.
Amen.

Mentre oggi, Giovedì Santo, meditiamo sulla nascita del nostro Sacerdozio, torna alla mente di ciascuno di noi il momento liturgico altamente suggestivo della prostrazione sul pavimento, il giorno della nostra Ordinazione presbiterale. Quel gesto di profonda umiltà e di ubbidiente apertura è stato quanto mai opportuno per predisporre il nostro animo alla sacramentale imposizione delle mani, mediante la quale lo Spirito Santo è entrato in noi per compiere la sua opera. Dopo esserci alzati da terra, ci siamo inginocchiati davanti al Vescovo per essere ordinati presbiteri ed abbiamo ricevuto poi da lui l'unzione delle mani per la celebrazione del santo Sacrificio, mentre l'assemblea cantava: «acqua viva, fuoco, amore, santo crisma dell'anima».

Questi gesti simbolici, che indicano la presenza e l'azione dello Spirito Santo, ci invitano a tornare ogni giorno a tale esperienza per consolidare in noi i suoi doni. È importante, infatti, che Egli continui ad operare in noi e che noi camminiamo sotto la sua influenza, ma, più ancora, che sia Lui stesso ad agire per nostro mezzo. Quando la tentazione si fa insidiosa e le forze umane vengono meno, allora è il momento di invocare più ardentemente lo Spirito, perché venga in aiuto alla nostra debolezza e ci consenta di essere prudenti e forti come vuole Dio. E necessario mantenere il cuore costantemente aperto a questa azione che eleva e nobilita le forze dell'uomo e conferisce quella profondità spirituale che introduce alla conoscenza ed all'amore dell'ineffabile mistero di Dio.

Carissimi Fratelli nel sacerdozio! La solenne invocazione dello Spirito Santo e il suggestivo gesto di umiltà compiuto durante l'Ordinazione sacerdotale hanno fatto echeggiare anche nella nostra vita il *fiat* dell'Annunciazione. Nel silenzio di Nazareth, Maria si rende per sempre disponibile alla volontà del Signore e, per opera dello Spirito Santo, concepisce il Cristo, salvezza del mondo. Tale iniziale obbedienza percorre tutta la sua esistenza terrena e raggiunge il culmine ai piedi della Croce.

Il sacerdote è chiamato a commisurare costantemente il suo *fiat* a quello di Maria, lasciandosi come Lei condurre dallo Spirito. La Vergine lo sosterrà nelle sue scelte di povertà evangelica e lo renderà disponibile all'ascolto umile e sincero dei fratelli, per cogliere nei loro drammi e nelle loro aspirazioni i «gemiti dello Spirito» (cfr ***Rm*** 8, 26); lo renderà capace di servirli con illuminata discrezione, per educarli ai valori evangelici; lo renderà intento a cercare con sollecitudine «le cose di lassù» ***(Col*** 3, 1), per essere testimone convincente del primato di Dio.

La Vergine lo aiuterà ad accogliere il dono della castità come espressione di un amore più grande, che lo Spirito suscita in vista della generazione

alia vita divina di una moltitudine di fratelli. Ella lo condurrà sulle vie dell'obbedienza evangelica, perché si lasci guidare dal Paraclito, oltre i propri progetti, verso la totale adesione ai pensieri di Dio.

Accompagnato da Maria, il sacerdote saprà rinnovare ogni giorno la sua consacrazione fino a quando, sotto la guida dello stesso Spirito invocato con fiducia nell'itinerario umano e sacerdotale, entrerà nell'oceano di luce della Trinità.

Invoco su tutti voi, per intercessione di Maria, Madre dei sacerdoti, una speciale effusione dello Spirito d'amore.

Vieni Spirito Santo! Vieni a rendere fecondo il nostro servizio a Dio e ai fratelli!

Con rinnovato affetto e auspicando ogni divina consolazione per il vostro ministero, di gran cuore imparto a tutti voi una speciale Benedizione Apostolica.

Dal Vaticano, 25 marzo, Solennità dell'Annunciazione del Signore, dell'anno 1998, ventesimo di Pontificato.

IOANNES PAULUS PP. II

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

PLACENTINA

Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Ioannis Baptistae Scalabrini episcopi Piacentini fundatoris Missionariorum et Missionariarum a S. Carolo pro Emigratis (1839-1905)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Ioannes Baptista Scalabrini ortus est postridie nonas Iulias anno 1839 in oppido Fino Mornasco, ad Comensem dioecesim pertinente. Sacerdos ordinatus, professor fuit et rector in seminario minore et postea parochus. Pius IX eum episcopum nominavit Placentinum. Multiplicibus inceptis pastoralibus bono consuluit Ecclesiae, cleri formationem fovendo, catechismi institutionem et activam laicorum catholicorum participationem in vita Ecclesiae. Eminuit sedulitate erga sacerdotes, agrícolas, operarios et praesertim erga emigrantes in Civitates Americae pro quibus Congregationes Missionariorum et Missionariarum a S. Carolo pro Emigratis condidit. Quinque explevit visitationes pastorales tresque celebravit synodos dioecesanas. Meritis ornatus et fama clarus sanctitatis, mortem obiit calendis Iuniis anno 1905.

Causa beatificationis et canonizationis inita est anno 1936 et postridie idus Martias anno 1987 Summus Pontifex Ioannes Paulus II edixit Servum Dei heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas exercuisse.

Deinceps Congregatio de Causis Sanctorum, Postulationis Causae rogatu, coniectam inspexit miram sanationem intercessioni tributam eiusdem Venerabilis, Sororis Irenae De Angeli, Congregationis Sororum Missionariarum a Sancto Carolo Borromeo sodalis. Haec religiosa mense Februario anno 1987 coepit doloribus abdominis laborare, quibus corporis tenuatio addebatur. In valetudinarium Novoburgense deducta est et insequenti die 19 mensis Iunii

laparotomia exploratoria effecta est, unde apparuit massa ovarica dextra cum disseminatione cancerosa in sede peritonaei, **Omentum** afficiente et capsulam glissonianam hepaticam. Cum ampla esset tumoris diffusio fieri non potuit sectio ablativa. Ex biopsi patuit agi de adenocarcinomate ovarico parum distincto in gradu progresso, quocirca curantes prognosim fecerunt infaustam quoad vitam, brevi tempore. Aegra, Sorores sodales aliaeque personae, propter condicionis gravitatem, divinum auxilium cum fiducia rogaverunt per intercessionem Venerabilis Servi Dei Ioannis Baptistae Scalabrini. Diebus mensis Iunii 23 et 24 e vulnere effusio facta est purulenta copiosa, post quae, febri exstincta, aegrota non amplius doluit. Die 10 mensis Iulii e valetudinario discessit chirurgice sanata; deinde chimiotherapiam obiit, quae non apta fuit et solummodo ex parte efficax. Secutae medicorum recognitiones semper sanationis stabilitatem confirmaverunt.

Apud Curiam Placentinam, annis 1994-1995, instructa est Inquisitio dioecesana, cuius auctoritas et vis probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 13 mensis Octobris anno 1995 promulgato. Dicasterii Consilium Medicorum, in sessione nonis Decembribus anno 1996 habita, una voce confessum est sanationem celerem fuisse, completam, mansuram et ex scientia inexplicabilem. Die 21 mensis Martii anno 1997 Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris est actus et die 3 mensis Iunii subsequentis Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Eduardo Gagnon.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, die 27 mensis Iunii hoc eodem anno, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur. . . . .

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinale Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more con vocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de miraculo a Deo patrato intercedente Ven. Servo Dei Ioanne Baptista Scalabrini, Episcopo Piacentino, Fundatore Missionariorum et Missionariarum a S. Carolo pro Emigratis, videlicet de celeri, completa ac mansura sanatione Sororis Irenae De Angeli ab « adenocarcinoma ovarico de-***

stro scarsamente differenziato, in stadio avanzato (3° - 4° stadio) ; carcinosi peritoneale diffusa; metastasi omentali ed epatiche (capsula glissoniana e sospette parenchimali) ; ascite».

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 7 mensis Iulii A. D. 1997.

ÊB ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. & S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

SANCTI IOANNIS PORTORICEN.

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Caroli Emmanuelis Rodríguez christifidelis laici (1918-1963)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est» ***(Mt*** 5, 16).

Huic Domini Iesu praecepto cum generositate et gaudio respondit Carolus Emmanuel Rodríguez, qui summa cum fidelitate officia baptismalia explevit et Christi diffudit lucem vitae sanctitate, apostolatus fervore et liturgiae atque crucis studio.

Ortus est Servus Dei die 22 mensis Novembris anno 1918 in urbe Caguas, intra fines Portus Divitis, ab Emmanuele Rodríguez Rodríguez atque Herminia Santiago Esteras, legitimis coniugibus, bonorum materialium inopibus sed fide divitibus, qui eam filiis suis tradiderunt, ex quibus duo se Domino consecraverunt. Baptismum accepit die 4 mensis Maii anno 1919 atque Confirmationem die 12 mensis Martii anno 1924. Domo et parva patris officina incendio destructis, familia migravit in domum avorum maternorum, ubi Dei Servus solida est instructus educatione religiosa, praesertim a matre et ab avia materna. A pueritia est valetudinis molestiis affectus, quae eum per totam vitam presserunt, eius industriae obstantes et ne studia ad finem adduceret impedientes; namque fuit ei Studiorum Universitas relinquenda vix post frequentiae biennium. Vicissim, cum acri intellegentia

tenacique voluntate praeditus esset, privatim studio theologiae, philosophiae, sociologiae, litterarum atque linguarum se dedidit, magnam sibi culturam comparans, cuius ope impensum ac fructuosum explicavit apostolatum in orbe universitatis studiorum, articulos scripsit, aestimatas habuit orationes duosque condidit commentarios naturae religiosae. Eodem tempore victum cotidianum quaeritavit ministri opus obeundo. Ab anno 1960 plena cum cura et sine intermissione apostolatui se tradidit in Centro Catholico Studiorum Universitatis Portus Divitis, perexiguum accipiens stipendium.

In vinea Domini operarius indefatigabilis, matrimonium recusavit ut se evangelizationi consecraret, animarum servitio et Christi Regni aedificationi in aetatis suae societate. Alacriter vitae interfuit Ecclesiae semperque plena in communione cum auctoritatibus ecclesiasticis egit. Liturgia cardo fuit eius religiositatis atque apostolatus; etenim non solum cotidie animam suam fecunda aluit divinorum mysteriorum participatione, sed multimodis vitam liturgicam in populo Dei fovit, cui etiam exemplo fuit splendidi et constantis testimonii consensus in verbum Dei, oboedientiae evangelio, ferventis pietatis erga Eucharistiam et Virginem Mariam, assiduae precationis atque meditationis aeternarum veritatum.

Fidei fundamentis subnixus, spei et caritatis, cum Deo ambulavit, eius observavit leges, cum amabilitate et humilitate opera misericordiae fecit, amorem diffudit in Christum et in Ecclesiam, Providentiae fiduciam, aestimationem et appetitionem caelestium bonorum, gaudium et pacem. Castus fuit ac prudens in verbis inque moribus, temperans, iustus erga Deum et proximos, fortis in difficultatibus, perseverans in muneribus suis explendis, patiens in infirmitatibus.

Cum diagnosis facta esset de cancro intestinum afficiente, est in valetudinarium deductus mense Martio anno 1963 et sectioni chirurgicae subiectus. Una cum doloribus corporis obscuram etiam sensit spiritus noctem, sed in vitae exitu laetitiam recuperavit fidei ac, laetationis speique plenus, in Domino obdormivit die 13 mensis Iulii anno 1963, assidente ei spiritaliter fratre sacerdote, et dilectus atque veneratus a familiaribus multisque fidelibus, qui eum sanctum habebant.

Sanctitatis fama, qua in vita claruit, post eius mortem duravit et dilatata est, quapropter Archiepiscopus Sancti Ioannis Portoricensis Causae beatificationis et canonizationis initium fecit per celebrationem Inquisitionis dioecesanae (annis 1992-1993), cuius auctoritas et vis est a Congregatione

<ie Causis Sanctorum probata decreto die 20 mensis Aprilis anno 1994 promulgato. Confecta Positione, quaesitum est ex consuetudine an Servus Dei virtutes coluisset heroum in modum. Idibus Octobribus anno 1996 actus est, prospero cum eventu, Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales deinde atque Episcopi, in Sessione Ordinaria die 15 mensis Aprilis habita anno 1997, Causae Ponente Eminentissimo Cardinale Edmundo Casimiro Szoka, professi sunt Servum Dei Carolum Emmanuelem Rodríguez heroum more virtutes théologales, cardinales iisque adnexas servavisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinale Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Caroli Emmanuelis Rodríguez, Christifidelis laici, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Iulii A. D. 1997.

& ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. *m* S.

ffi Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

TERGESTIN. et IUSTINOPOLITAN.

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Aegidii Bullesi christifidelis laici e Tertio Ordine S. Francisci (1905-1929)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Tam pulchra est vita haec, idcirco cur angi debemus? Iucunditati nos demus, laeti simus, sed in Domino. Iucunditati nempe quae manat ex bona conscientia, ex officio semper peracto et ex amore atque amicitia cum Domino: Felices esse in Deo: ecce nostra laetitia! ».

Verba haec, quae Aegidius Bullesi ad amicum scripsit, index esse possunt eius spiritualitatis, haustae e beatitudinum evangelio et, secundum Sancti Francisci Asisinatis exemplo, in lumine fidei cultae, in gaudio spei, in fervore caritatis inque oblectatione laudandi Deum eique ac proximo serviendi per vitae sanctitatem et misericordiae opera.

Iuvenis hic Christi testis, tertio loco natus ex novem filiis a matrimonio natis christiano exemplarium coniugum Francisci Bullesi et Maria Diritti, Polae ortus est in Histria die 24 mensis Augusti anno 1905. In cathedrali ecclesia urbis baptizatus est die 3 mensis Septembris subsequentis. Primae eius educationi familia prospexit tum humanae tum religiosae, mater praesertim, fortis et pia mulier, quam Servus Dei peculiariter dilexit. Ruvigni Histrico, quo familiares orto priore totius mundi bello se receperant, oratorium Salesianum frequentavit et primum ad mensam eucharisticam accessit die festo Annuntiationis Domini anno 1915. Exinde coepit clariorem ostendere pietatem. Deinde compulsus ad migrandum in oppidum Szeghedin, in Hungaria situm, et postea in Austriam Vagnam et Gradecium, hac in urbe donum recepit Spiritus Sancti in Sacramento Confirmationis. Ludum frequentavit diversis in locis, bonis cum exitibus. Polam reversus anno 1918, assumptus est tamquam tiro carpentarius apud urbis navalia. Eodem tempore diligenter frequentavit scholam tironibus perficiendis atque scholam graphidis. Anno 1921 concreditum est ei officium descriptoris technici navalis. In operam suam incubuit cum cura cumque assiduitate et rationes instaurava amicitiae atque mutui respectus cum sodalibus, enitens aperto fidei testimonio, incorruptis moribus ac studiosa caritate. Iura defendit operariorum, sed conflictationis instrumenta reiciens violentia suggesta atque est Ecclesiae praeceptis socialibus assensus, praesertim Litterarum Encycli-

earum « Rerum novarum », quas penitus noverat. Officiosus in familiam, totum stipendium matri tradebat.

Sodalis fuit Actionis Catholicae, cuius propositis persequendis operam dedit: precationi, actioni, apostolatui. Brevi tempore auctoritate valuit apud iuvenes socios, quos multimodis adiuvit, ut in vita crescerent christiana. Alacer et impigerrimus in puerorum formatione religiosa, primum instituit Ordinem Aspirantium, cuius delegatus fuit, et Ordines Exploratorum Catholicorum. Nomen professus est etiam in Tertium Ordinem Franciscanum, professione facta et nomine capto Fratre Ludovico. Sancti Francisci verus discipulus, eum est imitatus in spiritu paupertatis, in vitae simplicitate, in oboedientia evangelio et in amore Christi Crucifixi. Cum eius familia Cordi Iesu se consecravit, Servus Dei maiore cum libertate valuit suam exprimere pietatem suumque apostolicum ardorem. Cotidie in ecclesiam se conferebat ut Communionem acciperet, meditabatur, Sanctissimum Sacramentum visitabat, bonis lectionibus vacabat, Rosarium recitabat et precabatur pro conversione peccatorum ac vocationibus sacerdotalibus, praecipue de suis fratribus cogitans, quorum tres sacerdotes facti sunt. Mente et corde veritatibus consensit christianis, cum Deo ambulavit fidemque diffudit in familia, in consociationibus catholicis, inter amicos et ubi laborabat. Omnibus viribus Deum dilexit neque aliud appetivit, nisi diligenter eius exsequi voluntatem, eius leges observando et sedulo in via sanctitatis progrediendo. Cum simplicitate, prudentia et generositate opera fecit misericordiae spiritalis et corporalis. Temperantiam explicavit, fortitudinem, Dei fiduciam, bonorum terrestrium neglectionem, erga Deum et proximos iustitiam, patriam amavit, in promissis mansit, oboediens superioribus fuit, sincerus erga omnes. Peculiari cum cura virtutem castitatis coluit, quam integram servavit etiam periculosis in locis. Ubique pacem diffudit, gaudium et appetitionem bonorum aeternorum et in casibus quoque difficilioribus acerbioribusque interiorem est tuitus quietem, tractationis humanitatem et hilaritatem.

Ab anno 1925 ad annum 1927 stipendia meruit in copiis navalibus super navi bellica « Dante Alighieri » denominata. Hoc tempus se verissimum fuit ei experimentum superandum pro fidei suae suorumque moralium principiorum defensione. Sed robore Dei affluens, non solum fidelis mansit erga baptismalia officia, verum etiam fructuosum explicavit apostolatum inter commilitones ut fidem iniceret eis, legis Dei observantiam et vitae christianae laetitiam. Pro iisdem commilitonibus « Circulum Puritatis » condidit, cuius sodales spondebant se castos futuros esse.

Stipendia emeritus laborem resumpsit, primum in navalibus Polae et postea in navalibus urbis Monfalcone (intra fines posita Goritiensis provinciae). Ibi efficaciter incubuit, uti socius Coetuum Vincentianorum, in opera caritatis, ardenter laborans pro pauperioribus, quos in eorum tuguriis visitabat et in necessitatibus confirmabat.

Phthisi correptus, deductus est in valetudinarium Polense die 29 mensis Augusti anno 1928. Ex morbo vixit tamquam ea laetabili Crucis experientia, suos dolores offerens suamque iuvenem vitam pro peccatorum conversione.

Die 25 mensis Aprilis anno 1929, in impensae laetitiae condicione, pluries his verbis repetitis: « Quam laetus sum mori, in Paradisum ire!», sancte obdormivit in Domino. Uti exoptaverat, eius corpus est Franciscano sagulo vestitum.

Fama sanctitatis, qua in vita claruit, firmata est et aucta annis qui mortem sunt secuti; quam ob rem Episcopus Tergestinus Excellentissimus Dominus Antonius Santin, qui Servi Dei magister spiritus fuerat, obtentis a Sancta Sede competentia fori ac permissu quem M. P. « Sanctitas clarior » praescribit, Causam introduxit beatificationis et canonizationis Processumque instruxit cognitionalem (annis 1974-1977), cuius auctoritas et vis probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 10 mensis Novembris anno 1990 promulgato. Positione confecta, disceptatum est an Servus Dei virtutes exercuisset heroum in modum. Pridie idus Novembres anno 1996, eventu cum prospero, actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales deinceps et Episcopi in Sessione Ordinaria pridie nonas Maias habita anno 1997, Causae Ponente Excellentissimo Domino Remigio Ragonesi, Archiepiscopo titulari Ferentiensi, declaraverunt iuvenem Aegidium Bullesi heroum more virtutes théologales, cardinales et his adnexas coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Aegi-***

dii Bullesi, Christifidelis laici e Tertio Ordine S. Francisci, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Iulii A. D. 1997.

83 ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. 8 S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

TUSCULANA

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae Teresiae (in saec.: Teresiae Mariae Casini) fundatricis Congregationis Sororum Oblatarum a S. Corde Iesu (1864-1937)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Cessare numquam potest Ecclesia Dominum messis ut operarios in messem suam mittat rogare (cf. ***Mt*** 9, 38), neque abstinere a proponendo futurae praesertim progeniei perspicuo ac animoso vocationis amplectendae studio: quam deinceps iuvabit ut veritatem Dei vocantis discernat eique magnanimiter respondeat; peculiarem adhibere curam de formatione candidatorum ad presbyteratum » (Ioannes Paulus II, Adhort. Apost, post-synod. ***Pastores dabo vobis,*** 2: ***AAS,*** LXXXIV [1992], 659).

Ecclesiae sollicitudinem de vocationibus deque sacerdotum sanctificatione Serva Dei Maria Teresia Casini participavit quae, multimodis, formationem curavit puerorum ad sacerdotium candidatorum, utque Sacrum Iesu Cor consolaretur de presbyterorum infidelitate.

Fidelis haec Christi discipula Tusculi nata est die 27 mensis Octobris anno 1864 a Thoma Casini et Melania Rayner, legitimis coniugibus locupletamus. Biduo post est in ecclesia urbis cathedrali baptizata et anno 1872 sacramentum accepit Confirmationis. Eius christianae educationi peculiari modo prospexit pater optimus, qui eam Deum cognoscere docuit et precationem diligere ac pauperes, atque peccatum fugere. Amatissimo parente mortuo (anno 1874), familia Cryptam Ferratam migravit, in domum avo-

rum maternorum. Cum Romae alumna erat Matronarum a Sacro Corde, magna cum pietate primum ad eucharisticam mensam accessit. Ad familiam reversa propter valetudinem, magis appetivit se Domino consecrare, quamvis familiares eam ad vitam coniugalem dirigere conarentur. Anno 1882, ad praecepta confessarii docilis sine ulla cunctatione ad sanctitatem contendit, mundi reliquit inania et maiore cum fervore pietatem eucharisticam atque caritatem erga pauperes coluit. Privatim vota suscepit oboedientiae, castitatis ac paupertatis, nomen est professa in Zelatrices, quae dicebantur, Sacri Cordis et per bonas lectiones in cognitione inque Dei servitio est progressa. Quorundam suorum familiarium repugnantiae non cedens, intimum suum instinctum secuta introivit anno 1885 inter Clarissas a Sanctissima Conceptione, Romae domicilium habentes, sed paucis post mensibus fuit ei egrediendum per causam valetudinis; postea confessarius eam in aliud opus inseruit, quod celeriter est exstinctum conditrice mortua. Postquam Cryptam Ferratam repetivit, Serva Dei coetum puellarum constituit eo consilio, ut pro sanctificatione sacerdotum precarentur et Cor Iesu eorum peccatis transfixum consolarentur. Opus, etsi in multa paupertate inque variis difficultatibus versaretur confirmatum est suamque sedem Cryptae Ferratae collocavit, propter generositatem et sacrificia Servae Dei, quae in Romae viis mendicavit ut pecuniam colligeret necessariam ad aedificium perficiendum. Postridie calendas Februarias, probante Episcopo dioecesano, anno 1894, una cum quinque sodalibus publice condidit Institutum Victimarum Cordis Iesu, quod est deinceps appellatum Oblatarum Sacri Cordis Iesu.

Initio Maria Teresia, quae antistita erat communitatis, eiusque sociae vitam egerunt clausurae seque dederunt adorationi perpetuae Eucharistiae et congressionibus institutoriis cum loci puellis; sed postea, Episcopo adhortante, Institutum patuit etiam filiarum populi educationi, ut bonas formaret matres familias. Sollicitudo de clero eam adduxit ad finem faciendum industriae pro puellis et ad aperiendum Romae atque Cryptae Ferratae Opus Parvorum Amicorum Iesu (anno 1925) pueris educandis, qui ingredi seminarium appetebant et sacerdotes fieri. Inceptum, a Sororibus ductum et rectum sapienti cum paedagogia plenaque cum libertatis alumnorum observantia, rapide floruit fructusque adidit copiosos. Serva Dei, quae professionem temporaneam fecerat anno 1913 et perpetuam anno 1919, ad mortem usque egregie munere antistitae generalis est iuncta, labori non parcens pro Instituto singulisque Sororibus, quae eam ut matrem dilexerunt. Ea-

rum provexit formationem, observantiam inculcavit Regulae circumposuitque sibi utiles adiutrices. Alacriter et fideliter suam coluit consecrationem religiosam munusque sibi a divina Providentia commissum sancte explicavit, gaudia, dolores et incommoda communicans cum sororibus sodalibus et per omnia gloriam Dei quaerens atque salutem animarum. Fidei simplicitate effulsit, ardore caritatis, spei soliditate. Firmiter credidit in verbum Dei et in Ecclesiae magisterio, peccatum fugit, animam suam, sanctitatis sitientem, precatione, meditatione, apostolico fervore, pietate erga Eucharistiam, Cor Iesu et Matrem Redemptoris aluit. Intimam fovit coniunctionem cum Domino, qui cordi eius locutus est illudque Dei amore, Ecclesiae, proximorum accendit, praesertim Sororum eius et sacerdotum pauperum, senum, aegrotorum, derelictorum aut peculiarium auxiliorum spiritalium indigentium; eiusque tam magna caritas fuit, ut se pro iis victimam devovent. Auxilio est fisa divino et etiam in acerbioribus casibus pacem interiorem et laetitiam servavit. Prudens fuit in usu instrumentorum sanctificationis suae, in Instituti administratione, in coeptibus apostolicis, in consiliis, quae filiabus suis spiritualibus dabat. Exemplari modo iustitiam erga Deum et proximum exercuit, temperantiam in bonis terrestribus adhibendis, patientiam in difficultatibus, fortitudinem in propositis, paenitentiam, humilitatem et vota religiosa. Divinae voluntati obsequens, aequo animo crucem tulit morborum, quibus annis extremis coacta est immobilis esse. Suam infirmitatem sanctificavit precatione et constanti Congregationis cura. Die 3 mensis Aprilis anno 1937 Cryptae Ferratae sancte vitam terrenam conclusit, a Sororibus suis dilecta et venerata.

Sanctitatis fama, qua in vita innotuit, etiam post mortem duravit, quapropter Episcopus Tusculanus initium fecit Causae beatificationis et canonizationis per celebrationem Processus Ordinarii Informativi. Decreto promulgato super Causae introductione, apud Vicariatum Romanum instructus est Processus Apostolicus (annis 1982-1985). Horum Processuum vis et auctoritas probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 8 mensis Novembris promulgato anno 1985. Confecta Positione, inquisitum est ex more an Serva Dei virtutes heroum in modum observavisset. Die 22 mensis Octobris anno 1996, exitu cum felici, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum est actus. Patres Cardinales deinde et Episcopi die 20 mensis Maii anno 1997, Causae Ponente Eminentissimo Cardinale Ioanne Canestri, declaraverunt Matrem Mariam Teresiam Casini heroum more virtutes théologales, cardinales iisque adnexas coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinale Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Teresiae (in saec.: Teresiae Mariae Casini), Fundatricis Congregationis Sororum Oblatarum a S. Corde Iesu, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Iulii A. D. 1997.

83 ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. ffi S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

VALENTINA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Ioannae Mariae Condesa Lluch fundatricis Congregationis Sororum Ancillarum Mariae Immaculatae (1862-1916)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Oculi in Domini vultum conversi haud minuunt in apostolo officium erga homines; contra, dum nova eum instruunt potestate historiam afficiendi, validum eum reddunt ut eandem historiam ab iis omnibus liberet quae eam déformant » (Ioannes Paulus II, Adhort. Apost, post-synod. ***Vita consecrata,*** 75: ***AAS,*** LXXXVIII [1996], 451).

Divinam contemplans caritatem, in vultu et in operibus Christi effictam, Ioanna Maria Condesa Lluch est amore erga proximum indigentem infiammata suamque consecravit vitam iuvenum operariarum atque puella-

rum pauperum humanae christianaeque progressioni hocque modo efficaciter operam dedit societatis temporis sui evangelizationi et bono animarum.

Serva Dei Valentiae in vitam venit, intra Hispaniae fines, die 30 mensis Martii anno 1862 ab Aloisio Condesa Raes, medico, et Ioanna Lluch Martínez. Sequenti die Baptismum accepit et biennio post Confirmationem. Anno 1865 est optimo patre orbata, qui erat in aegrotorum cura cholera morbo iniectus. Eius igitur educationi pia mater prospexit, sapienter adiuta a praeceptrice Teresia Ballester, quae postea prima Servam Dei secuta est in Congregatione condenda. In familia indolem suam vivacem ac fortem custodire didicit et rationem agendi sibi comparare oboedientem, humilem et simplicem. Decem annos nata eucharistico Pane primum se aluit, inde pro vita sua spiritali magnam hauriens utilitatem. Sodalis fuit Sodalicii Filiarum Mariae a Sancta Teresia a Iesu, quod est a Sancto Henrico de Ossó y Cervello institutum, aliarumque paroecialium consociationum. Cum fervore incubuit in christianam doctrinam docendas puellas pauperes inque egenos curandos et aegrotos. Privatim votum fecit castitatis seque Virgini Mariae consecravit. Difficilibus cognitis condicionibus iuvenum operariarum Valentinarum et moralibus periculis in quibus cotidie versabantur, mota caritate domum illis recipiendis statuit aperire atque earum consulere humanae religiosaeque educationi. Simul consilium cepit institutum condendi vitae consecratae, eiusmodi apostolatui deditum, arduo sane sed peculiariter necessario et urgenti. Magistri spiritualis consensionem habuit atque matris, quae, post aliquod haesitationis tempus, non solum assensa est, verum et conspicuum patrimonium filiae suppeditavit. Hinc, anno 1884, cum aliquibus sodalibus, primum aperuit receptaculum mulieribus operariis et scholam gratuitam puellulis. Archiepiscopus Valentinus tamen, ut eam experiretur, multos per annos eam dehortatus est a proposito novam condendi congregationem, quoad, anno 1892, canonicam Operi Servae Dei concessit approbationem, quod hodie appellatur Institutum Ancillarum Mariae Immaculatae et, sapienter ac diligenter Conditrice regente, secundum spiritum Litterarum Encyclicarum ***Rerum novarum*** Summi Pontificis Leonis XIII operatum est. Die mensis Decembris 10 eodem anno habitum induit religiosum; anno 1895 professionem temporaneam, fecit et anno 1911 perpetuam. Antistita generalis sedulam adhibuit curam de Sororum formatione, eas incitando ad sanctitatis absconditae ac tacitae viam percurrendam. Confirmationem provexit et auctum Congregationis suae et quattuor novas aperuit domos, quas crebro visitabat, etsi incommoda uteretur valetudine. In simpli-

citate inque humilitate omnibus claro et hilaro fuit exemplo fidelitatis erga Deum, Ecclesiam, consecrationem suam, Regulam, vota religiosa et munus, quod ei Providentia crediderat. Coram Deo vixit, in eius verbum firmiter credidit ac prompte constanterque eius fecit voluntatem. Vitae suae sanctitate fidem propagavit pariterque apostolatum pro mulieribus operariis, quarum multae in instituta religiosa ingressae sunt aut bonae fuerunt matres familias. Erga eas officiosa fuit ac similiter in pauperes se gessit, aegrotos suasque Sorores, quae eam dilexerunt et cum docilitate atque fiducia secutae sunt. Toto corde totaque mente Deum amavit, eius servavit legem, peccatum fugit, assidue precationem coluit et peculiarem pietatem in Eucharistiam, Iesum crucifixum ac Virginem Mariam. Prudens fuit in Instituti administratione, in operibus misericordiae exsequendis, in instrumentorum usu pro sua aliorumque sanctificatione. Iusta fuit erga Deum et proximos, potens sui, aequabilis, a bonis rebusque inanibus terrenis aliena, fortis, patiens et serena in difficultatibus et in multis infirmitatibus quibus non paucos per annos est afflicta. Magnam habuit Dei fiduciam suasque Sorores tranquille se divinae Providentiae committere docuit. Cum fervore et impensa pace interiore se praeparavit ad ultimum cum Domino occursum, qui eam ad se vocavit die 16 mensis Ianuarii anno 1916.

Sanctitatis fama, qua claruit in vita, etiam annis mansit qui sunt mortem secuti. Beatificationis et canonizationis Causa inita est ab Archiepiscopo Valentino per Processus ordinarii informativi celebrationem (annis 1953-1955), qui est a Congregatione pro Causis Sanctorum probatus decreto postridie idus Décembres promulgato anno 1984. Confecta Positione, inquisitum est an Serva Dei heroum in modum virtutes coluisset. Die 15 mensis Novembris anno 1996 actus est, prospero cum eventu, Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Die 18 mensis Martii anno 1997 Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria, Causae Ponente Excellentissimo Domino Mario Rizzi, Archiepiscopo titulari Balneoregiensi, edixerunt Matrem Ioannam Mariam Condesa Lluch heroum more virtutes théologales, cardinales iisque adnexas observavisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis

ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Ioannae Mariae Condesa Lluch, Fundatricis Congregationis Sororum Ancillarum Mariae Immaculatae, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 7 Iulii A. D. 1997.

83 ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. « S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

VERONEN.

Canonizationis beati Ioannis Calabria sacerdotis fundatoris Congregationum Pauperum Servorum et Pauperum Servarum Divinae Providentiae (1873-1954)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beatus Ioannes Calabria Veronae, in Italia, natus est postridie nonas Octobres anno 1873. Anno 1901 ordinatus sacerdos, ministerio pastorali et operibus misericordiae se tradidit, praesertim pro pauperibus et pueris derelictis et ad extremam societatem detrusis. Ad hoc assequendum propositum, Congregationes Pauperum Servorum et Pauperum Servarum Divinae Providentiae condidit, quas sapienter rexit in Dei atque hominum dolentium ministerio. Fructuosum explicavit apostolatum etiam extra Opera sua fundata et, vitae sanctitate, verbi, scriptorum et actionum lucem atque caritatem Christi in Ecclesia fudit et in temporis sui societate. Ampla ornatus et solida sanctitatis fama, in Domino obdormivit pridie nonas Décembres anno 1954, post vitam devotam pro sanitatis recuperatione Summi Pontificis Pii XII, graviter aegrotantis.

Beatificationis et canonizationis Causa inchoata est anno 1957 ab Episcopo Veronensi. Summus Pontifex Ioannes Paulus II, die 17 mensis Aprilis anno 1988 sollemniter eum beatum declaravit.

Eius canonizationis respectu, Causae Postulatio Congregationi de Causis Sanctorum miram coniectam sanationem iudicandam permisit, in Argentinae urbe Reconquistensi patratam et intercessioni eiusdem Beati tributam. Sanatio attinet ad Ritam Faccioli, nuptam Braida, quadraginta quattuor annorum, quae anno 1986 animadvertit parvum nodulum in mamilla sinistra, qui gradatim maior factus est et dolens. Die 28 mensis Maii subsequentis anni est mastectomia sinistra radicitus effecta cum lymphadenoctomia axillae, cum de neoplasmate maligno ageretur. Sex post diebus apparuerunt dyspnoea, cyanosis, haemoptois cum paresi dextra atque hemianopsi dextra. Aliae inspectiones clinicae ostenderunt plagas cerebri probabiliter indolis metastaticae; quapropter aegrota pridie idus Iunias eodem anno remissa domum est cum prognosi quam maxime suspensa quoad vitam. Vespere eiusdem illius diei sacerdos quidam Congregationis Pauperum Servorum Divinae Providentiae infirmam visitavit, quae gravibus in condicionibus versabatur, et una cum propinquis intercessionem invocavit Ioannis Calabria, ut a Deo sanationem obtineret. Postridie invocationes saepe iteratae sunt. Nocte inter diem tertium decimum et diem quartum decimum mensis Iunii anno 1987 ex improviso facta est salubris mutatio condicionum aegrotae generalium, quae die 16 mensis Iunii sine ulla difficultate pervenire potuit ad longinquam urbem Rosarium, ut inspectionibus medicorum se subiceret, quae in lucem protulerunt plagarum cerebri decessionem, quae antea perspectae sunt, et factam perfectam sanationem.

De asserto miro, confestim intercessioni ascripto Ioannis Calabria apud Curiam Reconquistensem celebrata est Inquisitio dioecesana, cuius auctoritas probata est a Congregatione de Causis Sanctorum die 10 mensis Februarii anno 1995. Consilium Medicorum Dicasterii, in sessione habita die 4 mensis Iulii anno 1996, affirmavit sanationem fuisse celerrimam, completam, stabilem, et ex scientia huius aetatis inexplicabilem. Die 10 mensis Ianuarii anno 1997 actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum et die 8 mensis Aprilis insequentis Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium atque Episcoporum, Causae Ponente Excellentissimo Domino Fiorino Tagliaferri, episcopo Viterbiensi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, die 27 mensis Iunii hoc eodem anno, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Beato Ioanne Calabria, Sacerdote, Fundatore Congregationum Pauperum Servorum et Pauperum Servarum Divinae Providentiae, videlicet de celérrima, completa ac stabili sanatione Ritae Faccioli a « cancro mammario con metastasi linfoghiandolari e lesioni cerebrali verosimilmente di natura metastatica ».***

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 7 mensis Iulii A. D. 1997.

88 ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. *B* S.

88 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

VIEDMEN.

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Artemidis Zatti laici professi Societatis S. Francisci Salesii (1880-1951)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum; at ille singulis manus imponens curabat eos» ***(Lc*** 4, 40).

Divini Pastoris exemplum secutus, « qui pertransivit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo» ***(Act*** 10, 38), Artemis Zatti magnam habuit caritatem curamque de aegrotis et pauperibus, pro quibus libenter vitam impendit.

Servus Dei ortus est die 12 mensis Octobris anno 1880 in pago Boretto, intra fines posito Guastallensis dioecesis, ab Aloisio Zatti et Albina Vecchi, qui eum christiana imbuerant educatione. Anno 1887 Confirmationem accepit atque necessario ludo peracto (annis 1886-1889) uti rusticus calo operam suam locupleti agricolarum familiae locavit. Nec paupertas nec labor, quem est puer expertus, eius indolem fregerunt vivacem, effusam et generosam.

Ineunte anno 1897, una cum suis, in Argentinam migravit atque in urbe Sinu Albo collocavit domicilium, cuius morales religiosaeque condiciones miserabiles erant. Tamen familia Zatti in christianis mansit principiis atque ecclesiam frequentare perrexit, sicut in Italia facere solebat. Artemis primum in deversorio opus obiit ac deinde in lateraria officina. Interim in amicitiam venit Salesianis illius loci et praesertim parocho Carolo Cavalli, qui eius factus est confessarius et spiritalis consiliator. Cum ei tempus erat vacuum a labore, Servus Dei eum ad visitandos aegrotos comitabatur, in exsequiarum atque in Missae celebratione ei ministrabat et gratuito aeditui munere fungebatur. Monitus ut sacerdotium peteret, ardenter est adhortationi assensus atque anno 1900 sedem candidatorum Salesianorum ingressus est in oppido Bernal apud Bonaëropolim. Mox bonam ostendit intellegentiam, fortem voluntatem, spiritum sacrificii, religiosum fervorem et docilem superioribus oboedientiam. Novum vitae genus, aer, alimonia ei non sufficiens, labores quos alacriter obibat et in primis assiduitas, quam iuveni sacerdoti phthisi affecto praebebat, in eius valetudinem pondus habuerunt; unde anno 1902 phthisim contraxit, id temporis insanabilem putatam. Ut se curaret missus est in Salesianam communitatem loci Viedma. Ibi Beatae Mariae Virgini Auxiliatrici pollicitus est se, si sanaretur, aegrotis assistendo esse dediturum. Post aliquot annos, a sacerdote Evaristo Garrone curatus, valetudinarii localis Sancti Ioseph atque adnexae medicamentarii tabernae rectore, perfecte consanuit ac, sicut promiserat, reliquum vitae suae pro aegrotis consumpsit. Tamquam frater laicus anno 1908 professionem religiosam fecit temporaneam et anno 1911 perpetuam.

Interea coeperat curam agere medicamentarii tabernae et valetudinarii, quorum postea per plus triginta annos administrator fuit. Cum intellegentia, peritia, prudentia et singulari caritate munera sustinuit sua, gloriam Dei semper quaerens, proximorum bonum ac generositatem imitans boni Samaritani (cf. ***Lc*** 10, 33-35). Aptiores reddidit valetudinarii structuras, formationis professoriae medicorum prospexit, omnibus cum viribus in dolores physicos et morales infirmorum levandos incubuit, providens ut iis corporis et animae salutem restitueret omnemque suam industriam continuum reddens apostolatum.

Cotidie birota vias urbis percurrebat ut aegrotis in eorum domibus assisteret. Fuit etiam infirmorum minister apud Collegium Sancti Francisci de Sales et apud Collegium Filiarum Mariae Auxiliatricis necnon apud carcerem; fautor fuit spiritalis Circuli Operariorum Catholicorum; vitae interfuit

paroeciali et dioecesanae atque, etsi multa erant negotia, ex consuetudine actibus communibus aderat suae religiosae familiae. Eius plena Deo et proximis devotio fide nitebatur simplici et solida immensaque et laeta caritate, quam verbo testatus est et exemplo in omni vitae circumstantia quamque sacramentis aluit, precatione, meditatione, ferventi pietate in Eucharistiam atque in Beatam Virginem Mariam. Propter Dei amorem diligenter eius observavit leges, vota religiosa, Regulam; alacriter et cum gaudio multis occurrit incommodis, graves obiit labores et efficaciter operam dedit Regno Christi aedificando, sapienter talenta caelitus accepta feneratus est. Multam nutrivit divinae Providentiae fiduciam; a bonis terrestribus alienus fuit et gaudium diffudit, pacem, spem. Vir fuit iustus, temperans, prudens et fortis in fidelitate erga suam consecrationem atque munus sibi a superioribus concreditum. Anno 1941 magno cum dolore demolitionem vidit valetudinarii, quod tot annis campus fuerat apostolatus eius, ut locus daretur episcopii et curiae dioecesanae exstructioni.

Tum consuluit aegrotorum translationi in sedem scholae agrestis Sancti Isidori et, per oeconomicas difficultates, sedulo beneficimi opus suum perrexit. Ab anno 1947 non iam valetudinarium administravit.

Mense Iulio anno 1950 de scalis delapsus est. Iussus est conquiescere; quod quidem in oboedientiae spiritu accepit. Sed vires non recuperavit et secuto mense Novembri signa apparuerunt cancri. Cum tranquillitate, patientia et fortitudine acres tulit dolores. Sancte in Domino obdormivit idibus Marths anno 1951, ampla clarus sanctitatis fama, quae maxime significata est in exsequiis, quibus multus populus et numerosae religiosae ac civiles auctoritates interfuerunt.

Haec fama solidata est et aucta volventibus annis; quam ob rem Episcopus Viedmensis, Sanctae Sedis obtento permissu, ad normam M. P. « Sanctitas Clarior », Causam introduxit beatificationis et canonizationis atque Processum celebravit cognitionalem (annis 1980-1982), cuius auctoritas probata est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum postridie idus Décembres promulgatum anno 1984. Confecta Positione, disceptatum est ex more an Servus Dei heroum in modum virtutes exercuisset. Die 25 mensis Octobris anno 1996, prospero cum eventu, est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris actus. Patres porro Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 8 mensis Aprilis habita anno 1997, Causae Ponente Eminentissimo Cardinale Ioanne Canestri, affirmaverunt Artemidem Zatti heroum more virtutes théologales, cardinales et his adnexas coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, die 27 mensis Iunii hoc eodem anno, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinale Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Artemidis Zatti, laici professi Societatis S. Francisci Salesii, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Iulii A. D. 1997.

® ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. *m* S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

VINDOBONEN.

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Iacobi Kern (in saec.: Francisci Alexandri) sacerdotis professi Canoniae Gerusenae Ordinis Praemonstratensis (1897-1924)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Iacobus Kern (in saeculo: Franciscus Alexander) Vindobonae natus est die 11 mensis Aprilis anno 1897. Dum seminarii alumnus erat, ad arma est citus et priori totius mundi bello interfuit, in quo gravi est vulnere affectus, quod causa fuit postea eius mortis. Ordinem Praemonstratensem ingressus, professionem simplicem fecit anno 1921 et ordinationem accepit presbyteralem anno 1922. Cum fervore ministerio pastorali se dedidit, quod breve fuit, siquidem eum valetudo defecit. Post lon-

gum acerbumque morbum, cum fortitudine exceptum et tranquilla Dei voluntati obtemperationi, est praemium aeternum adeptus die 20 mensis Octobris anno 1924.

Fama sanctitatis qua in vita claruit, post mortem quoque duravit; quamobrem Archiepiscopus Vindobonensis anno 1958 initium fecit Causae beatificationis et canonizationis. Die mensis Iulii 11 anno 1995 Summus Pontifex Ioannes Paulus II declaravit Servum Dei Iacobum Kern virtutes théologales, cardinales et his adnexas heroum in modum observavisse.

Beatificationis respectu, Postulatio iudicio Congregationis de Causis Sanctorum coniectam permisit miram sanationem, Vindobonae patratam anno 1971 eiusdemque Venerabilis intercessioni ascriptam. Casus pertinet ad puerulum Haraldum Krehan, qui, tres annos natus (anno 1970) ostendere incepit varias valetudinis perturbationes, quales astheniam, vomitionem, soporem, aequilibritatis amissionem. Post aliquas peculiares inspectiones, diagnosis facta est de tumore in parte cerebri dextra. In sectione chirurgica, effecta die 24 mensis Iunii anno 1971, tumoris solummodo pars visibilis recisa est, qui histologice agnitus est uti medulloblastoma macrocellulare. Ob singularem tumoris malignitatem medici prognosim tulerunt infaustam quoad vitam, affirmantes puerulum non amplius duos annos esse victurum. Idcirco parentes pueruli aliique propinqui statim intercessionem Iacobi Kern invocaverunt. Pluries precaturi se contulerunt ad eius sepulcrum et domi quoque eum invocare perrexerunt instanter et cum fiducia. Decem post sectionem chirurgicam diebus medici viderunt vulnus esse sanatum et puerulum se plena cum libertate movere. Deinceps inspectiones clinicae patefecerunt sanationem fuisse perfectam et stabilem.

De casu, miro putato, annis 1991-1992 apud Curiam Vindobonensem instructa est inquisitio dioecesana, cuius auctoritas probata est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 20 mensis Maii anno 1994 promulgatum. Dicasterii Consilium Medicorum, in sessione die 4 mensis Iulii anno 1996 acta, edixit sanationem celerem fuisse, completam, stabilem et ex scientia inexplicabilem. Die 24 mensis Ianuarii anno 1997 factus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris et die 15 mensis Aprilis eodem anno Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Excellentissimo Domino Ottorino Petro Alberti, Archiepiscopo Calaritano. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Iacobo Kern, Sacerdote professo Canoniae Gerusenae Ordinis Praemonstratensis, videlicet de celeri, completa et stabili sanatione pueruli Haraldi Krehan a « medulloblastoma al punto di partenza del tetto del 4° ventricolo e con penetrazione nel cervelletto ».***

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 7 mensis Iulii A. D. 1997

83 ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. SB S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

COLATINENSIS et SANCTI MATTHAEI

de finium mutatione

DECRETUM

Quo aptius christifidelium pastorali curae consuli possit, Exc.mi PP. DD. Gerardus Lyrio Rocha, Episcopus Colatinensis, et Aldo Gema, M.C.CL, Episcopus Sancti Matthaei, unanimi consensu ab Apostolica Sede expostulaverant ut circumscriptionum sibi concreditarum fines aliquantulum immutarentur. Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P.D. Alfii Rapisarda, Archiepiscopi titulo Cannensis et in Brasilia Apostolici Nuntii, rata huiusmodi immutationem christifidelium bono pro-

futuram, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Ioanne Paulo, divina Providentia PP. II, tributarum, oblatis precibus annuendum censuit. Quapropter, hoc Decreto, perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo datae forent, a dioecesi Colatinensi distrahit partem territorii municipii novi vulgo « Viia **Valerio** » paroeciae vulgo « Sooretama » pertinentem, eamque dioecesi Sancti Matthaei adnectit, mutatis, hac ratione, utriusque ecclesiasticae circumscriptionis finibus. Quamobrem documenta et acta praefati territorii clericos, fideles ac bona temporalia respicientia a Curia Colatinesis ad Curiam Sancti Matthaei transmittantur. Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis deputat memoratum Exc.mum Apostolicum Nuntium vel, ipso a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis in Brasilia gestorem, necessarias et opportunas eisdem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 28 Novembris anno 1997.

83 BERNARDINUS card. GANTIN, *Praef.*

83 Georgius M. Mejia, *a Secretis.*

L. © S.

In Congr. pro Episcopis tab., n. 824/97

CAXIENSIS AUSTRALIS et SANCTAE CRUCIS IN BRASILIA

de finium mutatione

DECRETUM

Quo aptius christifidelium pastorali curae consuli possit, Exc.mi PP. DD. Nei Paulus Moretto, Episcopus Caxiensis Australis, et Aloisius Sinesius Bohn, Episcopus Sanctae Crucis in Brasilia, unanimi consensu ab Apostolica Sede expostulaverunt ut circumscriptionum sibi concreditarum fines aliquantulum immutarentur. Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P.D. Alili Rapisarda, Archiepiscopi titulo Cannensis et in Bra-

silia Apostolici Nuntii, rata huiusmodi immutationem christifidelium bono profuturam, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Ioanne Paulo, divina Providentia PP. II, tributarum, oblatis precibus annuendum censuit. Quapropter, hoc Decreto, perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, a dioecesi Caxiensi Australi distrahit integrum territorium paroeciae « Sanctae Mariae de Purificatione » in civitate vulgo Muçum, atque territorium paroeciae « Sancti Ioannis Baptistae », in civitate vulgo Vespasiano Correa, eaque dioecesi Sanctae Crucis in Brasilia adnectit, mutatis, hac ratione, utriusque ecclesiasticae circumscriptionis finibus. Ad clerum quod attinet statuit ut simul ac praesens Decretum ad effectum deductum fuerit sacerdotes Ecclesiae illi censeantur adscripti in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri autem sacerdotes, clerici seminariique tirones circumscriptioni illi incardinentur vel incardinati maneant in cuius territorio legitimum habent domicilium. Quamobrem documenta et acta praefatorum territoriorum clericos, fideles ac bona temporalia respicientia a Curia Caxiensi Australi ad Curiam Sanctae Crucis in Brasilia transmittantur. Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis deputat memoratum Exc.mum Apostolicum Nuntium vel, ipso a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis in Brasilia gestorem, necessarias et opportunas eisdem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 12 Decembris anno 1997.

88 BERNARDINUS card. GANTIN, ***Praef.***

88 Georgius M. Mejia, ***a Secretis.***

L. © S.

In Congr.. pro Episcopis tab., n. 703/97

CRUCIS ALTAE et PASSOFUNDENSIS

de finium mutatione

DECRETUM

Quo aptius christifidelium pastorali curae consuli possit, Exc.mi PP.DD. Iacobus Robertus Hilgert, Episcopus Crucis Altae, et Urbanus Iosephus Allgayer, Episcopus Passofundensis, unanimi consensu ab Apostolica Sede expostulaverunt ut circumscriptionum sibi concreditarum fines aliquantulum immutarentur. Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P.D. Alfii Rapisarda, Archiepiscopi titulo Cannensis et in Brasilia Apostolici Nuntii, rata huiusmodi immutationem christifidelium bono profuturam, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Ioanne Paulo, divina Providentia PP. II, tributarum, oblatis precibus annuendum censuit. Quapropter, hoc Decreto, perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, a dioecesi Crucis Altae distrahit integrum territorium paroeciae « Dominae Nostrae de Lourdes » in civitate vulgo Nova Alvorada, atque territorium paroeciae « Sancti Michaelis Arcangeli », in civitate vulgo Itapuca, eaque dioecesi Passofundensi adnectit, mutatis, hac ratione, utriusque ecclesiasticae circumscriptionis finibus. Ad clerum quod attinet statuit ut simul ac praesens Decretum ad effectum deductum fuerit sacerdotes Ecclesiae illi censeantur adscripti in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri autem sacerdotes, clerici seminariique tirones circumscriptioni illi incardinentur vel incardinati maneant in cuius territorio legitimum habent domicilium. Quamobrem documenta et acta praefatorum territoriorum clericos, fideles ac bona temporalia respicientia a Curia Crucis Altae ad Curiam Passofundensem transmittantur. Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis deputat memoratum Exc.mum Apostolicum Nuntium vel, ipso a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis in Brasilia gestorem, necessarias et opportunas eisdem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 12 Decembris anno 1997.

83 BERNARDINUS card. GANTIN, ***Praef.***

83 Georgius M. Mejia, ***a Secretis.***

L. © S.

In Congr. pro Episcopis tab., n. 722/97

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 21 Novembris 1997. — Titulari episcopali Ecclesiae Timicitanae R.D. Ioannem Du, hactenus in Seminario archidioecesis Nominis Iesu pro spiritualibus Moderatorem, quem Auxiliarem eiusdem archidioecesis deputavit.

die 28 Novembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Vazaritanae Diddensi R.D. Iosephum Palma, e clero archidioecesis Iarensis, hactenus in loco vulgo dicto Borotoc Nuevo parochum, quem Auxiliarem archidioecesis Nominis Iesu deputavit.

die 19 Decembris. — Cathedralibus Ecclesiis Corcagiensi et Rossensi, invicem unitis, Exc.mum P.D. Ioannem Buckley, hactenus Episcopum titularem Leptimagnensem et Auxiliarem earundem dioecesium.

die 20 Ianuarii 1998. — Cathedrali Ecclesiae Maasinensi, Exc.mum P.D. Pretiosum Cantillas, hactenus Episcopum titularem Vicensem Caesaris et Auxiliarem archidioecesis Nominis Iesu.

die 14 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Masbatensi R.D. Ioel Baylon, e clero dioecesis Legazpiensis, hactenus in loco vulgo dicto Bigaa parochum.

die 7 Martii. — Archiepiscopum Coadiutorem archidioecesis Cochabambensis Exc.mum P.D. Titum Solari, S.D.B., hactenus Episcopum titularem Aquaenovensem in Numidia et Auxiliarem archidioecesis Santae Crucis de Sierra.

— Cathedrali Ecclesiae Potosiensi in Bolivia Exc.mum P.D. Valtherum Pérez Villamonte, hactenus Episcopum titularem Curubitanum et Auxiliarem archidioecesis Sucrensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Elvensi R.D. Thomam Petrum Barbosa da Silva Nunes, e clero Patriarchatus Lisbonensis, Officii dioecesani Institutioni Religiosae tradendae moderatorem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem Patriarchatus.

— Titulari episcopali Ecclesiae Hierpinianensi R.D. Iosephum Franciscum Sanches Al ves, hactenus Vicarium generalem Eborensem, quem deputavit Auxiliarem Patriarchatus Lisbonensis.

die 11 Martii 1998. — Titulari episcopali Ecclesiae Casamedianensi R.D. Eduardum Benes de Sales Rodrigues, hactenus Vicarium generalem archidioecesis Iudiciforensis, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Portalegrensis in Brasilia.

die 23 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Tabuniensi R.P. Georgium Mazur, Societatis Verbi Divini in Russia superiorem, quem deputavit Auxiliarem Administrationis Apostolicae Siberiae Latinorum.

— Titulari episcopali Ecclesiae Chusirensi R.D. Clementem Pickel, parochum in urbe vulgo Marks, quem deputavit Auxiliarem Administrationis Apostolicae Russiae Europaeae Latinorum.

die 25 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Luceoriensi Exc.mum P.D. Markijan Trofimiak, hactenus Episcopum titularem Auziensem et Auxiliarem Leopolitanum Latinorum.

— Cathedrali Ecclesiae Christoliensi Exc.mum P.D. Danielem Labille, hactenus Episcopum Suessionensem.

— Cathedrali Ecclesiae Campaniensi R.D. Adamantinum Prata de Carvalho, O.F.M., in Brasilia Conceptionis B. Mariae Virginis provinciae Ordinis Fratrum Minorum sodalem, hactenus paroeciae Sancti Laurentii in eadem dioecesi Parochum.

— Cathedrali Ecclesiae Otonipolitanae Exc.mum P.D. Diogum Reesink, O.F.M., hactenus Episcopum Almenarensem.

— Ordinariatui Militari Canadae, R.D. Donaldum Thériault, e clero dioecesis Londonensis hactenus curionem paroeciae Sancti Francisci Xaverii in civitate Tilbury et Vicarium episcopalem eiusdem dioecesis.

die 26 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Curubitanae Exc.mum P. D. Claudium Silvero Acosta, S.C.I. de Bétharram, hactenus Episcopum Oviedopolitanum, quem constituit Auxiliarem dioecesis Sanctissimae Incarnationis.

— Cathedrali Ecclesiae Oviedopolitanae R.P. Ignatium Gogorza Izaguirre, S.C.I. de Bétharram, hactenus paroeciae vulgo nuncupatae « Sagrado Corazón de Jesús » curionem in dioecesi De Parania Superiore.

die 28 Martii. — Titulari Ecclesiae Rusellensi R.P. Marcellum Zago, hactenus Missionarium Oblatorum Beatae Mariae Virginis Immaculatae Moderatorem generalem, quem constituit Congregationis pro Gentium Evangelizatione a Secretis et archiepiscopali dignitate ornavit.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit, seu nominavit.

die 21 Novembris 1997. — Coadiutorem dioecesis Meerutensis R.D. Osvaldum Lewis, Vicarium generalem Lucknovensem.

die 13 Decembris. — Episcopum coadiutorem Bangassuensem R.P. Ioannem-Iosephum Aguirre Muñoz, M.C.C.I., praefati Instituti religiosi in Republica Africae Mediae provincialem.

— Coadiutorem Exc.mi P.D. Adeodati M'Sanda Tsinda-Hata, Episcopi Kengensis, R.P. Casparem Mudiso, Societatis Verbi Divini in Urbe Consilii generalis sodalem.

die 17 Ianuarii 1998. — Metropolitanae Ecclesiae Nagpurensi Exc.mum P.D. Abrahamum Viruthakulangara, hactenus Episcopum Khandvaënsem.

— Metropolitanae Ecclesiae Taunggyiensi, noviter erectae, Exc.mum P.D. Matthaeum U Shwe, hactenus Episcopum eiusdem sedis episcopalis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Canapitanae R.P. Ioannem Ha Tiong Hock, Vicarium generalem atque Seminarii maioris archidioecesis Kuchingensis rectorem, quem deputavit Auxiliarem praefatae metropolitanae Ecclesiae.

— Titulari episcopali Ecclesiae Thignicensi R.P. Anastasium Cahango, O.F.M. Cap., paroeciae «Nossa Senhora de Fatima» nuncupatae in urbe Luandensi curionem, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Luandensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae a Vico Augusti R.P. Albertum Campos Hernández, O.F.M., in oppido vulgo dicto Rushooka sito in Ugandensi regione dioecesis Mbararaënsis superiorem, quem constituit Vicarium Apostolicum Sancti Iosephi de Amazones.

die 14 Februarii 1998. — Cathedrali Ecclesiae Miarinarivensi R.D. Raimundum Razakarinvony, archidioecesis Antananarivensis Vicarium generalem.

— Cathedrali Ecclesiae Gibraltariensi R.D. Carolum Caruana, Vicarium generalem necnon cathedralis templi eiusdem dioecesis administratorem.

— Cathedrali Ecclesiae Kolensi R.P. Stanislaum Lukumwena, O.F.M., praefati Ordinis per Rempublicam Democraticam Congensem atque Rempublicam Africae Mediae Ministrum provincialem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Utimmirensi R.D. Bernardum Kasanda Mulenga, e clero dioecesis Mbugimayensis, quem constituit Auxiliarem praefatae circumscriptionis ecclesiasticae.

— Titulari episcopali Ecclesiae Molicunzensi R.P. Iosephum Gustavum Ste-Marie, Missionariorum Africae sodalem, quem constituit Auxiliarem Dedzaënsem.

die 1 Martii. — Metropolitanae Ecclesiae Hochiminopolitanae Exc.mum P.D. Ioannem Baptistam Pham Minh Mân, hactenus Episcopum coadiutorem Mythoënsem.

— Metropolitanae Ecclesiae Huéensi Exc.mum P.D. Stephanum Nguyên Nhu Thè, hactenus Archiepiscopum titularem Tipasitanum in Mauretania et Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » praefatae archidioecesis.

NOMINATIONES

Peculiaribus datis decretis, Congregatio pro Gentium Evangelizatione ad suum beneplacitum renuntiavit:

die 1 Martii 1998. — Em.mum P.D. Paulum Iosephum S.R.E. Cardinalem Pham Dinh Tung, Archiepiscopum Metropolitam Hanoiensem, Administratorem Apostolicum « sede plena et ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Langsonensis et Caobangensis.

die 25 Martii. — Exc.mum P.D. Floribertum Songasonga Mwitwa, Episcopum Koluezensem, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » archidioecesis Lubumbashiensis.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza:

Lunedì, 9 Marzo 1998, S.E. il Signor PIERRE BUYOYA, Presidente della Repubblica del Burundi.

Venerdì, 20 Marzo 1998, S.E. il Signor ARNOLDO ALEMÁN LACAYO, Presidente della Repubblica del Nicaragua.

Venerdì 27 Marzo 1998, S.E. il Signor ROBERTO ROBAINA GONZALEZ, Ministro degli Affari Esteri di Cuba.

Da sabato 21 a lunedì 23 marzo 1998 il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio in Nigeria.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

7 marzo 1998. S.E. mons. Andrea Cordero Lanza di Montezemolo, Arcivescovo tit. di Tuscania, *Nunzio Apostolico in Italia e nella Repubblica di San Marino.*

» » » S.E. mons. Manuel Monteiro de Castro, Arcivescovo tit. di Beneventum, Nunzio Apostolico in Sud Africa, Namibia e Swaziland, *Nunzio Apostolico in Lesotho.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

19 febbraio 1997. Il dott. Carlos Blanco Pérez Ascario e il prof. Guglielmo León Escobar Herrán, *Consultori del Pontificio Consiglio per la Famiglia « ad quinquennium ».*

24 » 1998. Il rev. Nicola Bux; p. Euthymius Satre Santos, C.M.F.; p. Szczepan T. Praskiewicz, O.C.D.; p. Marek Inglot, S.I., *Consultori della Congregazione delle Cause dei Santi « ad quinquennium ».*

7 marzo 1998. Il rev. Giovanni D'Ercole F.D.P., *Capo ufficio nella Sezione per gli Affari Generali della Segreteria di Stato.*

» » » S.E. mons. Jorge Maria Mejía, Arcivescovo tit. di Apollonia, *Archivista e Bibliotecario di Santa Romana Chiesa.*

» » » S.E. mons. Francesco Monterisi, Arcivescovo tit. di Alba Marittima, *Segretario della Congregazione per i Vescovi.*

» » » S.E. mons. Francesco Monterisi, Arcivescovo tit. di Alba Marittima, Segretario della Congregazione per i Vescovi, *Segretario del Collegio Cardinalizio.*

9 » » L'Em.mo Signor Cardinale Joachim Meisner, *Membro della Prefettura degli Affari Economici della Santa Sede « in aliud quinquennium ».*

» » » P. David Jaeger, O.F.M., *Consultore del Pontificio Consiglio per l'Interpretazione dei Testi Legislativi « ad quinquennium ».*

» » » Mons. Raffaello Funghini, Uditore di Rota, *Consigliere della Penitenzieria Apostolica.*

12 » » I monsignori Lucian Lamza e Djura Dzudzar, *Capi Ufficio nella Congregazione per le Chiese Orientali.*

14 » » Gli Em.mi Signori Cardinali Roger Etchegaray, Simon D. Lourdusamy, Paul Poupard, Achille Silvestrini, Edward I. Cassidy, *Membri del Pontificio Consiglio per il Dialogo Inter-Religioso « in aliud quinquennium ».*

28 » » Mons. Karel Kasteel, *Segretario del Pontificio Consiglio « Cor Unum ».*

» » » Il rev. Francisco Azcona San Martin, *Sotto-Segretario del Pontificio Consiglio « Cor Unum ».*

NECROLOGIO

3 marzo 1998. Mons. John F. O'Grady, Vescovo em. di Prince George *(Canada).*

8 » » Mons. Luigi Boccadoro, Vescovo em. di Viterbo *(Italia).*

12 » » Mons. Louis Lévesque, Arcivescovo em. di Rimouski *(Canada).*

13 » » Mons. Paul Etoga, Vescovo em. di Mbalmayo *(Camerun).*

» » » Mons. Jacques Ménager, Arcivescovo em. di Reims *(Francia).*

16 » » Mons. Antonio Mazza, Vescovo em. di Piacenza-Bobbio *(Italia).*

» » » Mons. Jacson Damasceno Rodrigues, Vescovo tit. di Lamfua.

18 » » Mons. Alberto Tre visan, Vescovo tit. di Centuriones.

19 » » Mons. Jean-Baptiste Outhay Thepmany, Vescovo tit. di Sfasteria.

20 » » Mons. Jean Zoa, Arcivescovo di Yaounde *(Camerun).*

22	marzo	1998.	Mons. John R. Keating, Vescovo di Arlington *(Stati Uniti d'America).*
25	»	»	Mons. Neil Willard, Vescovo tit. di Tisedi.
28	»	»	Mons. Luke P. Matlatarea, Vescovo di Bereina *(Papua Nuova Guinea).*
30	»	»	Mons. André Loucheur, Vescovo em. di Bafia *(Camerun).*

An. et vol. XC 2 Maii 1998 N. 5

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE DECRETALES

quibus beato Aegidio Mariae a Sancto Ioseph Pontillo sanctorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Ite ergo ad exitus viarum et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias » *(Mt* 22, 9).

Quemadmodum similitudinis servi fecerunt, beatus Aegidius Maria a Sancto Ioseph (saeculari nomine Franciscus Pontillo appellatus) Deo iubenti obtempera vit atque suam vitam magna ex parte in Neapolitanis viis exegit, lumen et Christi caritatem in plebem potissimumque in pauperes effundendo necnon Redemptionis ad epulas participandas cunctos invitando.

Humilis hic S. Francisci Assisiensis filius Tarentina in urbe ex Cataldo Pontillo et Gratia Procaccio die xvi mensis Novembris anno MDCCXXIX natus est. Puer iam opus apud restiarios incepit ac patre orbus suam sustentare debuit pauperem familiam. Anno MDCCLIV Fratrum Minorum Alcantarinorum familiam adeptus est Provinciae Lupianae, illud tandem consilium complens, scilicet « pro Domino cogitandi et operandi ». Religiosis votis nuncupatis, ad Squinzanum claustrum ut coqui opus sustineret atque anno MDCCLIX Neapolim missus est, ubi mansit usque ad mortem. Ibidem primum fuit coquus, deinde ianitor, tum mendicans urbis per vias. Bona sane valetudine praeditus et eximiis virtutibus, inter quas humilitas, facilitas, orationis sacrificiique spiritus eminebant, suum tenue officium effecit ut evangelizationis solidarietatisque in populum christianae opus indefessum fieret atque tanta fuit eius pro omnibus sollicitudo et amor, ut Neapolis ha-

beretur solator. Dum stipes pro suo claustro colligebat, pacem ac spem in hominum cordibus largiter disseminavit; cum flentibus flevit et cum gaudentibus gavisus est, omnibus suae sanctae vitae exemplo verborumque sapientia caeli semitas commonstrans. « Deum amate, Deum amate », iterare solebat iis quotquot eum conveniebant quotide et laboriose urbis per vias peregrinantem. Nobiles et eruditi hoc cum franciscali, simplicem et fidei plenum adhibente sermonem, colloqui cupiebant. Aegroti de suis aerumnis levabantur, eum prope se suscipientes. Pauperes, derelicti atque vexati in humili illo mendico vultum Dei misericordis detegebant. Cum loci illi socialibus contentionibus extremaque rerum penuria spiritusque premerentur, omnes ad cordis conversionem, ad reconciliationem cum Deo proximoque, ad bona aeterna conquirenda vocabat. Cum Deo constans coniunctio, fervens in Christi humanitatem, Eucharistiam, Virginem Mariam devotio, Regulae et religiosorum votorum perfecta laetaque observantia, animam eius simplicem et in Domini voluntatem pronam aluerunt eumque fulgidum signum effecerunt Dei sanctitatis et germanum Evangelii testem. Sanctitatis fama signorumque perfusus, die VII mensis Februarii anno MDCCCXII ad aeterna tabernacula demigravit. Paucis annis post beatificationis canonizationisque causa incohata est. Iis peractis a iure illius temporis statutis, Decessor Noster Leo XIII, die v mensis Februarii anno MDCCCLXXXVIII eum Beatum proclamavit. Canonizationis causa die xv mensis Decembris anno MCMXCIV Nobis coram super miro prodiit Decretum, quod Tarenti anno MCMXXXVII evenit. Favorabilibus exinde suffragiis Patrum Cardinalium et Episcoporum in Consistorio coadunatorum roborati, statuimus ut ritus canonizationis die II mensis Iunii anno MCMXCVI Romae celebraretur.

Hodie igitur apud Basilicam Sancti Petri, inter sacra hanc elocuti sumus Canonizationis formulam:

Ad Honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Ioannem Gabrielem Perboyre, Aegidium Mariam a Sancto Ioseph Pontillo et Ioannem Grande Román Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Eximius praeclarusque hic vir insignes dedit religiosae pietatis operumque bonorum testificationes. Pertinet ipse ad

spectabiles homines illos qui simpliciter peragrabant urbes, cunctos solantes, cunctos iuvantes, cunctos salutaribus beneficiis afficientes. Is ideo coram omnibus fulgens habetur exemplar, unde catholica fides et industria usque proferantur et quam plurimos homines attingant, quo cuncti supernis firmati praesidiis, salutifera Domini dona et Evangelii bona prolixius consequantur.

Quod autem decrevimus volumus et nunc et in posterum vim habere, contrariis minime officientibus rebus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die secundo mensis Iunii anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo sexto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

EGO IOANNES PAULUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Eugenius Sevi, ***Protonot. Apost.***



Loco 68 Plumbi
In Secret, Status tab., n. 402,678

CONSTITUTIO APOSTOLICA

TAUNGGYIENSIS

In Myanmara ecclesiastica Provincia Taunggyiensis conditur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ipso optime opitulante Domino pluribus quidem de causis laetari Nos oportet quod catholicum nomen ubique gentium felix capit incrementum et

uberiores usque effundit fructus. Pro viribus autem Nos studemus interea ecclesiastica passim instituta melioribus instruere condicionibus ac solidioribus etiam iuris ipsius structuris. Hodie propterea ad Myanmarenses Ecclesiae communitates animum mentemque convertimus utpote cum earundem occurrere necessitatibus pastoralibus commodisque prorsus spiritalibus concupiscamus. De consilio propterea ipsius Congregationis pro Gentium Evangelizatione, rogatis iis sententiam quorum interfuit, Apostolica Nostra usi potestate quae sequuntur singula statuimus et decernimus. Novam Provinciam ecclesiasticam in Myanmara condimus scilicet *Taunggyiensem,* quam particularem ecclesiam ad gradum archidioecesis metropolitanae attollimus, cui videlicet veluti suffraganeae subici iubemus dioeceses Tunguensem, Kengtunghensem et Loikavensem. Porro Venerabilem Fratrem Matthiam U Shwe, hactenus episcopum Taunggyiensem ad dignitatem stationemque Archiepiscopi Metropolitae evehimus, cunctis iuribus concessis officiisque congruentibus impositis secundum iuris communis praecepta. Haec omnia ut expediantur, Venerabilem Fratrem Aloisium Bressan, Archiepiscopum titulo Severianensem atque in Myanmara Delegatum Apostolicum, legamus eique haec munia praestanda committimus. Re tandem feliciter ad exitum perducta, documenta apparentur quorum exempla sincera ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione transmittantur, contrariis rebus minime quibusvis obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die decimo septimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo octavo, Pontificatus Nostri vicesimo.

68 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Carmelus Nicolosi, *Protonot. Apost.*

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 426.733

LITTERAE APOSTOLICAE

Templum paroeciale Deo dicatum in honorem sanctorum Petri, Marcellini et Erasmi, martyrum, in loco v.d. « Besana Brianza » in archidioecesi Mediolanensi, ad gradum Basilicae minoris evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Ad pleniorem cum Christo firmandam Christifidelium coniunctionem, libenter quidem occasionem capimus divinum cultum diffundendi atque sacras in toto orbe aedes exornandi. Ideoque, cum Venerabilis Frater Noster Carolus Maria S.R.E. Cardinalis Martini, Archiepiscopus Mediolanensis, cleri populique vota interpretatus, rogaverit ut templum paroeciale Deo dicatum in honorem sanctorum Petri, Marcellini et Erasmi, martyrum, in loco v.d. « Besana Brianza » in archidioecesi Mediolanensi situm, ad dignitatem Basilicae minoris eveheretur, petitioni illi libenti animo obsecundare volumus. Itaque de Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum consultu, Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, statuimus ut sacra illa aedes ad titulum ac dignitatem Basilicae minoris evehatur, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae templis hoc nomine insignibus rite competunt, secundum Decretum « De titulo Basilicae minoris », die ix mensis Novembris anno MCMLXXXIX datum. Contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die III mensis Martii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

£8 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 429.803

SOLLEMNIS CONVENTIO

INTER APOSTOLICAM SEDEM ET POLONIAE REM PUBLICAM

CONCORDATO

fra la Santa Sede
e la Repubblica di Polonia

La Santa Sede
e la Repubblica di Polonia

- nell'intento di regolare in maniera stabile ed armonica le mutue relazioni;
- tenendo conto che la religione cattolica è professata dalla maggioranza dei cittadini della Nazione Polacca;
- rilevando la missione della Chiesa Cattolica, il ruolo che la Chiesa ha svolto nella storia millenaria dello Stato Polacco, nonché il significato del pontificato di Sua Santità Giovanni Paolo II per la storia contemporanea della Polonia;
- considerando l'importanza decisiva della riconquista dell'indipendenza e della sovranità per lo Stato Polacco, e avendo sollecitudine del suo sviluppo;
- costatando il contributo rilevante della Chiesa allo sviluppo della persona umana e al consolidamento della moralità;

KONKORDAT

miedzy Stolica_ Apostolsk%
i RzeczajDospolita^ Polska^

Stolica Apostolska
i Rzeczpospolita Polska

- dajza^c do trwalego i harmonijnego uregulowania wzajemnych stosunków;
- biora_c pod uwagç fakt, ze religia katolicka jest wyznawana przez wiekszosc spoleczeñstwa polskiego;
- podkreslajac poslannictwo Kosciola katolickiego, rol§ odegrana^ przez Kosciól w tysia_cletnich dziejach Pañstwa Polskiego oraz znaczenie pontyfikatu Jego Swi%tobliwosci Papieza Jana Pawla II dia wspólczesnych dziejów Polski;
- zwazywszy przelomowe znaczenie odzyskania niepodleglosci i suwerennosci przez Pañstwo Polskie oraz w trosce o jego pomyslny rozwój ;
- stwierdzajac doniosly wklad Kosciola w rozwój osoby ludzkiej i umacnianie moralnosci;

- guidati dai suddetti valori e dai principi comuni del diritto internazionale, nonché dai principi riguardanti il rispetto dei diritti dell'uomo e delle libertà fondamentali, e l'eliminazione di tutte le forme d'intolleranza e di discriminazione per motivo di religione;
- ritenendo che lo sviluppo di una società libera e democratica è fondato sul rispetto della dignità della persona umana e dei suoi diritti;
- prendendo atto della nuova struttura organizzativa della Chiesa in Polonia, sancita con la Bolla Pontificia «Totus Tuus Poloniae populus»;

avendo la Repubblica di Polonia preso in considerazione i suoi principi costituzionali e leggi, e la Santa Sede i documenti dei Concilio Vaticano II riguardanti la libertà religiosa ed i rapporti tra la Chiesa e la comunità politica, nonché le norme del diritto canonico, hanno deciso di stipulare il presente Concordato.

A tal fine, la Santa Sede, rappresentata da Sua Eccellenza Monsignor Józef Kowalczyk, Arcivescovo titolare di Eraclea e Nunzio Apostolico a Varsavia, e la Repubblica di Polonia, rappresentata da Sua Eccellenza il Signor Krzysztof Skubiszewski, Ministro degli Esteri, hanno stabilito di comune intesa, quanto segue:

- kierujac sic wymienionymi wartosciami oraz powszechnymi zasadami prawa miedzynarodowego, lacznie z normami dotyczacymi poszanowania praw czlowieka i podstawowych swobód oraz wyeliminowania wszelkich form nietolerancji i dyskryminacji z powodów religijnyeh;
- uznajac, ze fundamentem rozwoju wolnego i demokratycznego spoleczeñstwa jest poszanowanie godnosci osoby ludzkiej i jej praw;
- uwzgledniajac nowa. struktur^ administracyjna. Kosciola w Polsce ustanowiona. Bulla^ papieska. «Totus Tuus Poloniae populus»;

postanowily zawrzec niniejszy Konkordat, przy czym Rzeczpospolita Polska uwzglednila swe zasady konstytucyjne i ustawy, a Stolica Apostolska - dokumenty Soboru Watykañskiego II dotycza.ee wolnosci religijnej i stosunków pomiedzy Kosciolem a wspólnota. polityczna. oraz przepisy prawa kanonicznego.

W tym celu, Stolica Apostolska, reprezentowana przez Jego Ekscelencjç Ksiedza Józefa Kowalczyka, Arcybiskupa Tytularnego Heraklei, Nuncjusza Apostolskiego w Warszawie, i Rzeczpospolita Polska, reprezentowana przez Jego Ekscelencjç Pana Krzysztofa Skubiszewskiego, Ministra Spraw Zagranicznych, uzgodnily, eo nastçpuje:

Articolo 1

La Repubblica di Polonia e la Santa Sede riaffermano che lo Stato e la Chiesa Cattolica sono, ciascuno nel proprio ordine, indipendenti e autonomi, e si impegnano al pieno rispetto di tale principio nei loro rapporti reciproci e alla collaborazione per la promozione dell'uomo e del bene comune.

Artykul 1

Rzeczpospolita Polska i Stolica Apostolska potwierdzaja., ze Pañstwo i Kosciól katolicki sa. - kazde w swej dziedzinie - niezalezne i autonomiczne oraz zobowiajzuja. sic do pelnego poszanowania tej zasady we wzajemnych stosunkach i we wspóldzialaniu dia rozwój u czlowieka i dobra wspólnego.

Articolo 2

Al fine di mantenere e rafforzare i rapporti tra le Parti Contraenti e per compiere la missione loro affidata, un Nunzio Apostolico risiederà come finora nella capitale della Polonia, e un Ambasciatore straordinario e plenipotenziario della Polonia presso la Santa Sede risiederà a Roma.

Artykul 2

W celu utrzymania i umacniania wiezi pomiedzy Ukladaja.cymi sic Stronami oraz w celu wypelniania powierzonej kazdemu z nich misji, Nuncjusz Apostolski rezyduje, jak dotychczas, w stolicy Polski, a polski Ambasador nadzwyczajny i pelnomocny przy Stolicy Apostolskiej w Rzymie.

Articolo 3

La Repubblica di Polonia garantisce alla Chiesa Cattolica e alle sue persone giuridiche e fisiche la libertà di contatti e di comunicazione con la Santa Sede, con le Conferenze Episcopali, con le Chiese particolari, nonché tra di esse e con altre comunità, istituzioni, organizzazioni e persone, sia nel Paese sia all'estero.

Artykul 3

Rzeczpospolita Polska zapewnia Kosciolowi katolickiemu oraz jego osobom prawnym i fizycznym swobodç utrzymywania stosunków i komunikowania si§ ze Stolica. Apostolska., z Konferencjami Episkopatów, z Kosciolami partykularnymi, a takze miedzy soba, i z innymi wspólnotami, instytucjami, organi - zacjami i osobami w kraju i za granica..

Articolo 4

1. La Repubblica di Polonia riconosce la personalità giuridica della Chiesa Cattolica.

2. La Repubblica di Polonia riconosce anche la personalità giuridica di tutte le istituzioni ecclesiastiche, territoriali e personali, che hanno tale personalità in conformità alle norme del diritto canonico. L'autorità ecclesiastica ne fa debita notifica ai competenti organi dello Stato.

3. Su richiesta dell'autorità ecclesiastica, altri enti ecclesiastici possono ottenere la personalità giuridica in base alla legge polacca.

Artykul 4

1. Rzeczpospolita Polska uznaje osobowosc prawna. Kosciola katolickiego.

2. Rzeczpospolita Polska uznaje równiez osobowosc prawna_ wszystkich instytucji koscielnych terytorialnych i personalnych, które uzyskaly taka. osobowosc na podstawie przepisów prawa kanonicznego. Wladza koscielna dokonuje stosownego powiadomienia kompetentnych organów pañstwowych.

3. Inne instytucje koscielne moga^ na wniosek wladzy koscielnej uzyskac osobowosc prawna. na podstawie prawa polskiego.

Articolo 5

Nel rispetto del diritto alla libertà religiosa, lo Stato garantisce alla Chiesa Cattolica, senza distinzione di riti, il libero e pubblico esercizio della sua missione, insieme con l'esercizio della giurisdizione, gestione e amministrazione dei propri affari, in conformità al diritto canonico.

Artykul 5

Przestrzegaja^c prawa do wolnosci religijnej, Pañstwo zapewnia Kosciolowi katolickiemu, bez wzgledu na obrzadek, swobodne i publiczne pelnienie jego misji, la^cznie z wykonywaniem jurysdykcji oraz zarz%dzaniem i administrowaniem jego sprawami na podstawie prawa kanonicznego.

Articolo 6

1. Spetta all'autorità ecclesiastica competente creare le strutture proprie della Chiesa; ciò riguarda in

Artykul 6

1. Tworzenie wlasciwych Kosciolowi struktur nalezy do kompetentnej wladzy koscielnej; dotyczy to

Je voudrais apporter un encouragement particulier aux catéchistes titulaires et auxiliaires, aux « papas et mamans catéchistes », dont le rôle est primordial dans la transmission de la foi. Je les engage à utiliser les moyens qui leur sont proposés pour approfondir leur connaissance du Christ et de la doctrine de l'Église. Ils pourront ainsi accomplir leur mission de façon toujours plus compétente, partageant avec leurs frères leur propre expérience de la rencontre du Seigneur. Évêques et prêtres, soyez pour eux des guides attentifs et des soutiens de chaque jour! D'autre part, sous votre direction, en lien étroit avec leurs prêtres, les catéchistes jouent un rôle précieux dans l'accueil et l'accompagnement des personnes qui souhaitent se mettre en marche à la suite du Christ, en vue de les conduire, au long du catéchuménat, à une adhésion de foi sincère et à une pleine intégration dans la communauté ecclésiale. En effet, le Baptême signifie et opère la « nouvelle naissance dans l'Esprit, crée des liens réels et indissolubles avec la Trinité, rend membre du Corps du Christ qui est l'Église. Un

[7] *Ac 2,* 42.

[8] Cf. *Ecclesia in Africa,* 115.

itinéraire de conversion qui n'irait pas jusqu'au Baptême s'arrêterait à mi-chemin ».[9]

5. Dans les sociétés africaines, la famille tient une place fondamentale. Aussi est-il nécessaire d'en préserver les valeurs essentielles. La famille chrétienne doit être un lieu privilégié où il est rendu témoignage au Christ et à son Evangile. Educatrice pour chacun de ses membres, elle est école de formation humaine et spirituelle. Les chrétiens se souviendront aussi que « le mariage suppose un amour indissoluble; grâce à sa stabilité, il peut contribuer efficacement à la pleine réalisation de la vocation baptismale des époux ».[10] Une préparation sérieuse des jeunes au sacrement du mariage les conduira à la réussite et à la pleine maturité de leur engagement en formant une vraie communauté d'amour. Je vous encourage donc à favoriser l'accompagnement des familles chrétiennes aux différentes étapes de leur formation et de leur développement. Accordez une attention toute particulière aux jeunes familles, pour les aider à découvrir et à vivre leur vocation et leurs responsabilités. Soyez proches de celles qui sont plus exposées aux difficultés de la vie.

6. Grâce à ses œuvres d'entraide, de promotion sociale, de service dans le monde de la santé et de l'éducation, l'Église, dans vos pays, participe au développement de l'homme et de la société. Et je voudrais saluer ici le travail admirable de tant de chrétiens, prêtres, religieux, religieuses, laïcs, qui manifestent avec générosité que la charité est au cœur de la mission de l'Église. Je souhaite que, de Ouagadougou, résonnent encore mes appels à la solidarité pour les peuples du Sahel. Il convient de se souvenir aussi que « le développement d'un peuple ne vient pas d'abord de l'argent, ni des aides matérielles, ni des structures techniques, mais bien plutôt de la formation des consciences, du mûrissement des mentalités et des comportements. C'est l'homme qui est le protagoniste du développement, et non pas l'argent ni la technique ».[11] Je me réjouis de l'engagement des pasteurs et des animateurs de communautés dans cette œuvre d'éducation des consciences. Récemment encore, Évêques du Burkina-Faso, vous avez appelé les fidèles et tous les hommes de bonne volonté à sauvegarder et à consolider la paix sociale, pour contribuer à « humaniser la société » dans une période

[9] *Ecclesia in Africa,* 73.
[10] *Ibid.,* 83.
[11] *Redemptoris missio,* 58.

délicate de la vie collective. Je souhaite ardemment que la paix et la concorde régnent entre toutes les composantes des nations de votre région et qu'une solution définitive fondée sur la justice et la solidarité soit trouvée aux problèmes qui se posent encore.

7. A la suite du Concile Vatican II, le Synode africain a rappelé avec insistance que « l'attitude de dialogue est le mode d'être du chrétien à l'intérieur de sa communauté comme avec les autres croyants, et les hommes et les femmes de bonne volonté ».[12] Les relations fraternelles des catholiques avec les autres chrétiens doivent donc manifester concrètement la responsabilité commune des disciples du Christ dans le témoignage qu'ils doivent rendre à l'Evangile. Nombreux sont aussi dans votre région les fidèles de l'Islam. Et je me félicite des relations sereines qui existent le plus souvent entre les croyants. Je souhaite vivement que la connaissance mutuelle se développe toujours plus. La possibilité, reconnue par la société, de choisir librement sa religion contribuera à créer une atmosphère de respect, de fraternité et de vérité qui favorisera un travail commun pour la promotion des personnes et de la collectivité. Dans ce même esprit de dialogue fraternel, que les chrétiens témoignent clairement de leur foi en Jésus Sauveur auprès de ceux qui se rattachent à la religion traditionnelle ou à d'autres courants de pensée!

8. Chers Frères dans l'épiscopat, la diversité des situations de l'Église dans vos pays, ainsi que les grands besoins de vos diocèses, notamment en personnel apostolique, ne me sont pas inconnus. Aussi, je vous encourage à poursuivre, à l'intérieur de votre Conférence episcopale, une généreuse solidarité en vue de la mission. Le partage des ressources humaines et matérielles, même lorsqu'on a soi-même des besoins urgents, est une expression de la communion qui doit exister entre toutes les Églises locales. Ayez le souci particulier d'aider les diocèses les plus démunis à former des animateurs et des catéchistes qui permettront de constituer des communautés vivantes et actives. J'invite les prêtres, les religieux et les religieuses, à se rendre disponibles à l'égard de l'Esprit Saint, de leurs Évêques ou de leurs supérieurs, à accepter d'être envoyés pour prêcher l'Évangile au-delà des frontières de leur diocèse ou de leur pays.[13] Il vous revient aujourd'hui de donner à d'autres ce que vous-mêmes avez reçu de missionnaires venant d'ailleurs et que le Seigneur a fait grandir chez vous.

[12] *Ecclesia in Africa,* 65

[13] Cf. *ibid*,,, 133.

9. Au terme de notre rencontre, je voudrais rejoindre une fois encore, par la pensée et par le cœur, le peuple qui vous est confié sur la terre du Burkina-Faso et du Niger. Nous sommes maintenant entrés dans la préparation directe du grand Jubilé de l'An 2000, un temps où nous sommes conviés à centrer notre regard sur la personne du Christ, Fils de Dieu fait homme. C'est donc avec confiance que je vous invite à aborder l'avenir en sa présence. Au milieu des difficultés et des conflits que connaît le continent africain, que vos communautés soient des signes audacieux d'espérance, par la charité qu'elles sauront vivre et transmettre. Qu'elles montrent à tous que le Seigneur ne saurait abandonner ceux qui souffrent, ceux qui se sentent rejetés ou exclus de la société! Je confie les espoirs et les peines de vos peuples à l'intercession maternelle de la Mère du Sauveur. Et de grand cœur je vous donne la Bénédiction Apostolique, que j'étends volontiers aux prêtres, aux religieux, aux religieuses, aux catéchistes et à tous les fidèles laïcs de vos diocèses.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

IANUENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Thomae Reggio archiepiscopi Ianuensis fundatoris congregationis sororum a Sancta Martha (1818-1901)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Mihi Deus sufficit ». Haec verba, ab Archiepiscopo Thoma Reggio paulo antequam praemium adipisceretur aeternum pronuntiata, eius vitae compendium iudicari possunt, quam totam in servitium impendit Dei atque Ecclesiae quaeque semper illustrata est studio fideliter divini Pastoris vestigia sequendi, qui se ipsum obtulit pro grege (cf. ***Io*** 10, 11).

Dignus hic Christi minister Ianuae natus est die 9 mensis Ianuarii anno 1818 a marchionibus Ioanne Iacobo Reggio et Angela Maria Pareto. Paucis post diebus baptismi sacramentum accepit atque anno 1826 Confirmationem et Eucharistiam. Regii Ephebei urbis suae fuit alumnus, quod Patres Ordinis Clericorum Regularium a Somascha regebant. Apud Ianuensem Studiorum Universitatem ordinem studiorum iurisprudentiae frequentavit, quem, patre consentiente, reliquit ut in theologiam incumberet, quandoquidem sacerdotium petere statuerat. Seminarii archiepiscopalis alumnus fuit externus et anno 1841 sacrum recepit presbyteratus Ordinem. Anno 1843 est lauream adeptus et insequenti anno doctoris dignitatem gradumque. Docendis disciplinis theologicis se dedidit atque, cum Missionariorum Ruralium et Operariorum Evangelicorum Congregationibus adhaesisset, apostolatui christianae doctrinae institutionis in agris inque urbis suburbanis. Postquam vicarius rectoris fuerat seminarii Ianuensis, nominatus est rector seminarii Clavarensis (annis 1845-1851), prudentemque educatorem se ostendit atque regiminis virum. In eadem Clavarensi urbe, quae etiam tum pars erat archidioecesis Ianuensis, nomen professus est in Congregationem Mis-

sionariorum a Sancto Alfonso de' Liguori, quam Sanctus Antonius Maria Gianelli instituerat; nonnullarum beneficarum consociationum fuit consocius multasque adiuvit religiosas congregationes. Abbas collegiatae ecclesiae Sanctae Mariae in caelum Assumptae in Cariniano (annis 1851-1877), sedulo suum explevit munus ac de liturgia deque nuntio verbi Dei curam egit.

Anno 1877 nominatus est senis et aegroti Episcopi Ventimiliensis Coadiutor, in cuius locum successit post paucos menses. Ea dioecesis, quae non paucis laborabat difficultatibus, largiter multis eius mentis cordisque facultatibus est fruita eiusque ampla pastorali experientia. Servus Dei cultum divinum provexit, evangelii atque doctrinae catholicae praedicationem, fidei integritatem defendit adversus falsam Novatorum religionem; catechismi institutionem fovit, sacerdotum vitam spiritalem, seminarii alumnorum formationem. Pluries Visitationem pastoralem ad exitum adduxit pluriesque Synodum dioecesanam celebravit. Duo condidit orphanotrophia operaque sustinuit Societatis Sancti Ioannis Bosco, cuius admiratur fuit et amicus. Eius in egenos sedulitas maxime effulsit tempore terraemotus, qui anno evenit 1887. In seminarii dioecesani eique coniuncti episcopalis ephebei servitium anno 1878 condidit Congregationem Sororum a Sancta Martha, quae postea Institutoris voluntate suam extendit industriam ad scholas quoque et ad valetudinaria.

Ianuensis Archiepiscopus nominatus anno 1892, Servus Dei summa ope niti porrexit ad salutem animarum, egregie muneribus fungendo docendi, sanctificandi atque gubernandi. Instauravit in primis pacis condicionem in rationibus inter auctoritates civiles et auctoritates religiosas, quamvis firmiter se gereret in iurium Ecclesiae atque Romani Pontificis defensione.

Varia suscepit incepta pro sacerdotum spiritali, pastorali atque culturali formatione; in seminariis dioecesanis inque Collegio Theologico studia renovavit; Pontificiam instituit Facultatem Iuridicam necnon Officium Iudiciale Ecclesiae Bonis tuendis. Ad augendam et solidandam laicorum culturam religiosam Scholam Superiorem Religionis fovit ac sustinuit; circumscriptiones paroeciales redintegravit, urbis incrementi demographici ratione habita; novam Clavarensem dioecesim, anno 1892 institutam, aliquot annos tamquam Administrator Apostolicus rexit; Visitationem pastoralem perfecit locis attactis longinquioribus; Synodum celebravit dioecesanam ac reficiendae Cathedrali prospexit.

Inter annum 1851 et annum 1901 complures scripsit articulos, quaestionibus interveniens necessitudinum inter Ecclesiam et Rem publicam. Ope-

ram dedit corpori formando catholicorum qui, in negotia publica insistentes, libertatem Ecclesiae defenderent in complexione democratica. Sodalicium provexit pro diebus feriatis, Societatem ad suppetias mutuo ferendas inter ecclesiasticos, Opus pro hominibus nauticis Britannis. Coeptus sustinuit Beati Ioannis Baptistae Scalabrini, ipse de Italis curando, qui in loca externa migraverant.

Servitio pastorali cotidiano humane populum Dei gubernavit, qui semper eum ob insignes dotes humanas ac spiritales, ob ardorem sacri ministerii, ob constantem sanctitatis appetitionem, magni fecit. « Ecclesiasticus sum; oportet sanctus sim »: sic scripsit per spirituales exercitationes meditationesque anni 1845, et ad finem usque in hoc mansit proposito. Ut enim in Christi imitatione progrederetur se abnegavit, in voluntate Dei fuit, malum fugit bonumque fecit, in lumine fidei ambulando, in fervore caritatis, in gaudio spei. Firmiter in divinam revelationem credidit inque Ecclesiae magisterium. Cum simplicitate et perseverantia quae alios docebat est executus atque in sua apostolica industria solam Dei gloriam quaesivit et salutem animarum, quibus est cum sedulitate, benignitate et prudentia ad caelestem patriam moderatus. Ex toto corde Dominum dilexit et proximos plus quam seipsum, officiosusque praesertim fuit in sacerdotes personas consecratas, pauperes, moribundos omnesque qui in socialibus ac spiritalibus versabantur difficultatibus. Semper supernaturali cum prudentia egit, aequabilitate et humanitate; Ventimiliensem Ecclesiam gubernavit et Ianuensem archidioecesim cum lenitate ac fortitudine. Iustitiam erga Deum et proximos fovit et coluit; in omnes humilis fuit, in terrestrium bonorum usu temperans voluitque pauper esse ut Christum imitaretur et quo melius indigentes adiuvaret. Suam aluit vitam interiorem suosque apostolicos labores pia divinorum mysteriorum celebratione, ferventi erga Eucharistiam, Domini Passionem et Sacrum Iesu Cor atque Virginem Mariam pietate, aeternarum veritatum meditatione, assidua precatione, paenitentia et castigatione necnon communione cum Ecclesia et Romano Pontifice, cuius pius fuit filius. Ipsa apostolica negotia, quae cotidie explebat, fuerunt ei praestans via ad progrediendum in Christi cognitione et amore.

Cum se ad pagum Triora, in Ventimiliensi dioecesi situm, contulisset ut sacram comitaretur peregrinationem, Servus Dei in morbum incidit, hincque non potuit Ianuam redire. Post duos acerbae infirmitatis menses, quam aequo animo ac patienti pertulit, die 22 mensis Novembris anno 1901, meritis ornatus ac fama sanctitatis insignis, est in aeternitatem ingressus.

Praeclararum eius virtutum memoria annis qui sunt mortem secuti viva mansit, praecipue apud Sorores a Sancta Martha. Beatificationis et canonizationis Causa post aliquot inanes conatus inita est ab Archiepiscopo Ianuensi per celebrationem Processus dioecesani (annis 1983-1984), qui est a Congregatione de Causis Sanctorum probatus decreto die 23 mensis Novembris anno 1992 promulgato. Consultorum Historicorum sessio acta est die 24 mensis Novembris anno 1992. Confecta Positionis praeparatione, inquisitum est ex more an Dei Servus heroum in modum virtutes coluisset. Die 23 mensis Septembris anno 1997 factus est, prospero cum eventu, Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Sessione Ordinaria, postridie calendas Décembres eodem anno habita, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Ioanne Canestri, edixerunt Archiepiscopum Thomam Reggio heroum more virtutes théologales, cardinales iisque adnexas explicavisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constar* 'A virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Thomae Reggio, Archiepiscopi Ianuensis, Fundatoris Congregationis Sororum a Sancta Martha, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 18 mensis Decembris A.D. 1997.

83 ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. © S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

LEOPOLITANA LATINORUM seu CRACOVIEN.

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Iosephi Bilczewski, archiepiscopi Leopolitam latinorum (1860-1923)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« In mea navitate continuo prae oculis vestrum habebo spiritale et etiam temporale bonum; unum volo, corda vestra; sed ea non mihi volo, verum Domino qui me misit; ardenter enim cupio vos omnes salvos esse ».

Huic consilio, quod initio sui episcopalis ministerii significavit, Servus Dei Iosephus Bilczewski ad finem usque fidelis mansit; namque boni Pastoris vestigia secutus (cf. ***Io*** 10, 11), sine intermissione bono gregis prospexit, cui copiose Redemptionis thesauros distribuit ac splendidum amoris in Christum Dominum, in Ecclesiam et in animas testimonium praebuit.

Natus is est die 26 mensis Aprilis anno 1860 in Galitia Occidentalis pago Wilamowice ab agricolarum familia. A piis parentibus fructuose est prima christiana atque humana educatione instructus. Post ludum studia perrexit in vicina urbe Wadowice alacritatem ostendens et notabilem sacrificii spiritum. Cum sacerdotium appeteret, seminarium dioecesanum Cracoviense est ingressus et pridie nonas Iulias anno 1884 sacrum recepit Presbyteratus Ordinem. Paulo post ministerium iniit pastorale tamquam paroeciae vici Mogila vicarius. Deinde Vindobonam se transtulit ut studia persequeretur et doctoris gradum est consecutus in Sacra Theologia (anno 1886); postea Romae Pontificiam Studiorum Universitatem frequentavit Gregorianam, se diligenter dedens theologicis disciplinis pernoscendis atque archaeologiae christianae. Postquam ad suam rediit archidioecesim, vicarius fuit paroeciae loci Kety (annis 1888-1889) ac deinceps ecclesiae Sanctorum Petri et Pauli (annis 1889-1891) in urbe Cracovia. Ubique eminuit munerum pastoralium et sacerdotalium cura necnon studii cupidine. Anno 1891 factus est professor theologiae dogmaticae specialis apud Studiorum Universitatem Leopolitanam, cuius fuit etiam rector. Illum collegae et alumni magni fecerunt, qui eius bonitatem et humanitatem, doctrinam, didacticas dotes egregias et libros editos de scientia mirabantur.

In consistorio die 17 mensis Decembris anno 1900 habito est a Summo Pontifice Leone XIII Archiepiscopus Metropolita Leopolitanus Latinorum nominatus et secuto mense Ianuario ordinationem accepit episcopalem. Sta-

tim suo se tradidit muneri summa cum pastorali caritate, solum gloriam Dei quaerens et animarum salutem. Multiplicem apostolicam explicavit industriam, quae fructus edidit copiosos cum in populo, qui ei concreditus erat, tum extra dioecesis suae fines. Multa cum cura formationi spiritali et culturali consuluit sacerdotum et seminarii alumnorum, quos potissimum exemplo docuit quomodo sit Deo et Ecclesiae serviendum. Sacrarum Litterarum et catechismi provexit cognitionem atque familiarum et laicorum auxilium in christiane pueris et iuvenibus educandis. Fidei integritatem ac doctrinae catholicae defendit, clare et fortiter verbum Dei nuntiavit per praedicationem et scripta pastoralia. Sedulus de cultu divino, novis extruendis ecclesiis prospexit; novas instituit paroecias; consociationes catholicas sustinuit; pauperibus opitulatus est, operariis, tironibus, Polonis in exteris nationibus sedem habentibus; contra perturbationes morum et litterarum ignorantiam contendit atque scholis aperiendis favit, praesertim in parvis pagis et in agris, atque bonis libris, typis editis, diffundendis. Iustitiam socialem provexit iuxta doctrinam Litterarum Encyclicarum quae verbis incipiunt « Rerum Novarum ». Eius cordis bonitas et animi fortitudo peculiari fulserunt splendore in acerbis bellis, quae in eius patriam profuerunt: populi defensor factus est et dolentium consolator, sine religionis, ordinis et nationis discrimine.

Qui eum noverunt, fervorem eius pastoralem, sacrificii spiritum in Ecclesiae servitio atque vitae sanctitatem admirati sunt. Etenim in ea credidit quae docebat, et cum perseverantia ac spiritali gaudio voluntati Dei oboedivit, praeceptis evangelicis et Ecclesiae, ac sine intermissione in Christi imitatione est progressus magnum adipiscens perfectionis gradum. Contra indolem suam, natura impotentem, certavit, devitavit peccatum, diligenter lucrum fecit de multis talentis quae a Deo acceperat et cum accuratione sacerdotalia ac deinde episcopalia munera sua est exsecutus, tametsi in graves incucurrit difficultates et aegritudines nonnumquam in itinere suo.

Fides lumen fuit vitae eius et apostolatus, precatio animae cibus, fervens pietas in Eucharistiam eius pastoralis caritatis statumen. Religionem etiam coluit erga Iesu Passionem et Sacrum Cor, erga Spiritum Sanctum atque Virginem Mariam. Deum amavit, Ecclesiam, archidioecesim suam, patriam, sacerdotes, iuvenes, pauperes et male affectos. Iure habitus est pater bonus ac sedulus et revera, sui ipsius immemor, cum generositate et simplicitate, prudentia atque fortitudine omnes dilexit omnibusque servivit. Semper divina Providentia est vehementer confisus, terrestrium bonorum

semper neglegens fuit, temperans, in Deum inque proximos iustus, castus, oboediens Deo et Ecclesiae auctoritati, patiens in difficultatibus atque in longo acerboque morbo quo est ad mortem deductus die 20 mensis Martii anno 1923.

Servus Dei sanctitatis fama insignis fuit in vita, in morte et post mortem; quocirca mox cogitatum est de eius beatificationis et canonizationis Causa ineunda, sed ex temporum nequitia processus ordinarius informativus nonnisi annis 1952-1961 instructus est et scriptorum perquisitio inita anno 1959, est anno 1986 confecta. Die 8 mensis Iunii anno 1990 Congregatio de Causis Sanctorum rite hunc probavit processum. Deinceps aliae effectae sunt perquisitiones additiciae instrumentorum ad Dei Servum pertinentium. Positionis praeparatione peracta, disceptatum est, ex more, an Servus Dei Iosephus Bilczewski virtutes observavisset heroum in modum. Postridie idus Maias anno 1997 actus est, exitu cum prospero, Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales deinde atque Episcopi, in Sessione Ordinaria die 11 secuti mensis Novembris habita, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Andrea Maria Deskur, fassi sunt Servum Dei heroum more virtutes théologales, cardinales iisque adnexas coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanne Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Iosephi Bilczewski, Archiepiscopi Leopolitani Latinorum, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 18 mensis Decembris A. D. 1997.

83 ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. © S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

MARIANOPOLITANA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae a Spiritu Sancto (in saec.: Deliae Tétreault). Fundatricis congregationis sororum missionariarum ab Immaculata Conceptione (1865-1941)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

Deus « omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » *(1 Tim* 2, 4).

Ut hoc consequatur propositum solet Deus virorum atque mulierum opera uti qui, ad eius vocationem dociles, evangelio serviunt et veritatis atque caritatis Christi lumen effundunt in mundo, praesertim apud populos qui divinum adhuc ignorant Redemptorem.

In hoc « vineae operariorum » genere etiam Maria a Spiritu Sancto est annumeranda quae, vere missionali corde praedita, novam condidit religiosam Congregationem pro non christianis evangelizandis sicque Dei regni incremento in terra operam dedit.

Nata est Serva Dei in oppido Sainte-Marie-de-Monnoir, hodie Marieville denominato, intra fines posito archidioecesis Quebecensis, die 4 mensis Februarii anno 1865 ab Alexio Tétreault et Caelina Ponton. Postridie sacramentum accepit baptismi nomine capto Delia. Duorum annorum matre orbata est et pater, pauper agricola, in Foederatas Civitates Americae Septentrionalis migravit operam quaesiturus. Puellae educationi matertera, Iulia Ponton, eiusque maritus Ioannes Alix prospexerunt, qui eius facti sunt parentes adoptivi. Alumna fuit cuiusdam Instituti Sororum et etiam puella se Domino devovere in apostolatu missionali cupivit; sed eius votum effici nequivit, cum non essent in Canada id temporis Congregationes missionariae. Postquam se in Domum Bethaniae contulit, a P. Almiro Pichón, S. L, conditam, in abiecto vico Marianopolitano sitam, per decem annos (nempe ab anno 1891 ad annum 1901) operibus se dedidit caritatis pro pauperibus, patria emigrantibus et aegrotis atque christianae doctrinae institutioni. Eius vita discrimen habuit cognito P. Alfonso Daignault, S. I. (f 1938), tunc in Africa missionario, qui eam est adhortatus ad scholam apostolicam aperiendam religiosis mulieribus praeparandis ad missiones exteras. Consilium, quamvis multae essent difficultates ex infirma Servae Dei valetudine, adiuvante sacerdote Gustavo Bourassa (t 1904) ab archiepiscopo Marianopolita-

no approbatum est anno 1901. Operis prima Domus exorta est in loco Côte-des-Neiges apud Marianopolim die 3 mensis Iulii anno 1902. Subsequenti anno Opus est canonice agnitum tamquam Institutum religiosum una cum Sancti Pii X benedictione, qui nomen suggessit: Congregatio Sororum Missionariarum ab Immaculata Conceptione.

Serva Dei die 8 mensis Augusti professionem fecit perpetuam anno 1905 et nomen cepit Mariam a Spiritu Sancto. Alacriter solidationem egit, et auctum novae Congregationis, quae celeriter novas aperuit Domus in Canada suamque navitatem in alias tulit nationes, inter quas Sinam, Philippinas, Iaponiam. Sodalicium quoque instituit missionariarum laicarum; nisa est pro Pontificiis Missionalibus Operibus a Sancta Infantia et a Propagatione Fidei. Voluit etiam Institutum suum habere commentarium, cui titulus erat « Le Précurseur ». Diligenter formationem curavit spiritalem et missionalem Sororum, eas docendo evangelio in gaudio servire; scripsit enim: « Quid dicent pagani, si nos viderint tristes? »; et addebat apostolatum missionalem responsionem esse debere ad amorem Dei et continentem ob fidei donum gratiarum actionem. Spiritum etiam caritatis inculcavit, abstinentiae, humilitatis, castitatis, paupertatis et oboedientiae. Quae sodales docebat, ipsa cum generositate usurpavit, perseverantia ac spiritali laetitia.

Eius enim vita consecrata fidelitate effulsit erga Deum, leges Ecclesiae, vota religiosa, Regulam, et cum cura omnes coluit christianas virtutes atque in via sanctitatis ambulavit. Lucerna gressibus eius fides fuit, quam copiose oleo aluit precationis, contemplationis, pietatis in Spiritum Sanctum, Eucharistiam et Redemptoris Matrem, cui se uti servam devoverat anno 1892 secundum doctrinam Sancti Ludovici M. Grignion de Montfort. In divinam revelationem firmiter credidit suamque vitam in Dei gloriam impendit, in diffusionem evangelii in mundo inque animarum salutem. Omnibus viribus Deum dilexit et nisa est cotidie per omnia ei placere prompte eius voluntati oboediendo et quodlibet fugiendo peccati genus. Divina Providentia est confisa atque, a vanis terrae rebus aliena, bona appetivit aeterna. In subsidiorum usu ad suam consequendam sanctificationem, in apostolatus operibus inque suo regendo Instituto prudens fuit; iustitiam ex consuetudine coluit erga Deum et proximum, quem operibus misericordiae spiritalis et corporalis adiuvit; temperans fuit, fortis in difficultatibus, humilis, amabilis in omnes.

Post annum 1933 graviter aegrotavit; quapropter anno 1939 munere se abdicavit antistitae generalis. Suam pertulit infirmitatem tamquam purifi-

cationis viam atque sanctificationis. Dominus eam ad se vocavit calendis Octobribus anno 1941 post acceptum Viaticum et Infirmorum Unctionem.

Sanctitatis fama, qua insignis fuit in vita et in morte, etiam secutis annis perduravit; quam ob rem Sorores Missionariae ab Immaculata Conceptione cogitare coeperunt de beatificationis et canonizationis suae Conditricis Causa inchoanda; sed variae causae initium eius retardaverunt. Archiepiscopus Marianopolitanus ab anno 1985 ad annum 1987 Inquisitionem dioecesanam celebravit, quae est a Congregatione de Causis Sanctorum probata die 23 mensis Februarii anno 1990. Positione ad exitum adducta, disceptatum est, iuxta normas, an Serva Dei heroum in modum virtutes exercuisset. Die 8 mensis Octobris anno 1996 actus est, exitu cum prospero, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Sessione Ordinaria diei 21 mensis Octobris anno 1997, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Eduardo Gagnon, professi sunt Servam Dei Mariam a Spiritu Sancto heroum more virtutes théologales, cardinales et iis adnexas coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae a Spiritu Sancto (in saec.: Deliae Tétreault), Fundatricis Congregationis Sororum Missionariarum ab Immaculata Conceptione, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 18 mensis Decembris A. D. 1997.

& ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. © S.

& Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

MATRITENSIS seu COMPLUTENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae a Monte Carmelo (in saec.: Mariae Salles y Barangueras) fundatricis congregationis sororum Conceptionistarum missionariarum ab Institutione (1848-1911)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria a Monte Carmelo (in saeculo: Maria Salles y Barangueras) Vici, in Hispania, orta est die 9 mensis Aprilis anno 1848. Inter Tertiarias Dominicanas a Maria Annuntiata ingressa, professionem religiosam fecit anno 1872. Barcinone, ubi praeceptrix fuit, scholae moderatrix et postea etiam antistita, magnam et multiplicem explicavit industriam praesertim pro puellis discipulis. Post acerbos eventus, anno 1892 condidit Burgi Congregationem Sororum Conceptionistarum Missionariarum ab Institutione, quam usque ad mortem sapienter rexit, quae accidit die 25 mensis Iulii anno 1911.

Etiam post mortem duravit sanctitatis fama, qua claruit in vita; quapropter Episcopus Matritensis anno 1946 Causae beatificationis et canonizationis initium fecit. Die 17 mensis Decembris anno 1996 Summus Pontifex Ioannes Paulus II declaravit Servam Dei heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas observavisse.

Deinceps Causae Postulatio ad Congregationem de Causis Sanctorum coniectam miram sanationem perspiciendam detulit, intercessioni eiusdem Venerabilis Servae Dei ascriptam. Casus attinet ad Sororem Ameliam Román Villar Congregationis ab ipsa Serva Dei instituta sodalem. Haec Soror anno 1926, iam adulta, incepit dolores animadvertere spinam afficientes. De arthritide diffusa diagnosis facta est ac therapiae praescriptae sunt, quae tamen inefficaces fuerunt. Cum aggravaretur, aegrota aliis est subiecta inspectionibus, ex quibus diagnosis dicta est de spondylite phthisica iam tam progressa, ut insanabilis esset. Variarum curarum visa inefficacia, medici prognosim prodierunt infaustam quoad valetudinem et quoad vitam intra paucos menses. Die 14 mensis Aprilis anno 1934 aegrotans una cum sodalibus Sororibus communitatis loci denominati « El Escorial » apud Matritum positi, novem dierum supplicationem iniit Matrem Conditricem sui Instituti, id est Mariam a Monte Carmelo, invocans. Primis diebus Soror Amelia se conferre potuit in sacellum ut sacro novendiali interesset, sed postea, do-

foribus invalescentibus, hoc fuit ei impossibile. Attamen ultimo die noluit precibus communitatis deesse; sicque, dum in sacrario erat cum Sororibus sodalibus, subito sanata est et post tres dies medici completam sanationem cognoverunt.

Apud curiam Matritensem anno 1991 celebrata est Inquisitio dioecesana, quae est rite probata a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum idibus Ianuariis anno 1995 promulgato. Dicasterii Consilium Medicorum, in sessione idibus Maiis habita anno 1997, agnovit sanationem a spondylite phthisica tribus suppurationibus perturbata ab ossibus fluentibus, celerrimam fuisse, completam, stabilem et pro scientia inexplicabilem. Die 30 mensis Septembris eodem anno actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris atque die 16 secuti mensis Decembris facta est Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Excellentissimo Domino Petro Georgio Silvano Nesti, C. P., Archiepiscopo emerito Camerinensi-Sancti Severini in Piceno. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Serva Dei Maria a Monte Carmelo (in saec: Maria Salles y Barangueras), Fundatrice Sororum Conceptionistarum Missionariarum ab Institutione, videlicet de celérrima, completa et stabili sanatione Sororis Ameliae Román Villar a « spondilite tubercolare complicata da tre ascessi ossifluenti ».***

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 18 mensis Decembris A. D. 1997.

£8 ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. © S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

MATRITENSIS seu XETAFENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae a Mirabilibus Iesu (in saec.: Maravillas Pidal y Chico de Guzmán) monialis professae ordinis Carmelitarum Discalceatorum (1891-1974)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria a Mirabilibus Iesu (in saeculo: Maravillas Pidal y Chico de Guzmán) Matriti in Hispania orta est pridie nonas Novembres anno 1891. Inter Carmelitides Discalceatas ingressa monasterii denominati a loco « El Escorial » apud Matritum sito, professionem religiosam fecit anno 1921. Per multos annos aliquot monasteriorum antistita fuit et ubique fidelitatis Deo, Ordini suo suaeque consecrationi exemplar. Monasterium in India condidit multaque in Hispania. Inter sorores sodales vitam contemplativam fovit, spiritum apostolicum et sedulam Regulae atque Constitutionum observantiam. Virtutibus ornata et meritis, in Domino obdormivit in monasterio oppidi La Aldehuela die 11 mensis Decembris anno 1974.

Sanctitatis fama, qua viva claruit, etiam post mortem perduravit; quapropter anno 1981 inita est beatificationis et canonizationis Causa. Summus Pontifex Ioannes Paulus II, die 17 mensis Decembris anno 1996, declaravit Servam Dei heroum in modum virtutes théologales, cardinales et his adnexas coluisse.

Deinde Causae Postulatio Congregationis de Causis Sanctorum iudicio permisit coniectam miram sanationem intercessioni ascriptam eiusdem Venerabilis Servae Dei. Casus pertinet ad iuvenem Alfonsam García Blázquez, quae anno 1976 in morbum incidit inflammationis pharyngotonsillarum acutae cum febri. Curae efficaces non fuerunt; quam ob rem idibus Iuliis illius anni deducta est in valetudinarium Salmanticense. Febris condicio non est melior facta et exstiterunt diureseos contractio, fortis confusio et icterus, ulcerationes in ore et in pharyngé, iecur inflatum. In sanguine gravis reperta est leucopenia; ex iniectione in pectore effecta apparuit medulla graviter hypocellularis. Facta est igitur diagnosis de agranulocytosi. Post salubrem mutationem per therapiam cortisonicam et antibioticam, aegrota alia est crisi correpta atque haemorrhagia prodiit digestibilis cum collapsu gravi. Diagnosis facta est de ulcere duodenali; alia secuta est salubris mutatio ob effectam therapiam; postea peior evasit status cum peritonite. Pridie nonas Septembres aegra subiit vagotomiam et pyroplasticam. Secutis diebus eius condiciones adeo in deterius mutatae sunt ut prognosis edita sit

infausta quoad vitam post breve tempus. Interim, a dimidiato mense Iulio eiusdem anni 1976 ipsa aegrota aliaeque personae Servae Dei intercessionem invocare inceperant Mariae a Mirabilibus Iesu. Preces continuatae sunt usque ad mane diei subsequentis 11 mensis Septembris, cum ex improviso febris defecit et aegrota notabilem salubrem mutationem animadvertit. Variae inquisitiones quae sunt post peractae factam sanationem confirmaverunt.

Anno 1984 apud Curiam Salmanticensem facta est Inquisitio dioecesana, quae a Congregatione de Causis Sanctorum probata est decreto die 5 mensis Octobris eodem anno promulgato. Dicasterii Consilium Medicorum in sessione die 24 mensis Aprilis habita anno 1997 agnovit sanationem Alfonsae García Blázquez ab agranulocytosi acuta cum iecoris ac renum periculo, peritonite, collapsu gravi séptico, celerem fuisse, completam, stabilem et ex scientia inexplicabilem. Die 30 mensis Septembris eodem anno actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris et die 16 insequentis mensis Decembris Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Excellentissimo Domino Petro Georgio Silvano Nesti, C. P., Archiepiscopo emerito Camerinensi-Sancti Severini in Piceno. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Serva Dei Maria a Mirabilibus Iesu (in saec.: Maravillas Pidal y Chico de Guzmán), Moniali professa Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, videlicet de celeri, completa ac stabili sanatione Alfonsae García Blázquez ab « agranulocitosi acuta con compromissione epatorenaie, peritonite, shock settico ».***

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 18 mensis Decembris A. D. 1997.

£8 ALBERTUS BOVONE

archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. © S.

© Eduardus Nowak

archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

PARISIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Teresiae a Sancto Augustino (in saec.: Aloisiae Mariae) monialis professae ordinis Carmelitarum Discalceatorum (1737-1787)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Simile est regnum caelorum homini negotiatori quaerenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit et vendidit omnia, quae habuit, et emit eam» ***(Mt*** 13, 45-46).

Eodem modo se gessit Serva Dei Teresia a Sancto Augustino quae, Christi amore capta, se a divitiis et honoribus, quibus abundabat, expeditam, Domini servitio ac laudi consecravit in paupertate; sic, ut «pretiosam margaritam» emeret, caducis bonis relictis, caeli thesauro prospexit, « quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit » ***(Lc*** 12, 33).

Sapiens haec mulier nata est die 15 mensis Iulii anno 1737 in urbe Versaliis a Ludovico XV, Galliae rege, et a Maria Leszczynska, qui nomina ei Aloisiam Mariam indiderunt. Gratia divina, illi in baptismo collata, fertile invenit solum, quod suo tempore copiosos edidit fructus, in puellula. Solo illi arando, colendo et irrigando moniales consuluerunt abbatiae in loco positae Fontevrault denominato, quae primis tredecim annis vitae eam hospitio exceperunt atque educaverunt, eius eruditionem curando, indolem formando natura vivacem et ingenuam, ad Dei cognitionem eiusdemque necnon pauperum amorem ducendo, precationis momentum docendo atque silentii et ascesis. Id temporis sacramentum accepit Confirmationis et primum ad Eucharistiam accessit, in quam semper singularem aluit pietatem.

Anno 1750 ad regiam rediit Versaliensem, in qua usque ad annum 1770 mansit, eximiam agens vitam christianam, quamquam multa erant loci oblectamenta et frivola. Variarum disciplinarum studio se dedidit ac diligenter vitam suam spiritalem curavit, in qua confessariis adiuvantibus continuos fecit progressus. Cotidie Missae intererat, crebro Christi Corpore se nutriebat atque Paenitentiae sacramento utebatur; constans erat in deprecatione; erga Virginem Mariam pietatem, castigationem et bonas lectiones coluit; salute non christianorum et peccatorum mota est, patris praesertim, pro cuius conversione cum fervore precabatur; pauperum necessitatibus

subvenit. Vitam regiae tantum communicabat, quantum erat necesse, sed libenter in equitandi arte inque venationibus erat. Matrimonium non est illecta et plerumque vitae genus egit moniali aptius quam regis filiae. Hoc mirum non est, si cogitamus eam inde ab anno 1751 appetivisse se Deo consecrare.

Hinc, anno 1770, matre mortua et patris obtento consensu, rebus omnibus relictis ingressa est inter Carmelitides Excalceatas Monasterii Sancti Dionysii Parisiensis, quod ob suam paupertatem et diligentem Regulae observantiam notum erat. Cum fieri statuisset Sanctae Teresiae a Iesu perfecta discipula, quamlibet peculiarem tractationem et allevationem renuit; voluit contra prorsus Regulae, austeritati vitae communis atque antistitarum obnoxia esse voluntati. Nomen cepit Sororem Teresiam a Sancto Augustino et accurate ad professionem religiosam se praeparavit, quam fecit pridie idus Septembres anno 1771. Paulo post nigri velaminis impositionem, nominata est magistra novitiarum; tribus temporibus coenobii fuit moderatrix, oeconoma duobus. Suis est erga communitatem muneribus iuncta cum sedulitate et amore, firmitudinem ostendens, humilitatem et uniuscuiusque monialis curam; iuxta crucem sapientiam invenit et vires ut quam optime monasterio suo serviret. Effecit ut Regula observaretur, administrationem recreavit, aedificia restauravi^ exstruxit sacellum, plures adiuvit communitates Carmelitidum, quae in difficultatibus erant et in paupertate, aliaque Instituta religiosa masculina et feminina; Societatem Iesu defendit, a Gallicanis et a Iansenii sectatoribus impugnatam; circa bonum Ecclesiae Francogallicae industria fuit. Saepe a patre visebatur qui, propter filiae continuas precationes cum Deo reconciliatus mortem obiit anno 1774. Non minus studiosa fuit sacerdotum sanctificationis et personarum consecratarum necnon omnium animarum salutis. Caritate erga Deum et proximos impulsa nisa est operam dare incremento regni Dei et utilis esse iis, qui adiuvandi erant quoad corpus et quoad spiritum. Hocque cum humilitate fecit, prudentia atque iustitia. Fides semper gressus eius illuminavit eiusque delectus eamque in via sanctitatis sustinuit. Ob fidem intravit in Carmelum, peccatum fugit, voluntati Dei oboedivit et Ecclesiae, animam suam nutrivit liturgia, meditatione, precatione, pietate in Eucharistiam inque Matrem Redemptoris. Propter fidem se abnegavit, paenitentiam explicavit crucemque tulit ariditatis spiritalis. Aliena fuit a mundi rebus inanibus, in misericordia et in amore Dei speravit, in orationis efficaciam ere-

didit et bona cupivit aeterna. Patiens fuit in difficultatibus, temperans, casta, oboediens, pauper.

Usque ad finem cum Deo ambulavit et, cum simplicitate atque cum generositate ac gaudio spiritali, artam viam percucurrit quae ad aeternam ducit vitam. Antistitis munere fungens, lampade cum accensa, obviam ivit Sponso, qui eam ad se vocavit post brevem morbum, die 23 mensis Decembris anno 1787.

Serva Dei etiam in vita fama claruit sanctitatis; quae fama post mortem confirmata est, sed propter temporum nequitiam Causa beatificationis et canonizationis nonnisi iniri potuit anno 1855. Processus ordinarius informativus celebratus est apud Curias Augustodunensem (annis 1855-1867) et Parisiensem (annis 1856-1867). Die 19 mensis Iunii anno 1873 decretum promulgatum est super Causae Introductione et annis 1896-1904 instructus est Processus apostolicus Parisiensis. Post confectam Positionem anno 1910, aliae inquisitiones factae sunt instrumentorum aliaque studia historica. Die 10 mensis Decembris anno 1991 sessio acta est Consultorum Historicorum. Nova Positione praeparata, disceptatum est, ex more, an Serva Dei heroum in modum virtutes exercuisset. Die 22 mensis Aprilis anno 1997 prospero cum eventu actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 11 mensis Novembris subsequentis habita, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Henrico Schwery, professi sunt Servam Dei Teresiam a Sancto Augustino heroum more virtutes théologales, cardinales iisque adnexas explicavisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Teresiae a Sancto Augustino (in saec.: Aloisiae Mariae), Monialis professae Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 18 mensis Decembris A. D. 1997.

© ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. © S.

© Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 2 Maii 1998. — Cathedrali Ecclesiae Foroconcordianae Exc.mum P. D. Hectorem Sabbatium Cardelli, hactenus Episcopum titularem Furnitanum maiorem et Auxiliarem Rosariensem.

die 5 Maii. — Episcopum Coadiutorem dioecesis Sancti Thomae in Insulis Virgineis, Exc.mum P.D. Georgium Vanee Murry, S.I., hactenus Episcopum titularem Fortisventurae et Auxiliarem archidioecesis Chicagiensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Leadensi, R.D. Iosephum Nathanaëlem Perry, e clero archidioecesis Milvaukiensis, ibique curionem paroeciae Omnibus Sanctis dicatae, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Chicagiensis.

die 9 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Albensi R.D. Iosephum Soterem Valero Ruz, e clero archidioecesis Valentinae in Venetiola, ibique Vicarium generalem, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Tagariensi R.D. Victorem Emmanuelem Pérez Rojas, e clero archidioecesis Calabocensis, ibique Vicarium episcopalem, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 12 Maii 1998. — Cathedrali Ecclesiae Dodgepolitanae, R.D. Ronaldum M. Gilmore, e clero dioecesis Vichitensis, ibique Vicarium generalem et moderatorem Curiae.

die 18 Maii. — Cathedrali Ecclesiae de Aguas Calientes Exc.mum P.D. Raimundum Godinez Flores, hactenus Episcopum titularem Centenariensem et Auxiliarem Guadalaiarensem.

die 20 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Auziensi R.D. Ludovicum Schick, Vicarium generalem Fuldensem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 23 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Cerretanae-Thelesinae-Sanctae Agathae Gothorum R.D. Michaelem De Rosa, e clero archidioecesis Salernitanae - Campaniensis - Acernensis, hactenus Instituti Superioris Scientiarum Religiosarum praesidem.

die 26 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Registrensi R.P. Iosephum Aloisium Bertanha, S.V.D., hactenus rectorem Seminarii maioris Societatis Verbi Divini in dioecesi Sancti Mauri.

— Nuntiaturae Apostolicae in Algeriensi Republica Exc.mum P.D. Augustinum Kasujja, quem elegit Archiepiscopum titularem Caesariensem in Numidia.

— Nuntiaturae Apostolicae in Tunesiensi Republica Exc.mum P.D. Augustinum Kasujja, quem elegit Archiepiscopum titularem Caesariensem in Numidia.

die 27 Maii. — Coadiutorem dioecesis Crucis Australis R.P. Moysem Ioannem Pontelo, Congregationis S. Spiritus sub tutela Immaculati Cordis Beatissimae Virginis Mariae sodalem, hactenus Instituti vulgo « Poullart des Places » rectorem.

— Episcopum Coadiutorem praelaturae territorialis Tefensis, R.P. Sergium Eduardum Castriani, Congregationis S. Spiritus sub tutela Immaculati Cordis Beatissimae Virginis Mariae sodalem, hactenus Consiliarium Generalem eiusdem Congregationis.

— Cathedrali Ecclesiae Criciumensi, noviter erectae, Exc.mum P.D. Paulum Antonium De Conto, hactenus Sancti Aloisii de Caceres Episcopum.

die 27 Maii 1998. — Coadiutorem dioecesis Campi Moranensis R.D. Maurum Apparecidum dos Santos, hactenus Vicarium generalem Iacarezinhoënsem.

die 30 Maii. — Episcopum coadiutorem praelaturae Moyobambensis, R.P. Iosephum S. Iztueta Mendizábal, CP., hactenus Superiorem Provincialem in Hispania.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Giovedì, 28 Maggio 1998:

S.A.R. il Principe DAVID M. DLAMINI, Ambasciatore dello Swaziland presso la Santa Sede;

Le LL. EE. i Signori, TIBAMANYA MVENE MUSHANGA, Ambasciatore dell'Uganda presso la Santa Sede;

JOHN P. BOYANG, Ambasciatore di Gambia presso la Santa Sede;

MAHAMAT ALI ABDALLAH NASSOUR, Ambasciatore del Ciad presso la Santa Sede;

MANUEL MAS RIBO, Ambasciatore di Andorra presso la Santa Sede;

MALALA ZO RAOLISON RANDRIANJANOA RAMAHATAFANDRY, Ambasciatore del Madagascar presso la Santa Sede;

ADNAN BAHJAT AL TALHOUNI, Ambasciatore di Giordania presso la Santa Sede;

ATIS SJANITS, Ambasciatore di Lettonia presso la Santa Sede;

MOSES MUSONDA, Ambasciatore dello Zambia presso la Santa Sede.

Ha altresì, ricevuto in Udienza:

Sabato, 9 Maggio 1998, S.E. il Signor ELIAS HRAOUI, Presidente della Repubblica del Libano.

Lunedì, 18 Maggio 1998, S.E. il Signor VALDAS ADAMKUS, Presidente della Repubblica di Lituania.

Martedì, 19 Maggio 1998, S.E. il Signor JEAN CHRÉTIEN, Primo Ministro del Canada.

Dal 19 aprile al 14 maggio 1998 il Santo Padre ha presieduto l'Assemblea Speciale per l'Asia del Sinodo dei Vescovi.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

5 maggio 1998. S.E. mons. Giacinto Berloco, Arcivescovo tit. di Fidene, ***Nunzio Apostolico in El Salvador e in Belize.***

23 » » S.E. mons. Antonio Sozzo, Arcivescovo tit. di Concordia, ***Nunzio Apostolico in Costa Rica.***

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

9 aprile 1998. S.E. mons. Karl Lehmann, Vescovo di Mainz, ***Membro della Congregazione per i Vescovi « ad quinquennium ».***

» » » S.E. mons. Walter Kasper, Vescovo di Rottenburg-Stuttgart, ***Membro della Congregazione per la Dottrina della Fede « ad quinquennium ».***

» » » L'Em.mo Sig Card. Antonio Maria Javierre Ortas e S.E. mons. Desmond Connell, Arcivescovo di Dublino, ***Membri della Congregazione per la Dottrina della Fede « in aliud quinquennium aut usque ad 80um ».***

2 maggio » Mons. Bernard Prince, ***Consultore del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali « in aliud quinquennium ».***

4 » » Il Signor Alois Estermann, ***Capitano Comandante della Guardia Svizzera Pontificia.***

5 » » S.E. mons. Francesco Monterisi, Segretario della Congregazione per i Vescovi, ***Consultore della Congregazione per la Dottrina della Fede.***

7 » » P. Gianfranco Ghirlanda, S.I., ***Giudice della Corte d'Appello dello Stato della Città del Vaticano « in aliud quinquennium ».***

18 » » S.E. mons. Francesco Monterisi, Segretario della Congregazione per i Vescovi, ***Membro della Pontificia Commissione per l'America Latina.***

30 » » S.E. mons. José Saraiva Martins, Arcivescovo tit. di Tuburnica, ***Prefetto della Congregazione delle Cause dei Santi « ad quinquennium ».***

Si rende noto che i Reverendi don Sabino Ardito, S.D.B., mons. Matteo Páparo, mons. Gianfranco Bella, p. Velasio De Paolis, C.S., mons. Carlo Liberati, p. Manuel Jesús Arroba Conde, CM.F., p. Francesco Ciccimarra, Barn., mons. Cataldo Di Napoli, sono stati annoverati « in aliud quinquennium » tra i Giudici esterni del Tribunale regionale del Lazio di prima istanza per le cause di nullità di matrimonio.

NECROLOGIO

4	maggio	1998.	**Mons. Ignacio Maria De Orbegozo y Goieoechea, Vescovo di Chiclayo** *(Peru).*
	»	»	**Mons. Gerard Jakob, Vescovo tit. di Vergi.**
9	»	»	**Mons. Teodor Majkowicz, Vescovo di Wroclaw-Gdansk di rito bizantino-ucraino** *(Polonia).*
11	»	»	**Mons. Michel Moutel, Arcivescovo di Tours** *(Francia).*
14	»	»	**Mons. Jean-Baptiste Tiendrébéogo, Vescovo di Kaya** *(Burkina Faso).*
21	»	»	**Mons. Arnold R. Cotey, Vescovo em. di Nachingwea** *(Tanzania).*
22	»	»	**Mons. Eric G. Perkins, Vescovo tit. di Verrona.**
23	»	»	**Mons. Alphonsus Beretta, Vescovo em. di Warangal** *(India).*
26	»	»	**Mons. Salvatore Casanova, Vescovo em. di Ajaccio** *(Corsica-Francia).*
29	»	»	**Mons. José Vázquez Diaz, Vescovo em. di Bom Jesus do Gurguéia** *(Brasile).*

An. et vol. XC 1 Iulii 1998 N. 7

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE

quibus normae quaedam inseruntur in Codice Iuris Canonici et in Codice Canonum Ecclesiarum Orientalium.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad tuendam fidem Catholicae Ecclesiae contra errores insurgentes ex parte aliquorum christifidelium, praesertim illorum qui in sacrae theologiae disciplinas studiose incumbunt, pernecessarium visum est Nobis, quorum praecipuum munus est fratres suos in fide confirmare (cf. ***Lc*** 22, 32), ut in textum vigentium Codicis Iuris Canonici et Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium addantur normae, quibus expresse imponatur officium servandi veritates definitive ab Ecclesiae Magisterio propositas, addita mentione in sanctionibus canonicis ad eandem materiam spectantibus.

1. Iam inde a prioribus saeculis usque ad hodiernum diem Ecclesia de fide in Christum Eiusque redemptionis mysterio profitetur veritates, postea collectas in Symbola fidei; hodie enim communiter cognoscuntur atque proclamantur a christifidelibus in Missarum celebratione sollemni et festiva Symbolum Apostolorum aut Symbolum Nicaenum-Constatinopolitanum.

Hoc ipsum Symbolum Nicaenum-Constatinopolitanum continetur in Professione fidei, a Congregatione pro Doctrina Fidei ulterius elaborata,[1] quae specialiter imponitur determinatis christifidelibus emittenda in susceptione aliquorum officiorum directe vel indirecte respicientium profundiorem

[1] CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, ***Professio Fidei et Iusiurandum fidelitatis in suscipiendo officio nomine Ecclesiae exercendo,*** **9 Ianuarii 1989, in *AAS* 81 (1989), p. 105.**

investigationem in veritates de fide et de moribus aut coniunctorum cum peculiari potestate in Ecclesiae regimine.[2]

2. Professio fidei, rite praemisso Symbolo Nicaeno-Constantinopolitano, habet etiam tres propositiones aut commata, quae explicare intendunt fidei catholicae veritates ab Ecclesia, sub ductu Spiritus Sancti qui eam « omnem veritatem docebit » ***(Io*** 16, 13), sequentibus temporibus altius perscrutatas aut perscrutandas.[3]

Primum comma, quod enuntiat: « Firma fide quoque credo ea omnia quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali Magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur »,[4] congruenter affirmat et suum praescriptum habet in legis latione universali Ecclesiae in can. 750 Codicis Iuris Canonici[5] et in can. 598 Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium.[6]

Tertium comma edicens: « Insuper religioso voluntatis et intellectus obsequio doctrinis adhaereo quas sive Romanus Pontifex sive Collegium Episcoporum enuntiant cum Magisterium authenticum exercent etsi non definitivo actu easdem proclamare intendant »,[7] locum suum obtinet in can.

[2] Cf. *Codex Iuris Canonici,* can. 833.

[3] Cf. *Codex Iuris Canonici,* can. 747 § 1; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium,* can. 595 § 1.

[4] Cf. SACROSANCTUM CONCILIUM OECUMENICUM VATICANUM II, Constitutio dogmatica *Lumen gentium,* De Ecclesia, 25, 21 Novembris 1964, in *AAS* 57 (1965), pp. 29-31; Constitutio dogmatica *Dei Verbum,* De divina Revelatione, 18 Novembris 1965, 5, in *AAS* 58 (1966), p. 819; CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Instructio *Donum veritatis,* De ecclesiali theologi vocatione, 24 Maii 1990, 15, in *AAS* 82 (1990), p. 1556.

[5] *Codex Iuris Canonici,* can. 750 - Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt quae verbo Dei scripto vel tradito, uno scilicet fidei deposito Ecclesiae commisso, continentur, et insimul ut divinitus revelata proponuntur sive ab Ecclesiae magisterio sollemni, sive ab eius magisterio ordinario et universali, quod quidem communi adhaesione christifidelium sub ductu sacri magisterii manifestatur; tenentur igitur omnes quascumque devitare doctrinas iisdem contrarias.

[6] *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium,* can. 598 - Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae verbo Dei scripto vel tradito, uno scilicet deposito fidei Ecclesiae commisso continentur et simul ut divinitus revelata proponuntur sive ab Ecclesiae magisterio sollemni sive ab eius magisterio ordinario et universali, quod quidem communi adhaesione christifidelium sub ductu sacri magisterii manifestatur; tenentur igitur omnes christifideles quascumque devitare doctrinas eisdem contrarias.

[7] Cf. CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Instructio *Donum veritatis,* De ecclesiali theologi vocatione, 24 Maii 1990, 17, in *AAS* 82 (1990), p. 1557,

752 Codicis Iuris Canonici[8] et in can. 599 Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium.[9]

3. Attamen secundum comma, in quo asseveratur: « Firmiter etiam amplector ac retineo omnia et singula quae circa doctrinam de fide vel moribus ab ('adem definitive proponuntur »,[10] nullum habet congruentem canonem in Codicibus Ecclesiae Catholicae. Magni momenti est hoc comma Professionis fidei, quippe quod indicet veritates necessario conexas cum divina revelatione. Hae quidem veritates, quae in doctrinae catholicae perscrutatione exprimunt particularem inspirationem divini Spiritus in alicuius veritatis de fide vel de moribus profundiore Ecclesiae intellectu, sive historica ratione sive logica consecutione conectuntur.

4. Quapropter dicta necessitate compulsi mature censuimus hanc legis universalis lacunam complere insequenti modo:

A) Can. 750 Codicis Iuris Canonici posthac duas paragraphos habebit, quarum prima constet textu vigentis canonis, altera vero novo textu sit ornata, ita ut ipse can. 750 absolute sic sonet:

Can. 750 § 1. Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt quae verbo Dei scripto vel tradito, uno scilicet fidei deposito Ecclesiae commisso, continentur, et insimul ut divinitus revelata proponuntur sive ab Ecclesiae magisterio sollemni, sive ab eius magisterio ordinario et universali, quod quidem communi adhaesione christifidelium sub ductu sacri magisterii manifestatur; tenentur igitur omnes quascumque devitare doctrinas iisdem contrarias.

§ 2. Firmiter etiam amplectenda ac retinenda sunt omnia et singula quae circa doctrinam de fide vel moribus ab Ecclesiae magisterio definitive proponuntur, scilicet quae ad idem fidei depositum sancte custodiendum et

[8] *Codex Iuris Canonici,* **can, 752 - Non quidem fidei assensus, religiosum tamen intellectus et voluntatis obsequium praestandum est doctrinae, quam sive Summus Pontifex sive Collegium Episcoporum de fide vel de moribus enuntiant, cum magisterium authenticum exercent, etsi definitivo actu eandem proclamare non intendant; christifideles ergo devitare curent quae cum eadem non congruant.**

[9] *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium,* **can. 599 — Non quidem fidei assensus, religiosum tamen intellectus et voluntatis obsequium praestandum est doctrinae de fide et de moribus, quam sive Romanus Pontifex sive Collegium Episcoporum enuntiant, cum magisterium authenticum exercent, etsi definitivo actu eandem proclamare non intendunt; christifideles ergo curent, ut devitent, quae cum eadem non congruunt.**

[10] **Cf.** CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, **Instructio *Donum veritatis,* De ecclesiali theologi vocatione,** 24 **Maii** 1990, 16, **in *AAS*** 82 (1990), **p.** 1557..

fideliter exponendum requiruntur; ideoque doctrinae Ecclesiae catholicae adversatur qui easdem propositiones definitive tenendas recusat.

In can. 1371, n. 1 Codicis Iuris Canonici congruenter addatur canonis 750 § 2 locus, ita ut ipse can. 1371 posthac absolute sic sonet:

Can. 1371 - Iusta poena puniatur:

I° qui, praeter casum de quo in can. 1364 § 1, doctrinam a Romano Pontifice vel a Concilio Oecumenico damnatam docet vel doctrinam, de qua in can. 750 § 2 vel in can. 752, pertinaciter respuit, et ab Apostolica Sede vel ab Ordinario admonitus non retractat;

2° qui aliter Sedi Apostolicae, Ordinario, vel Superiori legitime praecipienti vel prohibenti non obtemperat, et post monitum in inoboedientia persistit.

B) Can. 598 Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium posthac duas paragraphos habebit, quarum prima constet textu vigentis canonis, altera vero novo textu sit ornata, ita ut ipse can. 598 absolute sic sonet:

Can. 598 § 1. Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae verbo Dei scripto vel tradito, uno scilicet deposito fidei Ecclesiae commisso continentur et simul ut divinitus revelata proponuntur sive ab Ecclesiae magisterio sollemni sive ab eius magisterio ordinario et universali, quod quidem communi adhaesione christifidelium sub ductu sacri magisterii manifestatur; tenentur igitur omnes christifideles quascumque devitare doctrinas eisdem contrarias.

§ 2. Firmiter etiam amplectenda ac retinenda sunt omnia et singula quae circa doctrinam de fide vel moribus ab Ecclesiae magisterio definitive proponuntur, scilicet quae ad idem fidei depositum sancte custodiendum et fideliter exponendum requiruntur; ideoque doctrinae Ecclesiae catholicae adversatur qui easdem propositiones definitive tenendas recusat.

In can. 1436 § 2 Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium congruenter addantur verba, quae ad can. 598 § 2 se referant, ita ut ipse can. 1436 posthac absolute sic sonet:

Can. 1436 § 1. Qui aliquam veritatem fide divina et catholica credendam denegat vel eam in dubium ponit aut fidem christianam ex toto repudiat et legitime monitus non resipiscit, ut haereticus aut apostata excommunicatione maiore puniatur, clericus praeterea aliis poenis puniri potest non exclusa depositione.

§ 2. Praeter hos casus, qui pertinaciter respuit doctrinam, quae a Romano Pontifice vel Collegio Episcoporum magisterium authenticum exercenti-

bus ut definitive tenenda proponitur, vel sustinet doctrinam quae ut erronea damnata est, nec legitime resipiscit, congrua poena puniatur.

5. Quaecumque vero a Nobis hisce Litteris Apostolicis Motu Proprio datis decreta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus et inserenda praecipimus in legis latione universali Catholicae Ecclesiae, respective in Codice Iuris Canonici et in Codice Canonum Ecclesiarum Orientalium, sicuti supra demonstratum est, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xvin mensis Maii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

IOANNES PAULUS PP. II

CONSTITUTIO APOSTOLICA

KITALENSIS

In Kenia dioecesis Kitalensis conditur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Magis in dies efflorescens catholicorum in Kenia christifidelium communitas actuosiorque ipsa sacrorum inibi pastorum industria saepius nimirum suadent ut opportuna de dicionum seu dioecesium illic finibus novis capiantur consilia. Cum igitur nuperius sit legitime postulatum ut regio Eldoretensis dividatur, quo nempe commodius cotidiano utrimque apostolatui provideatur, libentes quidem his adsentimur Nos sententiis, quibus suo voto etiam Congregatio pro Gentium Evangelizatione est suffragata. Rati idcirco ipsi propositum idem hoc maius in hominum commodum esse cessurum, decrevimus oblatis hac de re precibus obsequi. Pro Nostra ideo apostolica auctoritate loca vulgari sermone appellata « Trans Nzoia » necnon « West Pokot » a dicione Eldoretensi subtrahimus, ex quibus circumscriptionem novam ecclesiasticam constituimus ***Kitalensem*** nomine, quam Metropolitanae ecclesiae Kisumuensi suffraganeam esse censemus atque moderationi Congregationis pro Gentium Evangelizatione subiectam. Episcopalem porro huius communitatis sedem ipsa defigimus in urbe « Kitale » cuius templum

« Beatae Mariae Virgini Immaculatae » dedicatum evehimus ad gradum dignitatemque ecclesiae cathedralis. Nostra haec consilia committimus probatissimo quidem Apostolico Nuntio Ioanni Tonucci Archiepiscopo titulo Torcellano ad salutarem effectum deducenda. Volumus praeterea ut singula diligenter serventur praecepta et iussa canonica talem ad deliberationem spectantia. Has denique Litteras Nostras firmas esse tam nunc quam in posterum volumus quibusvis rebus haudquaquam obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tertio mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo octavo, Pontificatus Nostri vicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Carmelus Nicolosi, *Protonot. Apost.*

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 431.688

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Dei Servo Edmundo Ignatio Rice Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Vera educatio prosequitur formationem personae humanae in ordine ad finem eius ultimum et simul ad bonum societatum, quarum homo membrum exstat et in quarum officiis, adultus effectus, partem habebit » (Conc. Oecum. Vat. II, Declaratio de educatione christiana *Gravissimum educationis, I)*. Venerabilis Dei Servus Edmundus Ignatius Rice peculiari quidem ratione sollicitus fuit de humana christianaque institutione iuvenum Hiberniae quibus vitae sanctitate et apostolatu viam veritatis et iustitiae significavit. In loco v.d. Westcourt ortus anno MDCCLXII e Roberto Rice et Margarita Tierney, optima ratione a parentibus est institutus. Studiis absolutis, negotiis se dedit atque brevi tempore magnas cumulavit opes. Matrimonio sibi iunxit Mariam Elliot, quae duos post annos mortua est dum puellulam infirmam pareret. Cum

mercaturam faceret unionem cum Deo per Sacrarum Scripturarum assiduam lectionem augebat atque digne mensam Corporis Christi frequentabat. Fidei virtute permotus, apostolatui pro puerorum, aegrotorum senumque bono se dedidit quas divitiarum suarum participes reddidit. Quadraginta annos natus, hortante Pio VI Decessore Nostro fel. rec, negotiis valedixit atque totum se devovit pauperum puerorum christianae institutioni. Deinde Congregationem Fratrum Christianorum condidit, cuius regulas Sancta Sedes anno MDCCCXX approbavit. Moderatoris Instituti munus magno cum sodalium profectu exercuit usque ad a. MDCCCXXXVIII, quo libere eo se abdicavit. Fratribus suis, iuvenibus totique Dei populo testimonium perhibuit caritatis, fidei, animi solliciti de Ecclesia, apostolici studii nec non curae de christianorum institutione. Novissimis vitae annis fidenti animo plurimos perpessus est dolores ac humilitates. Ab innumeris, quos beneficiis affecerat, defletus obiit die XXIX mensis Augusti anno MDCCCXLIV. Beatificationis canonizationisque Causa anno MCMLXXVIII coepta est apud curiam Dublinensem. His expletis quae ius praecipit, die II mensis Aprilis anno MCMXCIII, coram Nobis decretum super virtutibus heroicis est promulgatum. Felici deinde exitu mira sanatio pervestigata est apud Congregationem de Causis Sanctorum intercessioni Edmundi Ignatii Rice adscripta. Nos Ipsi, die VI mensis Aprilis anno MCMXCV, « constare de miraculo » declaravimus. Deinde decrevimus ut ritus beatificationis celebraretur die VI mensis Octobris anno MCMXCVI. Hodie igitur, in foro ad Vaticanam Basilicam Sancti Petri patente, inter Missarum sollemnia hanc ediximus formulam: « Nos, vota Fratrum Nostrorum Ioannis Nowak, Episcopi Siedlecensis, Desmondi Connell. Archiepiscopi Dublinensis, Antonii Mariae Rouco Várela, Archiepiscopi Matritensis, et Mariani Jaworski, Archiepiscopi Leopolitani Latinorum, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Vincentius Lewoniuk et duodecim socii, Edmundus Ignatius Rice, Maria Anna Mogas Fontcuberta et Marcellina Darowska Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Vincentii Lewoniuk et duodecim sociorum die vicesima tertia Ianuarii; Edmundi Ignatii Rice die quinta Maii; Mariae Annae Mogas Fontcuberta die sexta Octobris; et Marcellinae Darowska die quinta Ianuarii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Quae autem his Litteris decrevimus nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die vi mensis Octobris, anno MCMXCVI, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ©Sigilli
In Secret. Status tab., n. 429,774

II

Venerabili Dei Servo Ottoni Neururer Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit! Modo enim hominibus suadeo aut Deo? Aut quaero hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem! » (*Gal* 1, 9-10).

Verbis his Paulus apostolus Evangelii veritatem proclamavit et eam animose tuitus est. Talem firmitudinem, germano Christi famulo dignam, imitatus est Otto Neururer qui, pastorali caritate concitus, non modo fideliter christianam doctrinam enuntiavit, sed, gravibus periculis posthabitis, obstitit quominus quaedam sui gregis ovis erroris viam et peccati ingrederetur. Sic usque ad extremum parochi missionem sustinuit, persecutionem forti animo toleravit, atque tandem martyrii gloriam consecutus est.

Fortis hic animarum pastor agricolis Aloisio Neururer et Hildegarda Streng ortus est, die xxv mensis Martii anno MDCCCLXXXII, in quodam parvo pago montano quem Piller vocant, tunc Brixinensis, nunc Oenipontanae dioecesis. Religiose a familia institutus, Dei gratiae obsequens, cum ad sacerdotium vocationem animadverteret, parvum Vincentinum ingressus est Seminarium et postea maius, ubi diligenter studiis spiritalique institutioni operam dedit. Presbyterali ordinatione suscepta die xxix mensis Iunii anno MCMVII, studiosus in compluribus paroeciis Tirolis fuit adiutor atque xiv per annos in praepositura S. Iacobi Oenipontana in urbe sacrum ministerium gessit. Anno MCMXXXII paroeciam oppidi Götzens curandam suscepit, cui perquam studiose inservivit. Parochus eximio ingenio, sed humillimus et candidissimus fuit. Recto animo, alta pietate ac studio claruit quod in Dei verbum diffundendum, cultum divinum promovendum et in Sacri Cordis

Iesu Redemptorisque Matris pietatem augendam impertiit. Peculiariter propter sacerdotalia officia bene peracta et confessionum ministerii ob studiosam curam aestimabatur. Postquam Nazistae in Austria rerum anno MCMXxxvin sunt potiti, Ecclesia aerem persecutionem passa est. Dei Servus paratum se praebuit ad vitam suam pro Christo tradendam atque praevidit se erga Deum eiusque legem ob fidelitatem necatum iri. Etenim cum feminam quandam admoneret ne viro seiuncto nuberet, iracundiam Ecclesiae hostium concitavit. Gestapo, ut dicebatur, eum in vincula anno MCMXXXVIII coniecit ipsumque in campum captivis custodiendis Dachaviensem deportava et postea ad Buchenvaldensem, ubi patientia, fidei testimonio, offensis et contumeliis tacite toleratis eluxit. Quamquam camporum moderatores id prohibuerant, suum esse putavit redemptionis bona concaptivis ministrare, ea petentibus. Res cognita est, ideo die xxvm mensis Maii anno MCMXL in cellam loricatam illius campi eum detulerunt. Ibi per pedes suspensus est. Ita die XXX mensis Maii martyrii coronam consecutus est, quandoquidem matrimonii sanctitatem defenderat et sacerdotale ministerium usque ad finem expleverat. Paucis post diebus eius cineres paroeciae Götzens traditi sunt, ubi magna fidelium frequentia sepulti sunt, qui eum martyrem aestima verunt.

Martyrii fama crebrescente, anno MCMLXXXIII beatificationis et canonizationis Causa incohavit. His rite a iure statutis peractis rebus, Nobis coram Decretum super martyrio die xn mensis Ianuarii anno MCMXCVI prodiit. Statuimus porro ut beatificationis ritus Romae die xxiv mensis Novembris eiusdem anni celebraretur.

Hodie igitur, in Vaticana Basilica Sancti Petri, inter Missarum sollemnia hanc ediximus formulam: Nos, vota Fratrum Nostrorum Rinaldi Stecher, Episcopi Oenipontani, Christophori Schönborn, Archiepiscopi Vindobonensis et Renati Séjourné, Episcopi Sancti Fiori, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Dei Servi Otto Neururer, Iacobus Capp et Catharina Jarrige Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum die ipsorum natali: Ottonis Neururer die trigesima Maii; Iacobi Gapp die decima tertia Augusti; et Catharinae Jarrige die quarta Iulii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Quemadmodum alii praeclarus hic cáeles tristissimas aerumnas et acerbos luctus praeteritis huius saeculi annis, nonnullorum hominum impro-

bo consilio, passus est. At ipse eximia exhibuit virtutis exempla, non modo illis qui cum eo vexabantur sed, nostri temporis quoque hominibus, ut ob oculos Evangelii praeceptis habitis ad probanda semper convertantur et ad potiora ipsius hominis servanda compellantur.

Quae autem his Litteris decrevimus nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis rebus minime obstantibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxiv mensis Novembris, anno MCMXCVI, Pontificatus Nostri undevicesimo.

£8 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 418.056

III

Venerabili Servo Dei Henrico Rebuschini Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Vitam insumere velim ut Dei possessionem proximo meo tradam; velim proximum meum in vulneribus et in caritate Iesu intueri; velim illum diligere, venerari eique exemplo, opere, oratione et verbo Dei famulari. Haec consilia, quae Henricus Rebuschini, vix presbyter consecratus, in suis actis diurnis scripserat, potiores ostendunt aspectus vitae eius infirmis deditae. Servus Dei, e familia copiis instructa, in urbe Gravedona prope lacum Comensem ortus est die xxvm mensis Aprilis anno MDCCCLX. A tempore quo humanioribus litteris se dedit, vocari se sensit ad sacerdotium adque vitam religiosam. Viginti quattuor annos natus, perspicue percepit illam optionem a Deo originem ducere. Prius Gregorianam Studiorum Universitatem frequentavit, deinde, post tres annos, Veronae, Ordinem Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis ingressus est, atque tirocinium iniit die xxvn mensis Septembris anno MDCCCLXXXVII. Hanc alteram secutus est optionem ob innatum erga infirmos et dolentes homines studium. Presbyteratus ordine anno MDCCCLXXXIX insignitus, breve ad tempus muneribus institutionis vacavit, mox vero inter infirmos vitam suam degit Veronae apud valetudinarium civile et militare inter annos MDCCCXCI-MDCCCXCIX, deinde Cremonae usque ad suum pium transitum.

Qua in urbe spiritalis credita est illi cura Filiarum Sancti Camilli, quae, hortatu Episcopi Domini Ieremiae Bonomelli septem iam annos illic vitam agebant, domum aperuerant mulieribus aetate provectis curandis, sociatam operam spiritalem instituebant cum Fratribus Camillianis et cum ipso Servo Dei, aegrotis navam operam praebentes. Anno MCMIII fovit propositum aedificandae novae domus salutis « Sancti Camilli », cuius officium explevit curatoris rei oeconomicae terque rectoris. Duo munera alacri serenoque animo est exsecutus, quin vita eius, arte cum Deo coniuncta, ullum pateretur detrimentum. Otii tempore cum nimia vexabatur anxietate sacellum prope officium adire consueverat intimaeque orationi vacare. Ad eandem praxim sacerdotes hortabatur et religiosos qui eum spiritalem moderatorem selegerant. Contemplationis dono ditatus, cum Cremonae vias perlustraret ad infirmos ostiatim invisendos vel ad obligationes sui muneris proprias explendas, sic in Dei contemplatione defigebatur, ut ab omnibus « mysticus itinerans » appellaretur. Inter sodales communitatis elementum exstitit cohaesionis, quod plurimum contulit ad religiosam et fraternam vitam. Vigilans ac serenus, Resurrectionis mysterio fidenter commendatus, in Christi pace quievit die x mensis Maii anno MCMXXXVIII. Eius sanctitatis fama apud populum christianum ad hodiernum usque diem permansit. Processus canonici, qui Cremonae die III mensis Octobris anno MCMXLVII sunt initi, die XIV mensis Februarii anno MCMXCV sunt conclusi. Nobis coram decretum de virtutibus heroum in gradum a Dei Servo exercitis prodiit die XI mensis Iulii anno MCMXCV et decretum de miraculo die XXV mensis Iunii anno MCMXCVI. Statuimus denique ut ritus beatificationis Romae celebraretur die IV mensis Maii anno MCMXCVII.

Hodie igitur in foro ante Patriarchalem Basilicam Vaticanam, intra Missarum sollemnia hanc protulimus formulam: Nos, vota Fratrum Nostrorum Ambrosii Echebarria Arroita, Episcopi Barbastrensis-Montisonensis, Victoris Aloisii Mondello, Archiepiscopi Rheginensis-Bovensis, Iulii Nicolini, Episcopi Cremonensis, et Iulii Henrici Prado Bolaños, Episcopi Pastopolitani, nec non plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Florentinus Asensio Barroso, Zephyrinus Giménez Malla, Caietanus Catanoso, Henricus Rebuschini et Maria ab Incarnatione Rosal Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Florentini Asensio Barroso die nona Augusti; Zephyrini Giménez Malla die quarta Maii; Caietani Catanoso

die vicesima Septembris; Henrici Rebuschini die decima Maii; et Mariae ab Incarnatione Rosai die vicesima septima Octobris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Quae autem decrevimus volumus et nunc et in perpetuum tempus vim sortiri, contrariis rebus minime quibuslibet obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die iv mensis Maii, anno MCMXCVII, Pontificatus Nostri undevicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffl Sigilli
In Secret, Status tab., n. 431.060

IV

Templum Deo dicatum in honorem BMV sub titulo « Virga Jesse » in dioecesi Hasseletensi ad gradum Basilicae minoris evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Oculos Nostros ad Redemptoris Matrem attollentes, quae cunctis Christifidelibus tamquam exemplar virtutum praefulget, libenter quidem occasionem capimus Marialem cultum diffundendi atque sacras in toto orbe aedes nomine Virginis Mariae honestatas exornandi. Ideo, cum Venerabilis Frater Paulus Schruers Episcopus Hasseletensis, cleri populique vota interpretatus, rogaverit ut templum Deo dicatum in honorem Beatae Mariae Virginis sub titulo « Virga Jesse » in dioecesi Hasseletensi situm, ad dignitatem Basilicae minoris eveheretur, petitioni illi libenti animo obsecundare volumus. Itaque de Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum consultu, Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, statuimus ut sacra illa aedes ad titulum ac dignitatem Basilicae minoris evehatur, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae templis hoc nomine insignibus rite competunt, secundum Decretum «De titulo Basilicae minoris», die ix mensis Novembris anno MCMLXXXIX datum. Contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die vi mensis Maii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco 83 Sigilli
In Secret. Status tab., n, 431.662

V

Sanctuarium Civitatis Castelli dioecesis, quod in loco « Colle di Canoscio » est dicatum beatae Mariae Virgini titulo «Madonna del Transito» invocatae, ad Basilicae minoris gradum dignitatemque evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Inter sacras aedes Civitatis Castelli dioecesis merito celebratur sanctuarium beatae Mariae Virginis titulo « Madonna del Transito » invocatae, quod exstat in loco « Colle di Canoscio » et quo fideles ex finitimis etiam regionibus frequentes accedunt veneraturi antiquam pulchramque depictam imaginem Dormitionis Deiparae Genetricis ab Eminentissimo Cardinale Seraphino Vannutelli, nomine Petriani Canonicorum Collegii, anno MDCCCLXXXVIII sollemni ritu coronatam. Constat insuper hoc templum notum esse centrum cultus marialis eiusdem dioecesis. Qua re, cum Venerabilis Frater Peregrinus Thomas Ronchi, Episcopus memoratae Sedis, litteris die VII mensis Octobris superiore anno datis, cleri populique sui quoque expromens vota, postulaverit ut templum idem titulo ac dignitate Basilicae minoris honestaremus, Nos, paternae benevolentiae documentum cupientes praebere, enixis precibus perquam libenter obsecundandum esse putamus. Ratis igitur plane habitis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, tributis a Nobis facultatibus, hac in re egit, summa Apostolica potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum sanctuarium, quod diximus, ad Basilicae minoris gradum dignitatemque evehimus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competunt, iis tamen servatis, quae secundum Decretum « De titulo Basilicae minoris » die ix mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, servanda sunt. Quod faustum ac felix sit cunctis eidem Virgini devotis ac perennis grataque simul exstet memoria DCL annorum e quibus eius venerata imago efficta est. Has denique Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Maii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

Loco 83 Sigilli

In Secret, Status tab., n, 431.741

CONVENTIO

INTER APOSTOLICAM SEDEM ET FOEDERATAM CIVITATEM SAXONIAE-ANHALTINI

VERTRAG
zwischen dem Heiligen Stuhl und dem Land Sachsen-Anhalt

DER HEILIGE STUHL,
vertreten durch

den Apostolischen Nuntius in Deutschland,
Dr. Giovanni Lajolo,
Titularerzbischof von Cesariana,

und

DAS LAND SACHSEN-ANHALT,
vertreten durch

den Ministerpräsidenten,
Dr. Reinhard Höppner,

verbunden in dem Bewußtsein, daß durch die Wiedervereinigung Deutschlands im Land Sachsen-Anhalt unter Beachtung des Grundrechts der Religionsfreiheit und des Grundsatzes der gegenseitigen Unabhängigkeit von Kirche und Staat die Voraussetzungen für ein partnerschaftliches Verhältnis geschaffen wurden,

in dem Wunsche einig, die Beziehungen zwischen der Katholischen

ACCORDO
fra la Santa Sede e il Land Sassonia-Anhalt

LA SANTA SEDE,
rappresentata dal

Nunzio Apostolico in Germania,
Mons. Dott. Giovanni Lajolo,
Arcivescovo titolare di Cesariana,

IL LAND SASSONIA-ANHALT,
rappresentato dal

Ministro-Presidente,
Dott. Reinhard Höppner,

uniti nella consapevolezza che con la riunificazione della Germania sono stati creati nel Land Sassonia-Anhalt, nel rispetto del diritto fondamentale della libertà religiosa e del principio della reciproca indipendenza di Chiesa e Stato, i presupposti per un rapporto di mutua cooperazione;

concordi nel desiderio di consolidare e promuovere in spirito di amicizia le

Kirche und dem Land Sachsen-Anhalt in freundschaftlichem Geiste zu festigen und zu fördern,

unter Berücksichtigung des in Geltung stehenden Konkordats zwischen dem Heiligen Stuhl und dem Deutschen Reich vom 20. Juli 1933, soweit es das Land bindet, und in Würdigung des Vertrages des Freistaates Preußen mit dem Heiligen Stuhl vom 14. Juni 1929,

mit dem Ziel, die Grundlagen für gemeinsame Anliegen den gegenwärtigen Erfordernissen anzupassen, fortzubilden und auf Dauer zu regeln,

sind über folgende Artikel übereingekommen:

Artikel 1
Glaubensfreiheit

(1) Das Land Sachsen-Anhalt gewährt der Freiheit, den katholischen Glauben zu bekennen und öffentlich auszuüben, den gesetzlichen Schutz.

(2) Die Katholische Kirche ordnet und verwaltet ihre Angelegenheiten selbständig innerhalb der Schranken des für alle geltenden Gesetzes.

(3) Unberührt bleiben die gesetzlichen Bestimmungen, nach denen Geistliche, ihre Gehilfen und die Per-

relazioni tra la Chiesa cattolica e il Land Sassonia-Anhalt;

considerando il vigente Concordato fra la Santa Sede ed il Reich Germanico del 20 luglio 1933, per quanto esso vincola il Land, e tenendo presente la Solenne Convenzione fra la Santa Sede e la Prussia del 14 giugno 1929;

con lo scopo di adeguare alle attuali esigenze, di sviluppare e di regolare in modo stabile le basi di comuni interessi,

hanno convenuto negli articoli seguenti:

Articolo 1
Libertà religiosa

(1) Il Land Sassonia-Anhalt dà protezione legale alla libertà di professare e praticare pubblicamente la fede cattolica.

(2) La Chiesa cattolica regola e amministra i propri affari autonomamente nell'ambito delle leggi generali vigenti.

(3) Restano intatte le disposizioni di legge secondo le quali gli ecclesiastici, i loro assistenti e le persone che

sonen, die zur Vorbereitung auf den Beruf an der berufsmäßigen Tätigkeit teilnehmen, berechtigt sind, das Zeugnis über dasjenige zu verweigern, was ihnen in ihrer Eigenschaft als Seelsorger anvertraut worden oder bekanntgeworden ist. Das Land wird für die Aufrechterhaltung dieses Schutzes des Seelsorge- und Beichtgeheimnisses eintreten.

Artikel 2
Zusammenwirken

(1) Die Landesregierung und die Diözesanbischöfe werden sich regelmäßig und bei Bedarf zu gemeinsamen Gesprächen über solche Fragen treffen, die ihr Verhältnis zueinander berühren oder von beiderseitigem Interesse sind.
(Schlußprotokoll)

(2) Bei Gesetzgebungsvorhaben und Programmen auf Sachgebieten, die die Belange der Katholischen Kirche unmittelbar betreffen, wird die Landesregierung die Katholische Kirche angemessen beteiligen.
(Schlußprotokoll)

(3) Zur Wahrnehmung solcher Aufgaben gegenüber dem Staat und zur Verbesserung der gegenseitigen Information bestellen die Diözesanbischöfe einen Beauftragten und richten am Sitz der Landesregierung ein Katholisches Büro als Kommissariat der Bischöfe im Land Sachsen-Anhalt ein.

in preparazione alla professione partecipano all'attività professionale, hanno facoltà di rifiutare la testimonianza su quello che è stato confidato o è divenuto noto ad essi in qualità di pastori d'anime. Il Land si adopererà per il mantenimento di questa protezione del segreto relativo alla cura d'anime e alla confessione.

Articolo 2
Reciproca collaborazione

(1) Il Governo del Land e i Vescovi diocesani si incontreranno regolarmente e in caso di bisogno per colloqui comuni su quelle questioni che toccano il loro reciproco rapporto o sono di interesse per ambedue le parti.
(Protocollo Finale)

(2) Nei progetti di legislazione e nei programmi su materie che riguardano direttamente gli interessi della Chiesa cattolica, il Governo del Land farà partecipare la Chiesa cattolica in modo adeguato.
(Protocollo Finale)

(3) Per la cura di tali compiti di fronte allo Stato e per una migliore reciproca informazione, i Vescovi diocesani nominano un incaricato e istituiscono presso la sede del Governo del Land un Ufficio Cattolico come Commissariato dei Vescovi del Land Sassonia-Anhalt.

Artikel 3
Feiertage

Der Schutz der Sonntage und kirchlichen Feiertage wird gewährleistet.

Articolo 3
Giorni festivi

La protezione delle domeniche e delle festività ecclesiastiche viene garantita.

Artikel 4
Religionsunterricht

(1) Das Land gewährleistet die Erteilung eines regelmäßigen katholischen Religionsunterrichts als ordentliches Lehrfach an öffentlichen Schulen.

(2) Lerninhalte und Lehrbücher für den katholischen Religionsunterricht sind im Einvernehmen mit den Diözesanbischöfen festzulegen.

(3) Die Erteilung des katholischen Religionsunterrichts setzt eine kirchliche Lehrbefähigung ***(missio canonica)*** durch den zuständigen Diözesanbischof voraus. Darüber ist bei der ersten Anstellung eine Bescheinigung des zuständigen Diözesanbischofs vorzulegen. Handelt es sich um einen Priester, so gilt die kirchliche Lehrbefähigung als erteilt. Die kirchliche Lehrbefähigung kann auch befristet erteilt und in begründeten Fällen widerrufen werden.
(Schlußprotokoll)

(4) Unbeschadet des staatlichen Aufsichtsrechts hat der zuständige

Articolo 4
Insegnamento della religione

(1) Il Land garantisce nelle scuole pubbliche il regolare insegnamento della religione cattolica come materia ordinaria.

(2) I contenuti ed i libri di testo dell'insegnamento della religione cattolica sono da stabilirsi d'intesa con i Vescovi diocesani.

(3) L'insegnamento della religione cattolica presuppone un'abilitazione ecclesiastica all'insegnamento ***(missio canonica)*** da parte del Vescovo diocesano competente. Al riguardo, nella prima assunzione si deve presentare un certificato del competente Vescovo diocesano. Se si tratta di un sacerdote, l'abilitazione ecclesiastica all'insegnamento si considera concessa. L'abilitazione ecclesiastica all'insegnamento può essere accordata anche temporaneamente e, in casi motivati, revocata.
(Protocollo Finale)

(4) Senza pregiudizio del diritto di vigilanza da parte dello Stato, il

Diözesanbischof das Recht, sich nach einem mit der Landesregierung vereinbarten Verfahren durch Einsichtnahme zu vergewissern, daß der Inhalt und die Gestaltung des Religionsunterrichts der Lehre und den Grundsätzen der Katholischen Kirche entsprechen.

(5) Die vertragliche Gestellung von haupt- und nebenberuflichen Lehrkräften für den Religionsunterricht, die auf Dauer oder befristet aus dem Kirchendienst dazu abgeordnet werden, bleibt einer besonderen Vereinbarung vorbehalten.

(6) Die Beteiligung der Katholischen Kirche an der staatlichen Aus-, Fort- und Weiterbildung von Religionslehrkräften wird durch besondere Vereinbarung geregelt.

Artikel 5
Theologische Studiengänge

(1) Das Land gewährleistet in den jeweiligen Lehramtsstudiengängen die Ausbildung im Fach Katholische Religion für die allgemeinbildenden und berufsbildenden Schulen. Die Ausbildung in diesen Studiengängen entspricht der Lehre und den Grundsätzen der Katholischen Kirche.
(Schlußprotokoll)

competente Vescovo diocesano ha il diritto di assicurarsi mediante ispezione, secondo una procedura convenuta con il Governo del Land, che il contenuto e la forma dell'insegnamento della religione corrispondono alla dottrina e ai principi della Chiesa cattolica.

(5) La designazione contrattuale di personale per l'insegnamento della religione, che esercita tale professione come occupazione primaria o secondaria e viene a ciò deputato in modo stabile o temporaneo provenendo dal servizio ecclesiastico, rimane riservata a una speciale intesa.

(6) La partecipazione della Chiesa cattolica all'opera di formazione, aggiornamento e perfezionamento degli insegnanti di religione, svolta dallo Stato, viene regolata da una speciale intesa.

Articolo 5
Corsi di studio teologici

(1) Il Land garantisce, nei rispettivi curricoli di studio per l'abilitazione all'insegnamento, la formazione nella materia Religione cattolica per le scuole a indirizzo generale e professionali. La formazione in questi corsi di studio è conforme alla dottrina e ai principi della Chiesa cattolica.
(Protocollo Finale)

(2) Professoren und Professorinnen und sonstige Personen, die selbständig Lehraufgaben wahrnehmen und deren Beauftragung mit Lehraufgaben der staatlichen Zustimmung bedarf, werden erst berufen oder beauftragt, wenn sich die Landesregierung in einem vertraulichen Verfahren bei dem Diözesanbischof vergewissert hat, daß im Hinblick auf Lehre und Lebenswandel keine Bedenken bestehen. Werden Einwendungen erhoben, sind diese vom Diözesanbischof gemäß den Umständen des Einzelfalles angemessen darzulegen.
(Schlußprotokoll)

(2) Professori e professoresse e altre persone, che svolgono compiti di insegnamento in modo autonomo e il cui incarico con compiti di insegnamento necessita dell'approvazione da parte dello Stato, vengono chiamati o incaricati soltanto quando il Governo del Land si è assicurato mediante una procedura riservata presso il Vescovo diocesano che non esistono obiezioni riguardo alla dottrina e alla condotta. Qualora vengano sollevate eccezioni, queste devono essere indicate dal Vescovo diocesano in modo adeguato, secondo le circostanze del singolo caso.
(Protocollo Finale)

(3) Verstößt eine solche Lehrperson gegen die Lehre der Katholischen Kirche oder ist ihr Lebenswandel mit den Grundsätzen der Katholischen Kirche nicht mehr vereinbar und ist dies von Seiten der Kirche festgestellt, wird der Diözesanbischof dies der Landesregierung anzeigen. In diesem Falle kann die Person ihre Lehrtätigkeit nicht weiter ausüben. Das Land wird für einen zur Erfüllung der Lehrbedürfnisse erforderlichen gleichwertigen Ersatz sorgen. Gleichzeitig nimmt die Landesregierung unverzüglich Verhandlungen mit dem Diözesanbischof über die Art und den Umfang der zu leistenden Abhilfe auf.

(3) Qualora uno di tali docenti manchi contro la dottrina della Chiesa cattolica oppure la sua condotta non sia più conciliabile con i principi della Chiesa cattolica, e ciò sia stato accertato da parte della Chiesa, il Vescovo diocesano lo comunicherà al Governo del Land. In questo caso tale persona non può più svolgere la sua attività accademica. Il Land provvederà ad una sostituzione equivalente, necessaria per la soddisfazione delle esigenze dell'insegnamento. Nello stesso tempo il Governo del Land entrerà, senza indugio, in trattative con il Vescovo diocesano riguardo al modo e all'ambito del rimedio da adottare.

(4) Prüfungsordnungen werden erst in Kraft gesetzt, wenn zuvor durch

(4) Gli ordinamenti degli esami sono posti in vigore soltanto se in pre-

Anfrage bei dem Diözesanbischof festgestellt worden ist, daß begründete Einwendungen nicht erhoben werden. Entsprechendes gilt bei der Aufstellung von Studienordnungen. (Schlußprotokoll)

Artikel 6
Kirchliche Schulen

(1) Die Katholische Kirche, einschließlich der zu ihr gehörenden Orden und religiösen Genossenschaften sowie anderer kirchlicher Einrichtungen, hat das Recht, Schulen in freier Trägerschaft auf konfessioneller Grundlage einzurichten und zu betreiben.

(2) Nähere Regelungen des Verfahrens zur staatlichen Anerkennung solcher Schulen und ihrer Mitfinanzierung aus öffentlichen Mitteln bleiben dem Landesrecht vorbehalten; das Land wird die katholischen Schulen gleichermaßen wie andere Schulen in freier Trägerschaft fördern.

Artikel 7
Kirchliche Hochschulen

(1) Von der Katholischen Kirche errichtete kirchliche Hochschulen können die Eigenschaft staatlich anerkannter Hochschulen nach

cedenza, con domanda al Vescovo diocesano, è stato accertato che non vengono sollevate eccezioni motivate. Lo stesso vale nella stesura degli ordinamenti degli studi. (Protocollo Finale)

Articolo 6
Scuole ecclesiastiche

(1) La Chiesa cattolica, inclusi gli ordini e le congregazioni religiose che le appartengono così come altre istituzioni ecclesiastiche, ha il diritto di istituire e di dirigere scuole in libera gestione su base confessionale.

(2) Regolamentazioni particolari della procedura per il riconoscimento di tali scuole da parte dello Stato e del loro co-finanziamento con fondi pubblici rimangono riservate alla normativa del Land; il Land favorirà le scuole cattoliche nella stessa misura di altre scuole in libera gestione.

Articolo 7
Istituti universitari ecclesiastici

(1) Gli istituti universitari ecclesiastici eretti dalla Chiesa cattolica possono ottenere la qualifica di istituti universitari riconosciuti dallo

näherer Bestimmung des Landesrechts erhalten.
(Schlußprotokoll)

(2) Das weitere bleibt jeweils einer Vereinbarung zwischen der Landesregierung und der Katholischen Kirche vorbehalten.

Artikel 8
Karitative und Bildungseinrichtungen

(1) Die Katholische Kirche, einschließlich der zu ihr gehörenden Orden und religiösen Genossenschaften sowie anderer kirchlicher und karitativer Einrichtungen, hat das Recht, im Bildungs- und Sozialbereich sowie im Gesundheitswesen eigene Einrichtungen für die Betreuung und Beratung besonderer Zielgruppen zu unterhalten.

(2) Die Katholische Kirche hat das Recht, im Bildungs- und Sozialbereich sowie im Gesundheitswesen eigene Einrichtungen für die Aus-, Fort- und Weiterbildung ihrer Mitarbeiter und Mitarbeiterinnen zu unterhalten. Sofern Bildungsgänge solchen im staatlichen Bereich gleichwertig sind, ist eine staatliche Anerkennung der Abschlüsse zuzusprechen.

NOTA DOCTRINALIS *PROFESSIONIS FIDEI* FORMULAM EXTREMAM ENUCLEANS

1. Inde ab ipsis primordiis Ecclesia fidem in Dominum crucifixum et resuscitatum formulis summam credendi conglobantibus usa profitebatur. Cuius summae medulla, id est mors et resurrectio Domini Iesu Christi, imprimis formulis simplicibus, deinde plenioribus[1] declarata, professionum fidei seriem continuam edere permisit in quibus Ecclesia sive ea quae ab ore operibusque Christi acceperat, sive quae « a Spiritu Sancto suggerente »[2] didicerat, tradebat.

Ipsum Novum Testamentum testis est praecipuus primae professionis discipulorum statim post eventus Paschales effectae: « Tradidi enim vobis in primis, quod et accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas et quia sepultus est et quia suscitatus est tertia die secundum Scripturas et quia visus est Cephae et post haec Duodecim».[3]

2. Saeculorum decursu ex hac medulla immutabili Iesum Filium Dei et Dominum declarante symbola unitatem fidei et communionem Ecclesiarum testimonio confirmantia sunt orta. In illis veritates principales singulis fidelibus cognoscendae et profitendae continentur. Idcirco, antequam Baptismate lavetur, catechumenus professionem fidei pronuntiare debet. Etiam Patres ad concilia congregati, ut usui vitae necessario alias alio quippe qui veritates fidei plenius exhibendas necnon orthodoxiam defendendam postularet, praesto essent, nova exaraverunt symbola quae usque ad hodiernum

[1] Formulae simplices adimpletionem Messianicam Iesu Nazareni profiteri solent; cfr, exempli gratia, *Me* 8, 29; *Mt* 16, 16; *Lc* 9, 20; *Io* 20, 31; *Act* 9, 22. Formulae autem pleniores praeter resurrectionem eventus vitae Iesu principales eorumque sensum salvificum profitentur; cfr, exempli gratia *Me* 12, 35-36; *Act* 2, 23-24; *1 Cor* 15, 3-5; *1 Cor* 16, 22; *Philp* 2, 7.10-11; *Col* 1, 15-20; *1 Pe* 3, 19-22; *Apc* 22, 20 Praeter confessionis fidei formulas ad historiam salutis atque ad narrationem vitae Iesu Nazareni cuius culmen fuit Pascha, pertinentes, in Novo Testamento inveniuntur professiones fidei quae ad ipsam Iesu exsistentiam respiciant; cfr *1 Cor* 12, 3: « Dominus Iesus ». Apud *Rom* 10, 9 ambae confessionis formulae una inveniuntur.

[2] Cfr Concilium Oecumenicum Vaticanum II, Constitutio Dogmatica *Dei Verbum,* n. 7,

[3] *1 Cor* 15, 3-5

diem « in vita Ecclesiae locum obtinent prorsus particularem ».[4] In varietate illorum symbolorum unica eminet fides nec ullum symbolum a posteriore professione fidei secundum nova rerum adiuncta concepta exsuperatum vel supervacaneum est redditum.

3. Domini Christi promissio Spiritus Sancti donandi, qui «deducet ... in omnem veritatem »,[5] Ecclesiam itinerantem perpetuo sustinet. Ideo saeculis elapsis quaedam veritates tamquam Spiritus Sancti auxilio comparatae sunt definitae, qua de causa itinera visibilia ad promissionem primariam adimplendam habentur. Aliae tamen veritates adhuc altius sunt intellegendae, antequam plene comprehendatur id quod Deus mysterio amoris hominibus ad eorum salutem obtinendam revelare voluit.[6]

Nuperrime quoque Ecclesia ob studium pastorale opportunum duxit fidem priscam apertius explanare. Praeterea quibusdam fidelibus ad munera peculiaria nomine Ecclesiae in communitate fungenda vocatis traditum est officium coram omnibus professionis fidei iuxta formulam a Sede Apostolica approbatam pronuntiandae.[7]

4. Haec nova ***Professionis fidei*** formula symbolum Nicaenum-Constantinopolitanum rursus proponens ad finem perducitur tribus sententiis seu commatibus additis, quorum finis est ordines veritatis quibus fidelis adhaereat melius discernere. Operae pretium est horum commatum explanationem enucleare ita ut sensus primarius a Magisterio Ecclesiae praebitus bene intellegatur, recipiatur, integre conservetur.

Hodiernis quidem temporibus verbum « Ecclesia » variis significationibus imbuitur quae, licet verae et congruentes, tamen distinctius sunt designandae, cum de muneribus peculiaribus et propriis agatur eorum qui in Ecclesia operam dant. Quod ad quaestiones fidei vel disciplinae moralis spectat, patet tantum Summum Pontificem et Collegium Episcoporum in communione cum ipso commorantium auctoritate docendi fidelesque obligandi pollere.[8] Episcopi enim « doctores authentici » fidei sunt « seu auctoritate Christi praediti »,[9] quia divina institutione Apostolis successerunt « in magisterio

[4] *Catechismus Catholicae Ecclesiae,* 193.

[5] *Io* 16, 13

[6] Cfr Concilium Oecumenicum Vaticanum II, Constitutio Dogmatica *Dei Verbum,* n. 11.

[7] Cfr Congregatio pro Doctrina Fidei, *Professio fidei et Iusiurandum fidelitatis: AAS* 81 (1989) 104-106; *CIC,* can. 833.

[8] Cfr Concilium Oecumenicum Vaticanum II, Constitutio Dogmatica *Lumen gentium,* 25.

[9] *Ibid.*

et regimine pastorali »; illi una simul cum Romano Pontifice supremam plenamque potestatem in universam Ecclesiam exercent, quae quidem potestas nonnisi Romano Pontifice consentiente exerceri potest.[10]

5. Primi commatis formula: « Firma fide quoque credo ea omnia quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali Magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur » affirmatur obiectum docendi in omnibus doctrinis fidei divinae et catholicae constitui quae ab Ecclesia tamquam divinitus et rite revelatae, et ut tales immutabiles, proponuntur.[11]

Huius generis doctrinae ***in Verbo Dei scripto seu tradito continentur atque sententia sollemni tamquam veritates divinitus revelatae sive a Romano Pontifice « ex cathedra » loquente sive a Collegio Episcoporum ad concilium congregato definiuntur, sive dein a Magisterio ordinario et universali ad credendum infallibiliter proponuntur.***

Hae doctrinae ex omnibus fidelibus assensum fidei theologalis exigunt. Proinde, si quis de iisdem contumaciter dubitaverit seu eas negaverit, censuram haereseos subibit, sicut in canonibus Codicis canonici ad rem attinentibus indicatur.[12]

6. ***Professionis fidei*** sententia secunda asserit: « Firmiter etiam amplector ac retineo omnia et singula quae circa doctrinam de fide vel moribus ab eadem definitive proponuntur ». Huius formulae obiectum docendi comprehendit ***omnes doctrinas ad scientiam dogmaticam et moralem***[13] ***attinentes ad depositum fidei fideliter custodiendum et exponendum necessarias, licet a Magisterio Ecclesiae tamquam rite revelatae non sint propositae.***

Huiusmodi doctrinae ***forma sollemni a Romano Pontifice « ex cathedra » loquente vel a Collegio Episcoporum ad concilium congregatorum definiri possunt, aut a Magisterio ordinario et universali Ecclesiae ut « sententia definitive tenenda »***[14] ***doceri.*** Unusquisque autem fidelis iis veritatibus ***firmiter et definitive assentiri*** debet fide de auxilio a Spiritu Sancto Magisterio Ecclesiae praebito necnon doctrina catholica de infallibilitate Magisterii his in rebus

[10] Cfr Concilium Oecumenicum Vaticanum II, Constitutio *Lumen gentium,* 22.

[11] Cfr *DS* 3074.

[12] Cfr *CIC,* cann. 750 et 751; 1364 § 1; *CCEO,* cann. 598; 1436 § 1.

[13] Cfr Paulus VI, Litterae Encyclicae *Humanae vitae,* 4: *AAS* 60 (1968) 483; Ioannes Paulus II, Litterae Encyclicae *Veritatis splendor,* 36-37: AAS 85 (1993) 1162-1163.

[14] Cfr Concilium Oecumenicum Vaticanum II, Constitutio Dogmatica *Lumen gentium,* 25.

innitens.[15] Si quis illas negaverit, ***veritatem doctrinae catholicae***[16] ***respuere videbitur eoque ipso in communione cum Ecclesia catholica amplius non erit plena.***

7. Veritates ad secundum comma pertinentes variae naturae esse possunt variaque indole imbuuntur, quod a relatione earundem cum revelatione pendet. Exstant enim veritates ***nexu historico*** cum revelatione necessarie coniunctae; aliae autem veritates ***conexionem logicam*** ostendunt quae iter est conscientiae circa eandem revelationem perficiendae ad quod absolvendum Ecclesia vocatur. Quamquam eae doctrinae ut rite revelatae non proponuntur quippe quae fidei ***elementa non revelata vel nondum ut talia expressim agnita*** addant, indoles tamen definitiva iis non deest quae etiam nexu interiore cum veritate revelata demonstratur. Praeterea infitiandum non est processu dogmatico maturescente intellegentiam tum rerum veritatum cum verborum depositi fidei in vita Ecclesiae progredi posse necnon Magisterium aliquas earum doctrinarum dogmata fidei divinae et catholicae proclamare valere.

8. Quod ad naturam ***assensionis*** erga veritates quae vel tamquam divinitus revelatae ab Ecclesia proponuntur (in primo commate) vel tamquam definitivae sunt habendae (in secundo commate), magni est momenti in lucem proferre indolem assensionis erga utraque praecepta eodem modo esse plenam et irrevocabilem. Differentia ad virtutem supernaturalem fidei spectat: assensio enim erga veritates primi commatis recta via fide de auctoritate Verbi Dei innititur (doctrinae ***de fide credenda);*** fundamenta autem assensionis erga veritates secundi commatis in fide de auxilio a Spiritu Sancto Magisterio praebito et in doctrina catholica de infallibilitate Magisterii (doctrinae ***de fide tenenda)*** ponuntur.

9. Utcumque Magisterium Ecclesiae doctrinam ***tamquam divinitus revelatam credendam*** (in primo commate) aut ***definitive retinendam*** (in secundo commate) ***actu definitivo*** aut ***non definitivo*** docet. Si de ***actu definitivo*** agitur, veritas sollemniter definitur pronuntiatione Romani Pontificis « ex cathedra » aut interventu Concilii Oecumenici. Sin de ***actu non definitivo*** agitur, doctrina a Magisterio ordinario et universali Episcoporum qui ubique terrarum in communione cum Successore Petri versantur, ***infallibiliter*** docetur. ***Huiusmodi doctrina confirmari seu iterum affirmari potest a Romano***

[15] Cfr Concilium Oecumenicum Vaticanum II, Constitutio Dogmatica *Dei Verbum,* 8 et 10; Congregatio pro Doctrina Fidei, Declaratio *Mysterium Ecclesiae,* 3: *AAS* 65 (1973) 400-401.

[16] Cfr Ioannes Paulus II, Motu proprio *Ad tuendam fidem,* d. 18 m. Maii A.D. MIIM.

Pontifice nulla etiam definitione sollemni pronuntiata declarante eandem doctrinam ad institutionem Magisterii ordinarii et universalis tamquam veritatem divinitus revelatam (in primo commate) aut tamquam veritatem doctrinae catholicae (in secundo commate) pertinere. Idcirco, cum de aliqua doctrina nullum in forma sollemni definitionis exstet iudicium, sed eadem a Magisterio ordinario et universali — in cuius numerum Papa necessarie confertur — doceatur quippe quae ad patrimonium ***depositi fidei*** respiciat, intellegenda est tunc tamquam infallibiliter proposita.[17] Ergo Romani Pontificis ***declaratio confirmandi*** seu ***iterum affirmandi*** actus dogmatizationis novus non est, sed confirmatio formalis veritatis ab Ecclesia iam obtentae atque infallibiliter traditae.

10. Tertia ***Professionis fidei*** sententia affirmat: « Insuper religioso voluntatis et intellectus obsequio doctrinis adhaereo quas sive Romanus Pontifex sive Collegium episcoporum enuntiant cum Magisterium authenticum exercent etsi non definitivo actu easdem proclamare intendant ».

Ad hoc comma pertinet ***omnis institutio de fide et de re morali tamquam vera aut saltem tamquam certa exhibita, licet iudicio sollemni non definita nec a Magisterio ordinario et universali tamquam definita proposita.*** Nihilominus tamen tales institutiones Magisterium ordinarium Romani Pontificis seu Collegii episcopalis authentice significant ideoque ***obsequium religiosum voluntatis et intellectus***[18] postulant. Proponuntur quidem ad altiorem revelationis intellegentiam obtinendam vel ad conformitatem alicuius doctrinae cum veritate fidei revocandam, vel tandem ad vigilantiam contra notiones ab iisdem veritatibus abhorrentes vel contra sententias periculosas atque in errores inducentes excitandam.[19]

[17] **Oportet notetur institutionem infallibilem Magisterii ordinarii et universalis non tantum declaratione doctrinae credendae et definitive tenendae aperta proponi, sed etiam doctrina in Ecclesiae consuetudine fidei impliciter contenta exprimi, cum ea a revelatione derivetur aut utcumque ad salutem aeternam sit necessaria atque Traditionis continuae testimonio confirmata; cuiusmodi institutio infallibilis a toto corpore episcopali reapse proponi videtur sensu etiam diachronico nec necessarie solummodo synchronico intellecto. Praeterea Magisterii ordinarii et universalis consilium doctrinae tamquam definitivae proponendae a formulis technicis nimis sollemnibus pendere non solet; satis est hoc tenore verborum eorumque nexu patefieri..**

[18] **Cfr Concilium Oecumenicum Vaticanum II, Constitutio Dogmatica *Lumen gentium,* 25; Congregatio pro Doctrina Fidei, Instructio *Donum Veritatis,* 23: *AAS* 82 (1990) 1559-1560.**

[19] **Cfr Congregatio pro Doctrina Fidei, Instructio *Donum Veritatis,* 23 et 24: *AAS* 82 (1990) 1559-1561.**

Omne propositum talibus doctrinis contrarium ***falsum*** est iudicandum vel, si de institutione praecavendi causa facta agatur, ***temerarium*** seu ***periculosum*** ideoque ***« tuto doceri non potest ».***[20]

11. ***Exempla.*** Nec absolute vel perfecte, sed tantum illustrandi causa quaedam exempla doctrinarum ad tria supra dicta commata pertinentium afferentur.

Ad primi commatis veritates pertinent articuli fidei Credo, varia dogmata christologica[21] et Mariana;[22] doctrina institutionis sacramentorum a Christo eorumque efficacitas quod ad gratiam;[23] doctrina de Christi praesentia reali et substantiali in eucharistia[24] et celebrationis eucharisticae natura sacrifica;[25] constitutio Ecclesiae voluntate Christi;[26] doctrina de Romani Pontificis primatu et infallibilitate;[27] doctrina de peccati originalis exsistentia;[28] doctrina de animae spiritualis immortalitate et de remuneratione statim post mortem praesenti;[29] absentia erroris in scriptis sacris inspiratis;[30] doctrina de gravi turpitudine occisionis hominis innocentis directae et voluntariae.[31]

Quod ad ***veritates secundi commatis*** respicit, id est illas necessitudine logica cum Revelatione conexas, exempli gratia notari licet incrementum intellegentiae doctrinae ad definitionem infallibilitatis Romani Pontificis attinentis ante dogma Concilii Vaticani I definitum. Successoris Petri primatus semper res revelata credebatur, tametsi usque ad Concilium Vaticanum I disceptabatur utrum notiones « iurisdictionis » et « infallibilitatis » pars interior revelationis essent an tantum effectus rationales. Quamquam eius indoles veritatis divinitus revelatae inter Concilium Vaticanum I est definita, nihilominus tamen doctrina de infallibilitate et de primatu iurisdictionis Romani Pontificis iam ante Concilium tamquam definitiva erat agnita. Historia igitur dilucide ostendit id quod conscientia Ecclesiae esset exceptum,

[20] **Cfr *CIC,* cann. 752; 1371; *CCEO,* cann. 599; 1436, 2.**
[21] **Cfr *DS* 301-302.**
[22] **Cfr *ibid.,* 2803; 3903.**
[23] **Cfr *ibid.,* 1601; 1606,**
[24] **Cfr *ibid.,* 1636**
[25] **Cfr *ibid.,* 1740; 1743.**
[26] **Cfr *ibid.,* 3050.**
[27] **Cfr *ibid.,* 3059-3075.**
[28] **Cfr *ibid.,* 1510-1515.**
[29] **Cfr *ibid.,* 1000-1002.**
[30] **Cfr *ibid.,* 3293; Concilium Oecumenicum Vaticanum II, Constitutio Dogmatica *Dei Verbum,* 11.**
[31] **Cfr Ioannes Paulus II, Litterae Encyclicae *Evangelium vitae,* 57: *AAS* 87 (1995) 465.**

inde a primordiis doctrinam veram esse habitum et deinceps definitivam retentum, sed tantum post ultimum gradum definitionis Concilii Vaticani I tamquam veritatem divinitus revelatam acceptum.

Quod autem ad praeceptum recentius circa doctrinam de ordinatione sacerdotali viris tantummodo reservata spectat, similis progressus est considerandus. Summus Pontifex, qui ad definitionem dogmaticam pervenire noluerit, statuit tamen iterum affirmare talem doctrinam definitive[32] esse retinendam quippe quae Verbo Dei scripto innitens continuo conservata et in Traditione Ecclesiae adhibita a Magisterio ordinario et universali infallibiliter esset proposita.[33] Nihil impedit, ut exemplum superius demonstrare potest, quominus futuris temporibus conscientia Ecclesiae progrediatur ita ut talem doctrinam tamquam divinitus revelatam credendam definiat.

In memoriam revocare licet quoque doctrinam circa interdictionem euthanasiae in Litteris Encyclicis ***Evangelium vitae*** praeceptam. Confirmans euthanasiam « gravem divinae Legis esse violationem », Pontifex Maximus explanat quod « haec doctrina lege naturali atque verbo Dei scripto adnixa, Ecclesiae Traditione traducitur atque Magisterio ordinario et universali explicatur ».[34] Videretur doctrinae de euthanasia elementum mere rationale inesse, propterea quod Scriptura hanc notionem novisse non videtur. Alia ex parte hic mutuus eminet internexus inter ordinem fidei atque ordinem rationis: nam Scriptura ab omni forma vitae humanae semetipsam curantis evidenter abhorret, quae quidem in consuetudinem et rationem euthanasiae est coniecta.

Alia exempla doctrinarum moralium quae tamquam definitivae a Magisterio ordinario et universali Ecclesiae docentur, sunt institutiones de interdictione prostitutionis[35] et de interdictione fornicationis.[36]

Exempla veritatum necessitudine historica cum revelatione conexarum quae definitive sunt retinendae, tamquam divinitus tamen revelatae declarari non possunt, haec sunt: electio Summi Pontificis legitima aut celebratio Concilii Oecumenici legitima, canonizatio sanctorum ***(facta dogmatica);***

[32] **Cfr Ioannes Paulus II, Litterae Apostolicae *Ordinatio Sacerdotalis,* 4: *AAS* 86 (1994) 548.**

[33] **Cfr Congregatio pro Doctrina fidei, *Responsum ad dubium circa doctrinam in Epist. Ap. «Ordinatio Sacerdotalis» traditam: AAS* 87 (1995) 1114.**

[34] **Ioannes Paulus II, Litterae Encyclicae *Evangelium vitae,* 65: *AAS* 87 (1995) 477.**

[35] **Cfr *Catechismus Catholicae Ecclesiae,* 2355.**

[36] **Cfr *ibid.,* 2353..**

Leonis XIII Litteris Apostolicis ***Apostolicae Curae*** declaratio de ordinationum anglicanarum invaliditate.[37]...

Inter exempla ***doctrinarum ad tertium comma pertinentium*** indicare licet institutiones a Magisterio authentico ordinario non definitive propositas quae varium adhaesionis gradum exigunt secundum sententiam et voluntatem sive documentorum natura, sive frequentia eandem doctrinam proponendi, sive tenore locutionis manifestatam.[38]

12. Variis symbolis fidei fidelis agnoscit ac testificatur se fidem totius Ecclesiae profiteri. Quamobrem in symbolis praesertim antiquioribus conscientia ecclesialis formula « Credimus » exprimitur. Ut ***Catechismus Catholicae Ecclesiae*** docet: « "Credo": est fides Ecclesiae quam unusquisque credens personaliter profitetur, praesertim cum baptizatur. "Credimus": est fides Ecclesiae quam Episcopi in Concilio profitentur congregati vel generalius quam liturgica credentium profitetur congregatio. "Credo": est etiam Ecclesia, Mater nostra quae Deo fide respondet sua nosque docet dicere: "Credo", "Credimus" ».[39]

In unaquaque professione fidei Ecclesia varia itinera viae ad congressum cum Deo definitivum emensa eadem probat. Nulla decursu temporis sententia exsuperatur; immo omnes sententiae patrimonium quod substitui non potest, fiunt quo fides prisca, omnium et cuiusque loci actionem perennem contemplatur Spiritus Christi Resuscitati suam Ecclesiam comitantis atque vivificantis, ut eandem ad veritatis perducat plenitudinem.

Romae, ex Sede Congregationis pro Doctrina Fidei, die 29 mensis Iunii A.D. MIIM.

£8 IOSEPHUS card. RATZINGER, ***Praefectus***

SB Tharsicius Bertone
archiep. em. Vercellarum
a secretis

[37] **Cfr *DS* 3315-3319,**

[38] **Cfr Concilium Oecumenicum Vaticanum II, Constitutio Dogmatica *Lumen gentium,* 25; Congregatio pro Doctrina Fidei, Instructio *Donum Veritatis,* 17, 23 et 24: *AAS* 82 (1990) 1557-1558, 1559-1561.**

[39] ***Catechismus Catholicae Ecclesiae,* 167.**

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

NOVARIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Iosephi Picco, sacerdotis professi e Societate Iesu (1867-1946)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Iter faciebat per civitates et castella, praedicans et evangelizans regnum Dei » (Lc 8, 1).

Divini Pastoris exemplum imitatus sacerdos Iosephus Picco variis in locis Evangelii lumen effudit atque indefesse aedificando Dei regno operam dedit.

Natus is est die 4 mensis Iulii anno 1867 in pago Noie, ad regionem Salassorum pertinente, intra fines posito archidioecesis Taurinensis, a Gaspare Picco ac Dominica Baima, ferventibus christianis, qui laeti viderunt tres florere ex decem filiis suis vocationes sacerdotales. Servi Dei educationi, qui eodem ortus die baptismum acceperat, parentes prospexerunt atque patruus sacerdos, qui eius fuit in ludo praeceptor. Augustae Taurinorum studia continuavit et in oppido Lanzo vernáculo sermone denominato, ubi Sanctum Ioannem Bosco cognovit, atque in seminario Cheriensi. Anno 1885 ingressus est Societatis Iesu novitiatum et biennio post professionem fecit religiosam: Interim sacramenta acceperat Paenitentiae, Eucharistiae et Confirmationis.

Studia recoluit, suam navavit operam variis in ephebeis ac diligenter suam perrexit spiritalem ac theologicam formationem, donec die mensis Aprilis 8, anno 1901, est sacerdos ordinatus.

A superioribus aliquot sunt ei munera concredita quae, celeri ordine, Augustae Taurinorum, Ianuae, Quarti ad Mare, Cunei, S. Romuli explevit.

Anno 1912 ad oppidulum missus est vulgo Gozzano appellatum, in dioecesi Novariensi situm, officio sibi credito adiutoris moderatoris spiritualium exercitationum pro operariis. Priore totius orbis terrarum bello cappellanus fuit in valetudinario pro militibus Cuneensi; deinde ad parvam urbem Gozzano rediit eodem sibi munere sumpto, quo ad mortem usque functus est.

Ubique sua est munia exsecutus cum diligentia et summa cum cura, omnia nitens ad Dei maiorem gloriam facere atque salutem animarum. Maxima sedulitate ministerio pastorali se dedidit, cum in Domo exercitationum spiritualium, tum in populo loci Gozzano aliorumque pagorum in vallibus sparsorum finium Novariensium. Uti operarius apostolicus et missionarius excurrens semper paratus fuit ad parochos adiuvandos, qui eius petebant auxilium. Numquam longinqua spatia percurrere destitit, aestivi caloris neglegens et hiemalis frigoris, ut sacramentum Paenitentiae ministraret atque Communionem aegrotis ferret et morientibus. Aequo animo non parva oppetivit incommoda, saepe a cibis abstinuit ac somno durasque egit paenitentias ut peccatorum obtineret conversionem. Impensae pastorali industriae vitae coniunxit sanctitatem. Namque, dum aliis bona distribuebat redemptionis, ipse se sanctum fecit et alacriter ambulavit in via christianae perfectionis, fidei, caritatis et spei lumine illustratus. Firmiter igitur in Deum credidit et in eius verbum atque divina servavit praecepta, leges Ecclesiae, Societatis Iesu Regulas et vota religiosa. Deum ex toto corde dilexit artamque cum eo coniunctionem coluit per piam Missae celebrationem, pietatem erga Eucharistiam et Virginem Mariam, precationem,' meditationem, continentiam ipsaque opera apostolica. A vanis mundi rebus et a bonis terrestribus alienus fuit, superioribus obsequens, temperans, fortis in difficultatibus et in sacrificiis tolerandis, prudens, sapiens atque humilis in animarum servitio, iurium Dei proximique observans, in verbis et in moribus castus. Spei plenus obviam morti se obtulit, qua est correptus die 31 mensis Augusti anno 1946, sicut ipse praedixerat.

Fama sanctitatis, qua Servus Dei enituit in vita, palam manifestata est in exsequiis et secutis quoque annis permansit; quapropter Episcopus Novariensis Causam inchoavit beatificationis et canonizationis per celebratum Processum ordinarium informativum (annis 1955-1957). Postquam est decretum promulgatum super Causae Introductione anno 1973, apud curiam Novariensem Processus apostolicus est instructus (annis 1974-1976), ut nonnullae explicarentur vitae ac virtutum Servi Dei rationes. Auctoritate horum processuum probata anno 1978, praeparata est Positio super virtutibus. Postea ex more disceptatum est an Servus Dei Iosephus Picco virtutes heroum modo explicavisset. Die 11 mensis Martii anno 1997 actus est, felici cum eventu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 2 mensis Decembris eodem anno habita, Causae Ponente Excellentissimo Domino Hieronymo Gril-

Io, Episcopo Centumcellarum-Tarquiniensi, affirmaverunt Servum Dei Iosephum Picco heroum more virtutes théologales, cardinales iisque adnexas coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more con vocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Iosephi Picco, Sacerdotis professi e Societate Iesu, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 18 mensis Decembris A. D. 1997.

83 ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesariensis in Numidia ***Pro-Praefectus***

L. ffiS.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 8 Aprilis 1998. — Cathedrali Ecclesiae Balangensi R.D. Honestum Ongtioco, e clero archidioecesis Sancti Ferdinandi, hactenus Pontificii Collegii Insularum Philippinarum in Urbe Rectorem.

die 30 Maii 1998. — Metropolitanae Ecclesiae Cotabatensi Exc.mum P.D. Rolandum Quevedo, O.M.I., hactenus archidioecesis Novae Segobiae Archiepiscopum.

die 6 Iunii. — Archiepiscopali Ecclesiae Consentinae-Bisinianensi, Exc.mum P.D. Josephum Agostino, hactenus Archiepiscopum Crotonensem -Sanctae Severinae.

— Cathedrali Ecclesiae Reginae Gradecensis R.P. Dominicum Duka, Ordinis Fratrum Praedicatorum sodalem et professorem Facultatis Theologiae Universitatis Olomucensis.

die 10 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Bassianensi R.D. Marium Leszczynski, parochum et vicarium foraneum in urbe vulgo Tarnoszyn, quem deputavit Auxiliarem dioecesis Zamosciensis-Lubaczoviensis.

die 12 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Curiensi, Exc.mum P.D. Amadeum Grab, O.S.B., hactenus Episcopum Lausannensem, Genevensem et Friburgensem.

die 13 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Buscoducensi R.D. Antonium Lambertum Mariam Hurkmans, hactenus eiusdem dioecesis Vicarium generalem et Seminarii maioris moderatorem.

die 19 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Thasbaltensi R.D. Stephanum Vrablec, Pontificii Collegii Slovakorum de Urbe rectorem, quem deputavit Auxiliaren archidioecesis Bratislaviensis-Tyrnaviensis.

— Cathedrali Ecclesiae Netensi Exc.mum P.D. Iosephum Malandrino, hactenus Episcopum Iaciensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Basticensi R.D. Iesum García Burillo, Vicarium episcopalem in archidioecesi Matritensi, quem deputavit Auxiliarem Oriolensem-Lucentinum.

die 23 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Civitatis Mariae Exc.mum P.D. Robertum Rodríguez, hactenus Episcopun titularem Pertusensem et Auxiliarem Cordubensem in Argentina.

— Archiepiscopum Coadiutorem metropolitanae Ecclesiae Saltensi Exc.mum P.D. Marium Antonium Cargnello, hactenus Episcopum Novoraniensem.

— Cathedrali Ecclesiae Lepoldinensi R.P. Celium de Oliveira Goulart, O.F.M, hactenus in dioecesi Divinopolitana paroeciae Sancto Antonio dicatae parochum.

die 24 Iunii 1998. — Abbatiae territoriali Montisvirginis R.P.D. Tharsicium Ioannem Nazzaro, O.S.B.

die 26 Iunii. — Archiepiscopum Coadiutorem metropolitanae Ecclesiae Platensi Exc.mum P.D. Hectorem Ruben Aguer, hactenus Episcopum titularem Lamdiensem et Auxiliarem Bonaërensem.

die 27 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Atlacomulcanae R.D. Constantium Miranda Weckmann, hactenus Vicarium generalem dioecesis Cuauhtemocensis-Materiensis.

— Cathedrali Ecclesiae Latinensi-Terracinensi-Setinae-Privernensi R.D. Iosephum Petrocchi, e clero dioecesis Asculanae in Piceno, hactenus paroeciae « Sanctis Apostolis Petro et Paulo » dicatae curionem.

— Metropolitanae Ecclesiae Bucaramanguensi Exc.mum P.D. Victorem Emmanuelem López Forero, hactenus Archiepiscopum Neo-Pampilonensem.

— Cathedrali Ecclesiae Regiensi in Aemilia-Guastallensi R.D. Hadrianum Caprioli, e clero archidioecesis Mediolanensis, curionem paroeciae Sancti Magni.

die 30 Iunii. — Metropolitanae Ecclesiae Halifaxiensi, Exc.mum P.D. Terentium T. Prendergast, S.I., hactenus Episcopum titularem Slebtensem et Auxiliarem archidioecesis Torontinae.

COLLATIO DIGNITATIS ARCHIEPISCOPALIS

die 15 Iunii 1998. — Decreto Congregationis pro Episcopis Exc.mo P.D. Stephano Fumio Hamao, hactenus Episcopo Yokohamaënsi, Pontificii Consilii de Spirituali Migrantium atque Itinerantium Cura Praesidi electo, dignitas archiepiscopalis collata est.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Sabato, 6 Giugno 1998, S.E. il Signor HORACIO SÁNCHEZ UNZUETA, Ambasciatore del Messico presso la Santa Sede.

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Venerdì, 12 Giugno 1998, il Signor YASSER ARAFAT, Presidente dell'Autorità Palestinese.

Giovedì, 18 Giugno 1998, S.E. il Signor NELSON ROLIHLAHLA MANDELA, Presidente della Repubblica del Sud Africa.

Giovedì, 18 Giugno 1998, S.E. il Signor ALEXANDER DOWNER, Ministro degli Affari Esteri dell'Australia.

Giovedì, 25 Giugno 1998, S.E. il Signor JERRY JOHN RAWLINGS, Presidente della Repubblica del Ghana.

Venerdì, 26 Giugno 1998, S.A. EM.MA FRA' ANDREW BERTIE, Principe e Gran Maestro del Sovrano Militare Ordine di Malta.

Da venerdì 19 a domenica 21 giugno 1998 il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio in Austria.

Con Bolla papale del 24 giugno 1998 l'Em.mo Signor Cardinale Roger Etchegaray è stato nominato Vescovo del titolo della Chiesa suburbicaria di Porto e Santa Rufina.

Con Bolla papale del 25 giugno 1998 l'Em.mo Signor Cardinale Lucas Moreira Neves è stato nominato Vescovo del titolo della Chiesa suburbicaria di Sabina e Poggio Mirteto.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

6 giugno 1998. S.E. mons. Pietro Sambi, Arcivescovo tit. di Beicastro, *Nunzio Apostolico in Israele e Cipro e Delegato Apostolico in Gerusalemme e Palestina.*

13 » » S.E. mons. Peter Stephan Zurbriggen, Arcivescovo tit. di Glastonia, *Nunzio Apostolico in Georgia, Armenia e Azerbaigian.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

18 maggio 1998. Le LL.EE. i monsignori Antonio Bayter Abud, Vicario Apostolico di Inirida; Jean Bonfíls, Vescovo di Viviers; Renato Corti, Vescovo di Novara; Alan Basii De Lastic, Vescovo di Delhi; Girolamo Prigione, Arcivescovo tit. di Lauriaco; p. Herman Schalück, O.F.M.; il sig. Roger Aboteyuure; il sig. Anthony Martyn; p. Giacomo Bini, O.F.M.; p. Heinrich Barlage, S.V.D., *Membri della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli « ad quinquennium ».*

» » » Gli Em.mi Signori Cardinali Simon D. Lourdusami, Francis Arinze, Paul Poupard, Friedrich Wetter, Bernard Francis Law, José T. Sánchez e l'Ecc.mo mons. William Jerome McCormack, *Membri della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli «in aliud quinquennium seu usque ad 80° ».*

28 » » Le LL.EE. i monsignori Joachim N'Dayen, Arcivescovo di Bangui; Peter Chung Hoan Ting, Arcivescovo di Kuching; Michael Rozario, Arcivescovo di Dhaka; Robert Sarah, Arcivescovo di Conakry; Ivan Dias, Arcivescovo di Bombay; Laurent Monsengwo Pasinya, Arcivescovo di Kisangani; Wilfrid Fox Napier, Arcivescovo di Durban; Albert Kanene Obiefuna, Arcivescovo di Onitsha; Medardo Joseph Mazombwe, Arcivescovo di Lusaka; Simon Ntamwana, Arcivescovo di Gitega; Brian James Barnes, Arcivescovo di Port Moresby; Nestor Assogba, Arcivescovo di Parakou; Jean-Baptiste Pham Minh Man, Arcivescovo di Thành-Phô Hô Chi Minh; Luigi De Magistris, Vescovo tit. di Nova;

Anthony Theodore Lobo, Vescovo di Islamabad-Rawalpindi; Jean-Gabriel Diarra, Vescovo di San Philippe Ouedraogo, Vescovo di Ouahigouya; il Rev.do Giuseppe Cavallotto; mons. José Martin de Agar; don Piero Giorgio Marcuzzi, S.D.B.; p. Agostino Montan, C.S.I.; il sig. Gaspare Mura; mons. Pio Vito Pinto; mons. Ambrogio Spreafico, *Consultori della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli « ad quinquennium ».*

28 maggio 1998. Le LL.EE. i Monsignori Gregori Yong Sooi Ngean; Dominic Kodwo Andoh; Gabriel Zubeir Wako; Michel-Marie-Bernard Calvet; Thomas Menamparampil; Giovanni Bernardo Gremoli; Ratko Peric; mons. Vincent Che Chen-Tao; don Eduardo Baura, S.D.B.; p. Constant Bouchaud, P.S.S.; p. Jesus Castellano Cervera, O.C.D.; p. Velasio De Paolis, C.S.; p. Anastasius Disch, O.F.M. Cap.; p. Gianfranco Ghirlanda, S.I.; Rev.do Paolo Giglioni; Rev.do Sebastian Karotemprel, S.D.B.; p. Jesus Lopez-Gay, S.I.; p. Francesco Pavese, I.M.C.; Rev.do Luke Van Looy, S.D.B.; p. Adam Wolanin, S.I.; la Rev.da suor Giuseppina Tresoldi, S.M.C., *Consultori della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli « in aliud quinquennium ».*

2 giugno » Mons. Walter Brandmüller; mons. Giovanni Maceroni; p. Giuseppe Morandini, S.C.I., *Consultori delia Congregazione delle Cause dei Santi « ad quinquennium ».*

» » » Il signor Pius Segmüller, *Capitano Comandante della Guardia Svizzera Pontificia.*

» » » Il signor Elmar Theodor, *Tenente della Guardia Svizzera Pontificia.*

4 » » Mons. Walter Brandmüller, *Presidente del Pontificio Comitato di Scienze Storiche « ad quinquennium ».*

8 » » Mons. Giorgio Corbellini, *Vice Segretario Generale del Governatorato dello Stato della Città del Vaticano « in aliud quinquennium ».*

13 » » Suor Rita Burley, A.S.C., *Membro del Comitato del Grande Giubileo dell'Anno 2000.*

15 » » S.E. mons. Stephen Fumio Hamao, Vescovo em. di Yokohama, *Presidente del Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti « ad quinquennium ».*

» » » P. Hieronim Fokciñski, S.I., *Relatore della Congregazione delle Cause dei Santi « in aliud quinquennium ».*

» » » P. Daniel Ois, O.P., *Relatore della Congregazione delle Cause dei Santi « in aliud quinquennium ».*

24 » » S.E. mons. François Xavier Nguyên Van Thuân, Arcivescovo tit. di Vadesi, *Presidente del Pontificio Consiglio della Giustizia e della Pace «ad quinquennium ».*

25 » » L'Em.mo Signor Cardinale Lucas Moreira Neves, *Prefetto della Congregazione per i Vescovi « ad iuris normam ».*

25 giugno 1998. L'Em.mo Signor Cardinale Lucas Moreira Ne ves, *Presidente della Pontificia Commissione per l'America Latina « ad iuris normam ».*

28 » » L'Em.mo Signor Cardinale Camillo Ruini, *Presidente della Commissione Episcopale per l'Almo Collegio Capranica « in aliud quinquennium ».*

Si rende noto che Mons. Francesco Maria Tasciotti è stato nominato «in aliud quinquennium » Vicario giudiziale aggiunto del Tribunale ordinario della diocesi di Roma, presso il Vicariato di Roma e che il Rev. Felicetto Gabrielli è stato nominato Giudice esterno « ad quinquennium » del Tribunale di prima istanza del Lazio per le cause di nullità di matrimonio.

NECROLOGIO

1 giugno 1998. Mons. Luigi Ma verna, Arcivescovo em. di Ferrara-Comacchio *(Italia).*

9 » » Card. Agostino Casaroli, del titolo della Chiesa suburbicaria di Porto e Santa Rufina.

17 » » Card. John Joseph Carberry del titolo di San Giovanni Battista de Rossi a via Latina.

20 » » Mons. Vittorio Ottaviani, Vescovo em. di Avezzano *(Italia).*

21 » » Card. Anastasio Ballestrero, del titolo di Santa Maria sopra Minerva.

26 » » Mons. Jorge Kemerer, Vescovo em. di Posadas *(Argentina).*

27 » » Mons. Léon-Arthur Elehinger, Vescovo em. di Strasbourg ***(Francia).***

» » » Mons. Joào Aloysio Hoffman, Vescovo em. di Erexim *(Brasile).*

An. et vol. XC 3 Augusti 1998 N. 8

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

VASAIENSIS

In India nova conditur dioecesis Vasaiensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum ad aeternam provehendam salutem gregis Dominici in India eiusque regimini facilius et efficacius consulendum nuper esset petitum ut, divisa Bombayensi archidioecesi, nova ibidem circumscriptio ecclesiastica constitueretur, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, re mature perpensa auditoque pariter faventi voto eorum quorum interest, admotam postulationem censuerunt esse accipiendam. Nos igitur, beati Petri Successores, solliciti de universis particularibus Ecclesiis, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. A Bombayensi archidioecesi separamus territorium novem subdistrictuum civilium « Taluks », qui sunt in parte septemtrionali districtus civilis « Thane » quique patrio sermone nuncupantur Vasai, Bhiwandi, Shahapur, Wada, Jawahar, Palghar, Mokhada, Dahanu et Talasari; ex eoque novam constituimus dioecesim *Vasaiensem,* quam metropolitanae Ecclesiae Bombayensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus.

Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe « Vasai » atque templum Deo in honorem Sanctae Mariae, Dominae Nostrae Gratiae, ibidem exstans ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Georgius Zur, Archiepiscopus titulo Sestensis atque in eadem Natione Apostolicus Pronuntius, qui, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis ad memoratam Congregationem cito mittenda. Hanc denique Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die altero et vicesimo mensis Maii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo octavo, Pontificatus Nostri vicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr, pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, ***Protonot. Apost.***
Carmelus Nicolosi, ***Protonot. Apost.***

Loco Et Plumbi
In Secret. Status tab., n. 433.684

II

CRICIUMENSIS

In Brasilia nova conditur dioecesis Criciumensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sollicitus de spirituali bono suorum fidelium, Venerabilis Frater Hilarius Moser, Episcopus Tubaraoënsis, audita Conferentia episcopali Brasiliensi, ab hac Apostolica Sede petivit ut, quodam seiuncto territorio a circumscriptione ecclesiastica sua, nova dioecesis conderetur. Nos vero, habito faventi voto Venerabilis Fratris Alfii Rapisarda, Archiepiscopi titulo Cannensis atque in memorata Natione Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis enixas preces libenter audiendas esse putavimus. Summa igitur, qua

fungimur, potestate, haec decernimus: a dioecesi Tubaraoënsi separamus integrum territorium, sicut in praesens lege civili circumscribitur, municipiorum nuncupatorum Araranguá, Balneario Arroio do Silva, Balneario Gaivota, Cocal do Sul, Criciúma, Ermo, Forquilhinha, Içara, Jacinto Machado, Lauro Müller, Maracaiá, Meleiro, Morro da Fumaça, Morro Grande, Nova Veneza, Passo de Torres, Praia Grande, Santa Rosa do Sul, Säo Joäo do Sul, Sideróplis, Sombrio, Timbé do Sul, Treviso, Turvo et Urussanga atque ex ita distracto territorio novam constituimus dioecesim ***Criciumensem,*** quae iisdem limitabitur finibus, quibus praedicta municipia simul sumpta, prout in civili lege exstant, nunc terminantur. Sic conditae Ecclesiae sedem in urbe « Criciúma » ponimus, ibique situm templum, Deo in honorem Sancti Ioseph dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae cathedralis evehimus, mandantes ut in eo, ad normam iuris, Canonicorum Capitulum instituatur. Insuper dioecesim Criciumensem suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Florianopolitanae eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Florianopolitani pro tempore subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus, perficienda committimus Apostolico Nuntio, quem diximus, vel, absente eo, illi, qui curat negotia Sanctae Sedis in Brasilia, eisdem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis, cum primum fas erit, remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo septimo mensis Maii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo octavo, Pontificatus Nostri vicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

83 BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Eugenius Sevi, ***Protonot. Apost.***
Marcellus Rossetti, ***Protonot. Apost.***

Loco £8 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 433,743

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Dei Servo Friderico Ozanam Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Non satis Iesum Christum amamus. Nos Eum procul dubio per fidei oculos tantum cernimus, et fides nostra est debilis. Pauperes cernimus per carnis oculos, qui praesto sunt. Mittere nos possumus digitum et manum in eorum vulneribus, et spineae coronae vestigia in eorum frontibus eonspiciuntur. Ah! ad eorum pedes procumbere debemus et cum Apostolo dicere: « Dominus meus et Deus meus ». Vos magistri nostri estis et nos vestri famuli erimus; vos imagines estis viventes illius Dei quem non videmus, at quem credimus nos amare in vobis amantibus! » (ex epistula Aloisio Janmot die xin mensis Novembris anno MDCCCXXXVI missa). Verba haec conspicuam vitae et personae partem Venerabilis Dei Servi Friderici Ozanam ostendunt. Ipse testis fuit ac simul magister. In viri patrisque statu; laici in condicione qui in caritatis magisteriique provincia versabatur quique praecipuus fuit conditor celebratarum Conferentiarum sancti Vincentii de Paul, inter insignes homines annumeratus est, qui missionis Ecclesiae societatisque progressus actuositatem denotarunt. In eo, primigenio discipulo semperque novo sancti Vincentii, evangelizatio, humana provectio et caritatis testimonium coniunguntur. Eximius igitur laicorum apostolatus in saeculo XIX ipse exstitit auctor. Mediolani, die xxin mensis Aprilis anno MDCCCXIII, piis parentibus Ioanne Ozanam medico et Maria Nantes ortus est, qui tam civilem quam religiosam disciplinam una cum sorore Helena maxima natu et Carolo fratre, qui postea sacerdos factus est, perquam apposite docuerunt. Puer et adulescens Lugdunii aetatem degit, ubi praeclarum Collège Royal, quod dicitur, adiit, amplissimas ingenii morisque dotes exhibens; exinde Lutetiam Parisiorum petiit ut Universitatem studiorum adiret. Ibidem iuridicialis disciplinae consecutus est lauream. Aliquod per tempus fructuose Lugdunii patroni artem exercuit, causas pauperum gratuito sustinendo. Postea Lutetiam remigravit et anno MDCCCXL cathedram consecutus est Litterarum exterarum apud studiorum Universitatem Sorbonensem, ubi docuit et christianas Europae radices in V saeculo necnon christianam mirabilem compositionem demonstravit, quae

tempore sancti Francisci Dantisque Aligherii contigit. Duplicem,operam sustinuit Ozanam, scilicet scientiae et caritatis. Dilectione culturae replebatur, sed eius cultura fuit amoris. Una cum aliis iuvenibus Conferentias sancti Vincentii instituendas curavit (anno MDCCCXXXIII), quae brevi per totam Europam orbemque terrarum disseminatae sunt. Archiepiscopo Parisiensi suasit ut certo quodam tempore sermones sererentur ad necessitates illius temporis accommodati. Initium hoc fuit illarum orationum quas praeclarus ille Pater Lacordaire apud Dominam Nostram Lutetiae Parisiorum habuit. Aliquandiu vitae religiosae forma captus est et Ordine Fratrum Praedicatorum allectus. Tandem intellexit se a Deo ad matrimonium vocari atque ideo cum Maria Iosepha Amalia Soulacroix die xxin mensis Iunii anno MDCCCXLI nuptias iniit, quacum pleno cum animi consensu vixit; illa deinceps filiam peperit, quam ipse dulcissimo ac sapienti patris amore dilexit. Incommodo morbo correptus, quem animo illo se omnino conformandi Dei voluntati toleravit, eximia patientia die VIII mensis Septembris anno MDCCCLIII Massiliae, quadraginta annos natus, pretiosam suam amisit vitam. Fridericus Ozanam, veritatis amator, singularis fuit testis suae fidei. Religiosorum quorundam dubiorum breve temporis spatium postquam superavit adulescens quattuordecim annorum, assertor exstitit soliditatis ac pulchritudinis religionis catholicae, quam usque studiose verbis compluribusque scriptis tuitus est, postquam potissimum anno MDCCCXL doctor factus est Universitatis studiorum Sorbonensis. Vigil fuit is in signis temporum capessendis. In eius celebri locutione « transeamus ad barbaros », invitatio quaedam percipitur in aliquam certam partem ad trasgrediendum, in humilioris scilicet ordinis homines trasmigrandum. Quapropter unus ex antecessoribus haberi potest Litterarum encyclicarum ***Rerum novarum,*** quippe qui ipsi doctrinae personale directumque opus coniunxerit. Positivismi saeculo fidei fuit missionarius apud scientiam itemque missionarius apud societatem. Alto Ecclesiae sensu permotus, christianas virtutes heroum in modum egit, etsi quendam vitae modum retinuit. Fidelis in minimo (cfr ***Lc*** 16, 10) fuit, sed eximius in Evangelio quotidie sustinendo. Beatificationis et canonizationis causa anno MCMXXV incohata est. Nos Ipsi die VI mensis Iulii anno MCMXCIII declaravimus Dei Servum heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas exercuisse. Posthac die XXV mensis Iunii anno MCMXCVII Nobis coram decretum super miraculo prodiit. Ideo beatificationis ritum constituimus die xxn mensis Augusti anno MCMXCVII Lutetiae Parisiorum celebratum iri.

Hodie igitur inter sacra hanc protulimus formulam: « Par Notre Autorité Apostolique, accueillant les vœux de Notre Frère Jean-Marie Lustiger, Archevêque de Paris, de beaucoup d'autres Frères dans l'épiscopat et nombreux fidèles, et après avoir entendu l'avis de la Congrégation pour les Causes des Saints, Nous concédons que dorénavant le vénérable Frédéric Ozanam peut être appelé Bienheureux et que, le neuf septembre, on pourra célébrer sa fête chaque année, selon les règles et dans les lieux prévus par le droit. Au nom du Père, et du Fils et du Saint-Esprit. Quod autem his Litteris decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime obsistentibus.

Datum Lutetiae Parisiorum, sub anulo Piscatoris, die xxn mensis Augusti anno MCMXCVII, Pontificatus Nostri undevicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco © Sigilli
In Secret. Status tab., n. 424.959

II

Paroeciale templum et sanctuarium, Deiparae Virgini titulo « Nuestra Señora de Monserrate » dicatum, in dioecesi Maiaguezensi, ad gradum dignitatemque Basilicae minoris evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Celeberrimum in civitate Portudivitensi exstat Sanctuarium, in pago vulgo Hormigueros situm, ex dioecesi Maiaguezensi, Deiparae Mariae Virgini sub titulo ***Nuestra Señora de Monserrate*** dicatum. Per tria fere saecula fideles frequentissimi illuc accedunt tam in adversis quam in secundis adiunctis auxilium petituri. Constat insuper eandem ecclesiam apud universam nationem notum esse centrum spiritalis ac liturgicae vitae atque ministerii reconciliationis. Qua de re, cum Venerabilis Frater Ulixes Aurelius Casiano Vargas, Episcopus Maiaguezensis, nomine quoque Conferentiae Episcopalis, cleri populique sui petiverit ut templum, quod diximus, titulo ac dignitate Basilicae minoris honestaremus, Nos, peculiare benevolentiae signum dilectis filiis Maiaguezensibus praebere cupientes, tam sollertis ac dignissimi Pastoris precibus perquam libenter obsecun-

dandum esse censemus. Sententiam igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum ratam habentes, Apostolica Nostra potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum sanctuarium, de quo mentionem facimus, titulo ac dignitate Basilicae minoris exornamus, omnibus factis iuribus atque liturgicis concessionibus, quae ecclesiis hoc titulo insignitis rite competunt, iis tamen servatis quae, secundum Decretum « De titulo Basilicae minoris » die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, sunt servanda. Has denique Litteras Nostras sive nunc sive in posterum ratas esse foreque volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIX mensis Maii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

£8 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco œ Sigilli
In Secret. Status tab., n. 433.037

III

Templum Malacitanum custodiens imagines a christifidelibus valde veneratas D.N.I.C, ac Deiparae sub titulo v.d. « Dulce Nombre de Jesús Nazareno del Paso y María Santísima de la Esperanza » ad gradum Basilicae minoris evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Questa voluta insistenza sul medesimo tema già di per sé indica come il sacramento della Riconciliazione stia sommamente a cuore, in ragione del loro ufficio di mediatori in Cristo tra Dio e gli uomini, al Sommo Pontefice ed ai suoi fratelli nel sacerdozio, vescovi e presbiteri.

Oggi è opportuno considerare le finalità proprie, che la Chiesa intende perseguire e che i fedeli debbono proporsi nel ricevere il sacramento della Penitenza; con esse, o piuttosto come specificazioni particolarmente gratificanti di tali finalità essenziali del sacramento, i benefici di interiore armonia che derivano dalla grazia; da ultimo, certi risultati intesi soggettivamente da chi riceve o amministra il sacramento (o a loro suggeriti da autori, i quali non debbono far testo), che esulano dalla dinamica soprannaturale di esso, inducendo anche talvolta nel rito, che deve essere essenzialmente ed esclusivamente religioso, modalità che lo snaturano e lo dissacrano.

3. Con ragione il sacramento della Penitenza dai Padri e dai Teologi ha ricevuto, assieme ad altre denominazioni, quella di ***secunda tabula post naufragium,*** seconda in rapporto al Battesimo. Il naufragio, dal quale il Battesimo e la Penitenza ci salvano, è quello del peccato. Il Battesimo cancella la colpa d'origine e, se ricevuto in età adulta, cancella anche i peccati personali e tutta la pena ad essi dovuta: esso è, infatti, la nascita, l'assoluta novità di vita, nell'ordine soprannaturale. Il sacramento della Penitenza è destinato a cancellare i peccati personali, commessi dopo il Battesimo: innanzi tutto quelli mortali, quindi quelli veniali. I peccati mortali, se il pe-

nitente ne ha commesso più di uno, non possono essere rimessi che tutti simultaneamente. Infatti, la remissione del peccato grave consiste nell'infusione della grazia santificante perduta, e la grazia è incompatibile con i peccati gravi, tutti e singoli. Diversa è la considerazione da fare per i peccati veniali, i quali non comportano la perdita della grazia e perciò possono coesistere con lo stato di grazia, e non essere quindi rimessi per difetto di sufficiente loro detestazione nel penitente, anche se fossero rimessi, mediante l'assoluzione sacramentale, peccati mortali, che, per ipotesi, egli avesse commesso. Ovviamente i fedeli che si accostano al sacramento della Penitenza desiderano anche la remissione della pena temporale, dovuta al peccato, sia pure che non necessariamente abbiano in atto l'esplicita considerazione di tale pena. Si ricordi, a questo proposito, la verità di fede del Purgatorio, nel quale si espiano le pene residue dopo il passaggio all'altra vita. Ma il sacramento della Penitenza contiene in se stesso, appunto perché infonde o aumenta la grazia soprannaturale, la virtù di stimolare i fedeli al fervore della carità, alle conseguenti opere buone, e alla pia accettazione dei dolori della vita, che meritino la remissione anche delle pene temporali.

Sotto questo profilo al sacramento della Penitenza è strettamente connessa la verità di fede e la prassi delle indulgenze. L'indulgenza è, infatti, la remissione dinanzi a Dio della pena temporale per i peccati, già rimessi quanto alla colpa. Il fedele, debitamente disposto e a determinate condizioni, l'acquista per intervento della Chiesa, la quale, come ministra della redenzione, autoritativamente dispensa ed applica il tesoro delle soddisfazioni di Cristo e dei santi.[2] Grazie a Dio, là dove la vita cristiana è intensamente vissuta, i fedeli amano le indulgenze e piamente ne fanno uso. E poiché l'acquisizione dell'indulgenza plenaria postula in primo luogo il totale distacco dell'anima dall'affetto al peccato, mirabilmente esse e il sacramento della Penitenza si integrano in quello scopo essenziale e primo che è la distruzione del peccato, che, come sopra ho detto, si identifica in concreto con l'infusione o l'aumento della grazia santificante.

A questo proposito, il mio pensiero, anzi il pensiero di tutta la Chiesa, si eleva con gratitudine al Sommo Pontefice Paolo VI di venerata memoria, che nella Costituzione Apostolica ***Indulgentiarum doctrina,*** insigne monumento del Magistero, ha approfondito il tema delle indulgenze e, con viva sensibilità pastorale, ne ha innovato la disciplina.

[2] *C.I.C.,* can. 993.

Così il ricordo e l'invocazione dello Spirito Santo, con i quali ho aperto queste mie parole, sono stati intenzionali, in rapporto non solo al Grande Giubileo, ma anche al tema qui svolto: è, infatti, mirabile effetto dello Spirito Santo, che inabita in noi, la distruzione del peccato e la santità: « ... ma siete stati lavati, siete stati santificati, siete stati giustificati nel nome del Signore Gesù Cristo e nello Spirito del nostro Dio;[3] « La speranza poi non delude, perché l'amore di Dio è stato riversato nei nostri cuori per mezzo dello Spirito Santo che ci è stato dato ».[4] La Chiesa, dunque, proclama e amministra il perdono di Dio nel sacramento della Penitenza, affinché nei fedeli si attui la volontà divina, che è la nostra santificazione: « Questa è la volontà di Dio, la vostra santificazione ».[5]

4. La gloria di Dio, che per quanto riguarda gli uomini si identifica con la loro eterna salvezza, fu annunciata dagli angeli nel Natale del Signore come intimamente connessa con la pace: « Gloria a Dio nel più alto dei cieli e pace in terra agli uomini che egli ama »,[6] e Gesù, nel supremo testamento dell'Ultima Cena, lasciò come definitiva eredità la sua pace: « Vi lascio la pace, vi do la mia pace. Non come la dà il mondo, io la do a voi. Non sia turbato il vostro cuore e non abbia timore »;[7] « Questo vi ho detto perché la mia gioia sia con voi e la vostra gioia sia piena ».[8] Il sacramento della Penitenza, per il fatto stesso che infonde o aumenta la grazia, offre il dono della pace. Il rito liturgico dell'assoluzione sacramentale, con felice innovazione nella formula oggi e fin dal 1973 in uso, mette esplicitamente in rilievo questo divino dono della pace: Dio, Padre di misericordia, che ha riconciliato a sé il mondo nella morte e nella risurrezione del suo Figlio e ha effuso lo Spirito Santo per la remissione dei peccati, ti conceda, mediante il ministero della Chiesa, il perdono e la pace ».

A questo proposito, e cioè per ben intendere la natura di questa pace, è necessario ricordare che l'armonia tra l'anima e il corpo, tra la volontà dello spirito e le passioni, è stata intimamente turbata in conseguenza della colpa originale e dei peccati personali, così che spesso in noi v'e una lotta drammatica: « Infatti io non compio il bene che voglio, ma il male che non voglio... acconsento nel mio intimo alla legge di Dio, ma nelle mie membra

[3] *1 Cor* 6, 11.
[4] *Rm* 5, 5
[5] *1 Tes,* 4, 3.
[6] *Lc* 2, 14.
[7] *Gv* 14, 27.
[8] *Ibid.* 15, 11.

vedo un'altra legge, che muove guerra alla legge della mia mente e mi rende schiavo della legge del peccato che è nelle mie membra».[9] Ma questo conflitto non esclude la pace profonda nell'animo della persona: « Siano rese grazie a Dio per mezzo di Gesù Cristo nostro Signore! Io... con la mente servo la legge di Dio ».[10]

E dunque legittimo che i fedeli, nel sacramento della Penitenza, cerchino anche di instaurare quel processo interiore che porta, nei limiti possibili alla nostra condizione di viatori, alla progressiva assimilazione del proprio stato psicologico a quella superiore pace che consiste nella conformità alla volontà di Dio. Infatti, la ragionevole sicurezza — che non può essere certezza di fede, come insegna il Concilio Tridentino — del nostro stato di grazia, se non elimina i dissidi interiori, li rende tollerabili, ed anzi, quando si attinge la santità, desiderabili. Non per nulla San Francesco d'Assisi diceva: « Tant'è il bene che m'aspetto ch'ogni pena m'è diletto ». In questo stesso ordine di idee, tra gli effetti del sacramento della Penitenza, che giustamente i fedeli possono attendere e desiderare, vi è quello di una mitigazione degli impulsi passionali, di una correzione di difetti logici od emotivi (come nel caso degli scrupolosi), di affinamento di tutto il nostro libero agire, per effetto della carità soprannaturale restaurata e crescente. In tanta parte, come ho ricordato in un precedente mio discorso, questi effetti, propri ma secondari, del sacramento della Penitenza, sono legati anche alla capacità e alla virtù del sacerdote confessore.

5. E invece attesa ingiustificata quella di chi vorrebbe trasformare il sacramento della Penitenza in psicoanalisi o psicoterapia. Il confessionale non è e non può essere un'alternativa allo studio dello psicanalista o dello psicoterapeuta. Né dal sacramento della Penitenza si può attendere la guarigione da situazioni a carattere propriamente patologico. Il confessore non è un guaritore e neanche un medico nel senso tecnico della parola; anzi, se mai lo stato del penitente sembra esigere cure mediche, il confessore non affronti lui l'argomento, ma rimandi il penitente a competenti e onesti professionisti. Analogamente, sebbene l'illuminazione delle coscienze esiga il chiarimento delle idee sul contenuto proprio dei comandamenti di Dio, il sacramento della Penitenza non è e non deve essere il luogo della spiegazione dei misteri della vita. Su questi temi si vedano le ***Normae quaedam de agendi ratione confessariorum circa sextum Decalogi praeceptum,*** emanate il 16 mag-

[9] ***Em*** **7, 19.22-23.**
[10] ***Ibid.*** **7, 25.**

gio 1943 dall'allora Suprema Congregazione del Sant'Uffizio, ora Congregazione per la Dottrina della Fede, che, pur così lontane nel tempo, permangono attualissime. Analogamente, non solo a motivo del sigillo sacramentale, ma anche per la necessaria distinzione tra il foro sacramentale e la responsabilità giuridica e pedagogica dei formatori al sacerdozio e alla vita religiosa, lo stato di coscienza rivelato nella confessione non può e non deve essere trasferito nella sede decisionale canonica del discernimento vocazionale; ma, come è chiaro, al confessore dei candidati al sacerdozio incombe il gravissimo obbligo di dissuadere, con ogni energia, dal proseguire verso di esso coloro i quali nella confessione dimostrano di essere privi delle necessarie virtù (il che vale in ispecie in rapporto al possesso della castità, indispensabile per l'impegno celibatario) o del necessario equilibrio psicologico, o, infine, della sufficiente maturità del giudizio.

6. Il periodo quaresimale che viviamo ci ricorda la caduta e ci prepara alla risurrezione: il sacramento della Penitenza soccorre i caduti e dona loro la risurrezione alla vita eterna, di cui l'anima in stato di grazia possiede fin d'ora il pegno. Gesù è l'unico ed assoluto Salvatore di tutti gli uomini e di tutto l'uomo. In questa prospettiva di integrale salvezza va concepito il sacramento della Penitenza, dono di grazia, dono di santità, dono di vita.

L'umile coscienza di aver mediato per i fedeli queste misericordie del Signore è per noi sacerdoti, ormai avanti negli anni, motivo di immensa gratitudine a Lui, che si è degnato di farci suoi viventi strumenti. L'attesa dell'adempimento di questa stessa sublime missione sia per voi, giovani speranze della Chiesa, stimolo ad adeguata preparazione culturale e ascetica, e attrattiva a somma generosità per il vostro prossimo ministero. Non a torto si dice che potrebbe bastare anche una sola Messa santamente celebrata a realizzare compiutamente una vocazione sacerdotale. Similmente si possa dire, cari giovani, che la vostra carità, offerta ai fedeli nel sacramento della Riconciliazione, sia la pienezza e la gioia del vostro domani.

In auspicio della grazia del Signore, che fecondi questi desideri e questa fiducia, di cuore vi imparto l'Apostolica Benedizione.

Dal Vaticano, 20 Marzo 1998.

IOANNES PAULUS PP. II

NUNTIUS TELEVISIFICA

Feria VI in Passione et Morte Domini.*

1. Nel nome del Padre e del Figlio e dello Spirito Santo.

« Dio ha tanto amato il mondo da dare il suo Figlio unigenito L'eterno Figlio di Dio, che ha assunto la nostra natura umana per opera dello Spirito Santo nel grembo della Vergine Maria, si è fatto « obbediente al Padre fino alla morte e alla morte di croce »[2] per la salvezza del mondo. La Chiesa ogni giorno medita il sommo mistero dell'Incarnazione salvifica e della morte redentrice del Figlio di Dio, immolatosi per noi sulla croce.

Quest'oggi, Venerdì Santo, ci soffermiamo a contemplarlo con maggiore intensità. Nel buio della sera ormai avanzata, siamo venuti qui, al Colosseo, per ripercorrere, mediante il pio esercizio della Via Crucis, le tappe della via dolorosa di Cristo sino al drammatico epilogo della sua morte.

Salire spiritualmente sul Golgota, ove Gesù è stato crocifisso ed ha reso lo spirito, assume un particolare valore significativo tra queste rovine della Roma imperiale, specialmente in questo luogo legato al sacrificio di tanti martiri cristiani.

2. L'animo nostro, in questo momento, risale con la memoria a quanto è narrato nell'antica Storia Sacra, per trovarvi anticipazioni e preannunci della morte del Signore. Come non rievocare, ad esempio, l'itinerario di Abramo verso il monte Moria? È giusto ricordare questo grande patriarca, che san Paolo qualifica come « padre di tutti i credenti ».[3] Egli è il depositario delle promesse divine dell'Antica Alleanza, e la sua vicenda umana prefigura anche momenti della passione di Gesù.

Sul monte Moria,* simbolico richiamo al monte sul quale il Figlio dell'Uomo sarebbe morto in croce, Abramo salì con il figlio Isacco, il figlio della promessa, per offrirlo in olocausto. Dio gli aveva chiesto il sacrificio di quell'unico figlio, che egli aveva atteso a lungo e con speranza mai spenta. Abramo, nel momento di immolarlo, si fa, in certo modo, egli stesso « obbediente fino alla morte »: morte del figlio, e morte spirituale del padre.

* Die 10 Aprilis 1998

[1] Cf. *Gv* 3, 16.

[2] Cf. *Fil 2,* 8.

[3] Cf. *Rm* 4, 11-12.

[4] Cf. *Gen 22,* 2.

Questo gesto, pur restando solo una prova di obbedienza e di fedeltà, giacché l'angelo del Signore fermò la mano del patriarca e non permise che Isacco fosse ucciso,[5] si pone come eloquente preannuncio del definitivo sacrificio di Gesù.

3. Dice l'evangelista Giovanni: l'eterno Padre ha tanto amato il mondo da dare il suo Figlio unigenito.[6] Gli fa eco l'apostolo Paolo: il Figlio si fece « per noi obbediente fino alla morte e alla morte di croce ».[7] La mano dei carnefici non fu fermata dall'angelo nel sacrificare il Figlio di Dio.

Eppure nel Getsemani il Figlio aveva pregato, affinché, se possibile, passasse da lui il calice della passione, esprimendo però immediatamente la piena disponibilità perché si compisse la volontà del Padre.[8] Obbediente per amore nostro, il Figlio si è offerto in sacrificio, compiendo l'opera della redenzione. Di questo sconvolgente mistero tutti noi siamo oggi testimoni.

4. Sostiamo in silenzio sul Golgota. Ai piedi della Croce sta Maria, Mater dolorosa: questa donna col cuore squarciato dai dolori, ma pronta ad accettare la morte del Figlio. La Madre addolorata riconosce ed accoglie nell'olocausto di Gesù la volontà del Padre per la redenzione del mondo. Di Lei ricorda il Concilio Vaticano II: « Avanzò nella peregrinazione della fede e serbò fedelmente la sua unione col Figlio sino alla croce, dove, non senza un disegno divino, se ne stette[9] soffrendo profondamente col suo Unigenito e associandosi con animo materno al sacrificio di Lui, amorosamente consenziente all'immolazione della vittima da lei generata; e finalmente dallo stesso Gesù morente in croce fu data quale madre al discepolo con queste parole: Donna, ecco il tuo figlio.[10]

Maria fu data come Madre a tutti noi, chiamati a seguire fedelmente i passi del Figlio, che per noi si è fatto obbediente fino alla morte ed alla morte di croce: « ***Christus factus est pro nobis oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis*** ».[11]

5. È ormai notte fonda. Contemplando Cristo morto sulla croce, il pensiero va alle tante ingiustizie e sofferenze che prolungano la sua passione in

[5] Cf. *Gen* 22, 12-13.
[6] Cf. *Gv* 3, 16.
[7] Cf. *Fil* 2, 8.
[8] Cf. *Mt* 26, 39.
[9] Cf. *Gv* 19, 25.
[10] Cf. *ibid.* 19, 26-27; *Lumen gentium,* 58.
[11] Ant. della Settimana Santa; cf. *Fil* 2, 8,

ogni angolo della terra. Penso ai luoghi dove l'uomo è offeso ed umiliato, percosso e sfruttato. In ogni persona colpita dall'odio e dalla violenza, o emarginata dall'egoismo e dall'indifferenza, Cristo soffre ancora e muore. Sui volti degli « sconfitti della vita » si stagliano i lineamenti del volto di Cristo morente sulla croce. *Ave, Crux, spes unica!* Dalla Croce scaturisce anche oggi la speranza per tutti.

Uomini e donne del nostro tempo, volgete lo sguardo verso Colui che è stato trafitto! Egli per amore ha dato la sua vita per noi. Fedele e docile alla volontà del Padre, Egli ci è di esempio e di incoraggiamento. Proprio per questa sua obbedienza filiale, il Padre « l'ha esaltato e gli ha dato il nome che è al di sopra di ogni altro nome ».[12]

Possa ogni lingua proclamare « che Gesù Cristo è il Signore, a gloria di Dio Padre

[12] *FU* 2, 9
[18] Cf. *ibid.* 2, 11

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO PRO ECCLESIIS ORIENTALIBUS

PROVISIO ECCLESIARUM

I

Latis decretis a Congregatione pro Ecclesiis Orientalibus, Sanctissimus Dominus Ioannes Paulus PP. II per Apostolicas sub plumbo litteras iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit praesules:

die 21 Novembris 1997. — Titulari episcopali Ecclesiae Bitensi R.D. Berhane-Yesus Demerew Souraphiel C.M. eumque constituit Auxiliarem Ecclesiae Neanthopolitanae.

die 18 Februarii 1998. — Titulari episcopali Ecclesiae Uzipparitanae R.D. Thomam Chakiath, eumque constituit Auxiliarem Administratoris Apostolici sede vacante ad nutum Sanctae Sedis Cathedralis Ecclesiae Ernakulamensis-Angamaliensis Syrorum Malabarensium, hactenus Protosyncellum eiusdem sedis episcopalis.

II

Lato Decreto a Congregatione pro Ecclesiis Orientalibus, Sanctissimus Dominus Ioannes Paulus PP. II per Apostolicam sub plumbo litteras die 20 Ianuarii 1998 constituit Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » Cathedralis Ecclesiae Sanctae Mariae a Patrocinio Bonaërensis Ucrainorum R.P.D. Michaelem Mykycej, F.D.P., hactenus Auxiliarem eiusdem sedis episcopalis.

III

Sanctissimus Dominus Ioannes Paulus PP. II benedixit sequentes nominationes synodaliter peractas ad normam canonum CCEO:

In Synodo Episcoporum Ecclesiae Maronitae

die 27 Septembris 1997. — Cathedrali Ecclesiae Aleppensi Maronitarum R.D. Anis Abi-Ad.

— Cathedrali Ecclesiae Tripolitanae Maronitarum R.D. Fouad Hage.

— Titulari episcopali Ecclesiae Tarsensi Maronitarum R.D. Nabil Andari, quem constituit Auxiliarem patriarchalem Cathedralis Ecclesiae Antiochenae Maronitarum.

In Synodo Episcoporum Ecclesiae Ucrainae.

die 11 Decembris 1997. — Cathedrali Ecclesiae Zborovensi Ucrainorum Ex.mum P. D. Michaelem Koltun, C.SS.R., hactenus Episcopum titularem Casatanum in Pamphylia.

— Ex.mum P. D. Basilium Medwit, O.S.B.M., quem constituit Exarchum archiepiscopalem Kyiv-Vhyshoroniensem in Ucraina, hactenus Auxiliarem ecclesiae Leopolitanae Ucrainorum.

— Cathedrali Ecclesiae Stanislaopolitanae Ucrainorum Ex.mum P. D. Sophronium Mudry, O.S.B.M., hactenus Coadiutorem eiusdem sedis episcopalis.

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

PIACENTINA

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Birgittae a Iesu (in saec.: Birgittae Morello), fundatricis instituti sororum Ursulinarum Mariae Immaculatae (1610-1679)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Birgitta a Iesu (in saeculo: Birgitta Morello) orta est in pago S. Michele di Pagana appellato, apud Rapallum, id temporis in archidioecesi Ianuensi, nunc vero in Clavarensi dioecesi sito, die mensis Iunii 17 anno 1610. Pueritiam egit piam virtutibusque ornatam pariterque iuventutem. Anno 1633 Matthaeo Zancari nupsit et aliquot post annos in viduitate relicta, privatim se Domino consecra vit atque precationi, paenitentiae, apostolatui et operibus se dedidit caritatis. Placentiae, ubi domicilium collocaverat, anno 1649 Congregationem instituit Sororum Ursulinarum Mariae Immaculatae puellis christiane educandis. Longos post morborum annos, quos Iesu crucifixo coniuncta est perpessa, mortem obiit die 3 mensis Septembris anno 1679, fama insignis sanctitatis.

Summus Pontifex Ioannes Paulus II, die 29 mensis Aprilis anno 1980 enuntiavit Servam Dei heroum in modum virtutes théologales, cardinales et his adnexas coluisse.

Nuper Causae Postulatio coniectam miram sanationem iudicandam Congregationi de Causis Sanctorum permisit, Placentiae anno 1681 patratam et eiusdem Servae Dei intercessioni ascriptam. Casus pertinet ad Sororem Franciscam Xaveriam Caprini, Instituti Ursulinarum Mariae Immaculatae sodalem quae, triginta sex circiter annos nata, tumentiam ostendit brachium dextrum afficientem, cum umoris purulenti fluxu; apparuit etiam dolor vehemens qui ad umerum usque prorepsit. Medicamenta quibus medicus est usus non solum nihil profuerunt; sed contra duae aliae prodierunt exulcerationes cum intentione symptomatologiae doloris, brachii motuum impeditione et puris profusione magna. Animadversa curationum inefficacia, die 24 mensis Februarii anno 1681 aegrota auxilium petivit divinum coepitque Matris Birgittae a Iesu intercessionem invocare, conclave adiens

in quo illa mortua erat. Quamvis malum deterius fieri pergeret, Soror fiduciae plena in suis perseveravit invocationibus et ex improviso facta est optata sanatio: defecit dolor et fluxus, brachium suam recuperavit agendi facultatem, tres exulcerationes praesentia novae pellis reparatae sunt.

De sanatione, statim mira habita, ipsa aegrota tabulam reliquit scriptam, quae ad nostros usque dies pervenit. Ad omnia colligenda instrumenta de hoc casu anno 1995 instructa est apud Curiam Placentinam Inquisitio dioecesana, cuius auctoritas probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto idibus Ianuariis anno 1996 promulgato. Consilium Medicorum Dicasterii in sessione diei 16 mensis Ianuarii anno 1997 declaravit Sororem Franciscam Xaveriam Caprini « affectam fuisse processu infiammatorio generis phlegmonosi necrosim efficiente brachii dextri cum dolore et inertia functionali », eiusque sanationem fuisse celerrimam, sine reliquiis, completam et stabilem, ex scientiae cognitionibus inexplicabilem. Die 9 mensis Maii eodem anno actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum et nonis Octobribus secutis Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium atque Episcoporum, Cardinali Vergilio Noè Causae Ponente. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite, esset factum, accitis hodierna die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Serva Dei Birgitta a Iesu (in saec.: Birgitta Morello), Fundatrice Instituti Sororum Ursulinarum Mariae Immaculatae, videlicet de celérrima, completa et mansura sanatione Sororis Franciscae Xaveriae Caprini a «processo infiammatorio di tipo flemmonoso necrotizzante al braccio destro con dolore ed impotenza, funzionale ».***

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 18 mensis Decembris A. D. 1997.

& ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. © S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

PUTEOLANA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Iustini Mariae Russolillo, parochi fundatoris societatis Divinarum Vocationum (1891-1955)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Messis quidem multa, operarii autem pauci» ***(Lc*** 10, 2).

Vocationum penuria, quae hodie fortiter aliquas Ecclesiae partes affligit, non minore vi animadversa est praeterito anno 1912, cum seminaria in pluribus dioecesibus clausa, crebrae defectiones erant, indeque maerens pastorum rogatus, ut a Domino messis multos obtinerent operarios in vinea eius.

Id temporis subdiaconus Iustinus Maria Russolillo, qui illo anno cursum theologicum frequentabat apud Pontificium Seminarium Regionale Pausilypi, quique iamdiu consilium agitabat familiam religiosam condendi, quae abstinenter se dederet vocationibus quaerendis et excolendis, suum fecit Ecclesiae questum sollicitudinis plenum, ideoque pueros populi sui pagi cotidie christianam doctrinam docendo, semen sparsit primum eius quae futura erat Societas Divinarum Vocationum in suis ramis masculino et feminino.

Dignus hic Dei minister natus est die 18 mensis Ianuarii anno 1891 in vico denominato Pianura di Napoli, intra fines posito dioecesis Puteolanae, ab Aloisio Russolillo et Iosepha Simpatia. Postridie baptizatus est in paroecia Sancti Georgii Martyris. Cum amanter educatus esset in familia probatae virtutis, celeres faciebat progressus.

Mature claram ostendit propensionem ad vitam ecclesiasticam. Cum natura vivax esset, etiam puerulus mire serius fiebat cum animum in deprecationem intendebat, vel amitarum poterat audire peccatorum « confessiones », coram eis praedicare et celebrare.

Ipsae amitae Maria, Henrica et Ioannula, ludimagistrae, multum valuerunt in Iustini educationem atque formationem culturalem, qui mox eminuit inter aequales intellegentia non communi, perspicua ad studium proclivitate, docilitate et pietate vere singularibus.

Die mensis Martii 17 anno 1901, decem annorum, primum Sanctam Eucharistiam accepit eodemque die sacramentum Confirmationis. Puellus seminarium Puteolanum ingressus, non sine impensis a parentibus obitis, studia humanitatis commode peregit; in Regionali Pausilypi Seminario cursum theologicum complevit, quem aureo nomismate donatus conclusit.

Apostolus inde a pueritia, industriam suam auxit de pueris annis praeparationis ad sacerdotium. Cum pueris vici Pianura, quos in hortum domus paternae congregabat, ferias agebat. De doctrina christiana eos praecipiebat, cantus religiosos docebat eos atque lectionibus oblectatoriis tenebat. Ita iuvenis Iustinus, futurus vocationum apostolus, nitebatur « tam multa vocationis religiosae et ecclesiasticae germina discernere in multis ex optimis pueris », quos pressius postea curabat in coetu « fidelissimorum ».

Ante omnia conabatur eos amicos reddere Iesu Eucharistici. De hoc cogitavit etiam paulo ante suam sacerdotalem ordinationem, ad amitam Michaelam his verbis scribens: « Adhortandae tibi sunt bonae illae personae, quae christianam doctrinam domi pueris tradunt, ut pueris et puellis communionem suadeant die primae meae Missae... hoc optimum est festum quod pro me possit celebrari: cetera nihil sunt ».

Sacerdos ordinatus die 20 mensis Septembris anno 1913 in cathedrali ecclesia Puteolana, post brevem in Seminario moram ad vicum in quo est ortus rediit tamquam cappellanus consociationis a Rosario et Sororum a Pretiosissimo Sanguine Moderator spiritalis.

Firma voluntas serviendi vocationibus, praesertim pauperum, magis in dies confirmabatur. Die 30 mensis Aprilis anno 1914 iniit in domo paterna vitam communem cum « fidelissimis ». Amita Michaela in culinam attendebat; ipse ad mensam serviebat, qui etiam puerorum lintea sarciebat et componebat loca postquam illi ierant dormitum.

Votum condendi Congregationem in vocationum servitium, quod fecerat ordinationem recepturus quodque melius expressit per privatam professionem: « In manibus Domini, coram Angelo suo custode » ipso ordinationis die, incipiebat primos edere fructus. Sed episcopus iussit eum desistere. Renisus est sicut sancti renituntur: « Filii crucis sumus; nostram igitur voluntatem immolemus Superiorum voluntati, uti Iesus suam sacrificavit voluntati Patris ».

Simplicitas, patientia, caritas et humilitas, paenitentiae spiritus in pulchram eius animam convenisse videbantur, prorsus in animarum salutem intentam. Ideo multos volebat sacerdotes, religiosos, religiosas. Ideo cum « fidelissimis » mansit.

Volebat alio se conferre ut Opus, quod in dioecesi Puteolana non est ei permissum, ad effectum adduceret. Locus spe vocationum locuples iam paratus erat in vico Pianura. « Noli alio ire », scripsit ei canonicus Nicolaus Causa, quondam eius in Seminario educator. A Patre spiritali De Francesco

quoque confirmatus nominationem accepit in parochum Sancti Georgii Martyris in vico Pianura post legitimam petitionem. Eius interim spiritus plus plusque deprecatione perficiebatur et timore Dei in fidelitate plena suo proposito: « Veni ministrare et non ministrari ».

Utpote bonus parochus crebro infirmos visebat; coepit familias Sacro Iesu Cordi consecrare, non legitimas sanavit condiciones, cotidie Verbum Divinum ministravit, vicum Pianura reddidit populum personarum quae cotidie Communionem accipiebant. Ipse varias curabat consociationes paroeciales quas instituerat: catechismi, lampadis, munditiae, consecratarum saecularium.

Episcopus Ragosta, qui Servum Dei magni aestimabat, providit ei omnem libertatem in omnibus inceptis pro vocationibus. Ita eius permissu «Societas Divinarum Vocationum», diu appetita a domino Iustino, fores publice aperuit domus paroecialis die 18 mensis Octobris anno 1920, paucis exceptis sodalibus, sed electis duorum ramorum, in locis seiunctis et bene separatis. Hoc modo vitam communem redintegravit, interdictione episcopi praecedentis interruptam.

Servus Dei laetus nuntiavit episcopo pium « Institutum » moveri consilio «Gloriae Amoris Dei in sanctificatione... per maiorem cooperationem praebitam omnibus sanctis Ecclesiae operibus; per investigationem et vocationum culturam gratuitam clero saeculari et regulari condonatam, in servitio idcirco episcoporum in seminariis et religiosorum in scholis apostolicis ».

Operis filius dilectissimus fuit « il Vocazionario », qui dicebatur, seminarium nempe vocationum pro omnibus, collegium verum novae congregationis, pro iuvenibus institutum, praesertim pauperibus ad sacerdotium proclivibus, ad vitam consecratam, sed nondum bene informatis.

Ob opera sua ad vocationes pertinentia, praecipue propter laborem apostolicum ad sacerdotes in pristinam dignitatem restituendos spectantem, multa est passus, attamen sine ulla quaerimonia vel lamento. « ...Si in cruce es — ad amitam Ioannulam scripserat — ne ante mortem et resurrectionem descenderis de ea ».

Et ipse fuit in cruce eiusque angores diu duraverunt. Sed Opus, approbatione dioecesana obtenta anno 1927, florebat in dies. At bonus vinitor non moratus est in vineam descendere, ut eam putaret.

Anno (1934) quo approbationem pontificiam exspectabat, etiam ob fervidam episcopi Puteolani Iosephi Pétrone commendationem, pervenit ex contrario Sanctae Sedis mandatum, propter iniquas accusationes, cum

prohibitione admittendi postulantes in novitiatum, novitios ad professionem, candidatos ad ordines sacros « sine definito et praevio consensu Sacrae Congregationis de Seminariis ».

Servus Dei maerorem sensit patris qui natum suum paulatim deflorescentem videt ad tardam mortem destinatum, sed suos hortabatur religiosos ne maledice dicerent de «forficibus quibus auctoritas religiosa utebatur », sed « manum quae eas movebat » considerarent, tenerum virgultum non interimentem, immo expolientem eique vitam donantem. Et cum, eius rogatu, Visitationes apostolicae venerunt, cum multi religiosorum trépidos se ostenderent, eas ipse « pretiosas » definivit.

Eius spiritale iter perspicienti incomparabili cum evidentia fulget certum et lucidum propositum vitae eius: « Debeo sanctus fieri ». Magnorum mysticorum discipulus dicto suo fidelis fuit: « Contemplatio in actione et actio pro contemplatione ».

Vehemens in Deum Trinum amor, cui se arte coniunctum animadvertebam cuius se adiutorem sentiebat pro universali sanctificatione, pro Divina omnium hominum coniunctione per servitium sacerdotum, religiosorum, eum totum capiebat. Quod quidem multa eius scripta testantur.

Hic ipse amor et hoc ipsum propositum eum adduxerunt ad demonstrandas paternas curas erga suos candidatos, suos religiosos, suas Sorores Vocationistas: omnes a catechismo natos, « enixo studio» tradito et «cum exemplis ad trahendum aptis ». « Si a vobis requirunt — saepe Servus Dei repetebat — quomodo vestra religiosa Familia orta sit, dicite: ex catechismo cotidiano cuiusdam seminarii alumni ferias agentis ». Eos omnes Caelesti Antistitae commendavit, Iesu Matri, quam suaviter invocabat « Domina nostra Divinarum Vocationum ora pro nobis ».

Societas Divinarum Vocationum, ex viris Vocationistis et mulieribus Vocationistis constans, atque ex mulieribus Consecratis saecularibus, e corde exorta est parochi Iustini, fructus est vitae sacerdotalis, quae in vico Pianura exstincta est postridie calendas Augustas anno 1955, dum quam plurimae personae lacrimantes insusurrabant: « Sanctus est mortuus ». Exsequiae verum fuerunt praeconium.

Post eius mortem sanctitatis fama crevit quapropter Episcopus Puteolanus beatificationis et canonizationis Causam introduxit; apud Curiam Neapolitanam Processus Cognitionalis celebratum est, cuius auctoritas et vis est a Congregatione de Causis Sanctorum probata decreto die 23 mensis Ianuarii anno 1986. Positione confecta, secundum normas disceptatum est an

Servus Dei heroum in modum virtutes coluisset. Die 7 mensis Februarii anno 1997, prospero cum exitu, Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris actus est. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 18 mensis Novembris eodem anno habita, Causae Ponente Excellentissimo Ottorino Petro Alberti, Archiepiscopo Calaritano, sacerdotem Iustinum Mariam Russolillo heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas explicavisse affirmaverunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Iustini Mariae Russolillo, Parochi, Fundatoris Societatis Divinarum Vocationum, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Sanctitas Sua referri mandavit.

Datum Romae, die 18 mensis Decembris A. D. 1997.

ffl ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. © S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

SIPONTINA-VESTANA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Pii a Pietrelcina (in saec.: Francisci Forgione), sacerdotis professi ordinis Fratrum Minorum capuccinorum (1887-1968)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi » ***(Gal*** 6, 14).

Pater Pius a Pietrelcina, sicut Paulus Apostolus, Crucem Sanctam in vertice posuit vitae suae suique apostolatus, quae vis eius fuit, necnon sapientia atque gloria. A mundi rebus inanibus liber et Iesu Christi inflammatus amore, ad eum se conformavit in immolatione sui pro mundi salute tamque fuit generosus et perfectus in Victima divina sequenda atque imitanda, ut dicere potuisset: « Christo confixus sum cruci: vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus » ***(Gal*** 2, 19-20). Nec sibi thesauros gratiae retinere voluit, quos ei Deus singulari cum largitate concesserat; quam ob rem, sine intermissione suo sacro ministerio viris servivit et mulieribus, qui illum adibant et immensam genuit filiorum ac filiarum spiritualium multitudinem.

Dignissimus hic Sancti Francisci Asisinatis assectator die est natus 25 mensis Maii anno 1887 Pietrelcinae, intra fines archidioecesis Beneventanae, a Gratio Forgione et Maria Iosepha De Nunzio. Insequenti die est baptizatus nomine capto Francisco. Infantiam et pueritiam egit in orbe sereno atque tranquillo, nempe domo, ecclesia, agris et postea schola. Duodecim annorum sacramentum accepit Confirmationis et primam Communionem.

Sedecim annos natus, postridie nonas Ianuarias anno 1903, est in novitiatum ingressus Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum in pago Morcone, ubi die 22 eiusdem mensis habitum induit franciscanum et Frater Pius est appellatus. Feliciter anno novitiatus peracto, votorum simplicium professionem emisit et die 27 mensis Ianuarii anno 1907 votorum sollemnium.

Post sacerdotalem ordinationem, die 10 mensis Augusti anno 1910 receptam Beneventi, cum suis mansit propter valetudinis causam usque ad annum 1916. Mense Septembri eodem anno missus est ad domum religiosam oppidi Sancti Ioannis Rotundi, ubi ad mortem usque commoratus est magna cum multorum fidelium aedificatione, qui ab anno 1918 Passionis dominicae signa aliaque charismata in eo conspexerunt.

Dei amore et proximi flagrans Pater Pius vocationem coluit ad operam dandam humani generis redemptioni, secundum peculiare munus quod vitae eius proprium fuit. Hoc consilium tribus viis ad effectum adduxit: moderatione animarum, sacramentali peccatorum reconciliatione, Missae celebratione. Patri Pio peccata confiteri res non erat facilis ob magnam paenitentium multitudinem. Tempus eius apostolicae industriae praestantissimum illud erat, quo Missam celebrabat. Fideles qui illi interfuerunt, in ea verticem ac plenitudinem senserunt eius spiritalitatis.

In provincia sociali Pater Pius multum institit in dolores sublevandos atque miserias tot familiarum, praecipue per constructionem valetudinarii cui nomen est « Casa Sollievo della Sofferenza », quod est apertum die 5 mensis Maii anno 1956. In regione spirituali instituit eos qui vocantur « Gruppi di Preghiera », ab ipso appellati « seminaria fidei et foci amoris » et a Summo Pontifice Paulo VI « magnum flumen animarum precantium ».

Servo Dei vita erat fides: volebat omnia faciebatque omnia in lumine fidei, quam ut aleret assiduo fuit in deprecatione occupatus; per diem namque et magnam noctis partem cum Deo colloquebatur. « In libris Deum quaerimus — aiebat — in oratione Eundem invenimus. Oratio clavis est, quae Dei aperit cor ». Fide semper ductus est ad arcanam Dei voluntatem accipiendam. Religiosus in supernaturalibus fuit rebus submersus atque fide sua omnes afficiebat, hanc diffundendo in quotquot eum adibant.

Non solum is homo erat spei et plenae Dei fiduciae, sed has virtutes verbis et exemplo in animas immittebat.

Dei amor eum replebat, qui omnem eius exspectationem etiam satiabat. Caritas principium erat eius diem inspirans, quod quidem erat: Deus sibi amandus Eumque aliis amandum curare. Ipsum in caritate crescere et efficere ut in caritate cresceretur, peculiare eius erat studium. Hoc erat arcanum eius afflictae vitae in sede confessionali et in animarum moderatione.

Maximam suam expressit caritatem erga proximum per plus quinquaginta annos permultas personas excipiendo, quae ad eius sacrum ministerium accurrebant, ad eius consilium et consolationem recipiendam. Obsessio quodammodo erat amoris: eum in ecclesia quaerebant, in sacrario, in coenobio. Et ipse omnibus suam donabat dilectionem, excitans fidem, gratiam largiens, lucem ferens et evangelicum solacium. In pauperibus, in dolentibus inque aegrotis Christi videbat imaginem; pro iis praesertim se dedebat.

Exemplari modo virtutem exercuit prudentiae: agebat et consilia dabat lumine Dei collustratus. Eius cura gloria Dei fuit et animarum bonum. In omnes sine discrimine se gessit magnaque cum probitate.

Virtus fortitudinis effulsit in eo. Mature intellexit iter suum futurum esse iter crucis, illudque statim cum animo accepit et propter amorem. Multos per annos est animae angores expertus. Quinquaginta annis dolores vulnerarti est admirabili cum fortitudine perpessus. Tacitus et precans multos ascivit Auctoritatis ecclesiasticae suique Ordinis interventus. In calumniis semper tacuit.

Oratio et continentia viae erant solitae, quibus is utebatur ut virtutem consequeretur temperantiae, ex ratione franciscana. Temperans erat in vitae habitu, in mente, per omnia.

Munerum conscius per vitam consecratam sumptorum, alacriter vota religiosa observavit, eademque amavit utpote quae sint Christi consilia et instrumenta perfectionis. In omnibus rebus oboediens fuit atque omnibus Superiorum praeceptis, tum etiam cum gravia erant. Eius obtemperatio supernaturalis erat in intentione, universalis in dimensione et integra in exsecutione.

Spiritum paupertatis exercitavit plena cum neglectione sui, terrestrium bonorum, commodorum et honorum.

Semper castitate potissimum delectatus est. Eius vitae modus ubique et in omnes modestus fuit.

Sincere se inutilem ad omnia putabat, Dei donis indignum, miseriarum plenum simulque tamen divinorum favorum. In tanta mundi admiratione repetebat: « Esse volo tantummodo tenuis frater qui precatur ».

Valetudo eius, inde a iuventute, non multum florida fuit et annis extremis potissimum vitae eius celeriter defecit. Soror mors eum occupavit praeparatum atque serenum die 23 mensis Septembris anno 1968, unum et octoginta annos natum. Eius exsequiae magno notatae sunt populi concursu.

Die 20 mensis Februarii anno 1971, vix tribus annis post Servi Dei mortem, Paulus VI Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum Superiores alloquens, dixit de eo: « Videte quam famam habuerit, quam totius mundi clientelarti circum se collegerit. Sed cur? Num quia philosophus erat? Num quia sapiens? Num quia habebat opes in promptu? Minime; sed quia Missam humiliter celebrabat, a mane usque ad vesperam peccatorum confessiones audiebat eratque — difficile dictu — stigmatum Domini nostri specimen excusum. Vir erat precationis et doloris ».

Etiam in vita clarus erat ampla sanctitatis fama ex eius virtutibus proficiscente, ex eius orationis et sacrificii spiritu exque vehementi animarum saluti se devovendi studio. Annis, qui sunt eius mortem secuti, aucta est in dies sanctitatis et miraculorum fama, quae facta est ecclesiale phaenomenon, toto orbe terrarum diffusum apud omnes personarum classes.

Hoc modo Deus voluntatem significabat Ecclesiae suum Servum fidelem in terra celebrandi. Non multo post Fratrum Minorum Capuccinorum Ordo earum rerum quae lege canonica praecipiuntur ad inchoandam beatificationis et canonizationis Causam, initium fecit. Omnibus perpensis rebus Sancta Sedes, ad normam Motu Proprio « Sanctitas Clarior », die 29 mensis Novembris anno 1982 nihil obstat concessit. Hinc Archiepiscopus Sipontinus Causam introducendam suscepit et Processum cognitionalem celebrandum annis 1983-1990, quem Congregatio de Causis Sanctorum die 7 mensis Decembris anno 1990 probavit. Confecta Positione, inquisitum est, ex more, an Servus Dei virtutes esset exsecutus heroum in modum. Idibus Iuniis anno 1997, prospero cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum est actus. Patres Cardinales deinde et Episcopi in Sessione Ordinaria die 21 mensis Octobris subsequentis habita, Causae Ponente Excellentissimo Domino Andrea Maria Erba, Episcopo Veliterno-Signino, declaraverunt Patrem Pium a Pietrelcina heroum more virtutes théologales, cardinales iisque adnexas coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Pii a Pietrelcina, in saec. Francisci Forgione, Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum Summus Pontifex publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 18 mensis Decembris A. D. 1997.

£8 ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. © S.

& Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

VERCELLENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Secundi Pollo presbyteri (1908-1941)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Sunt presbyteri in Ecclesia et pro Ecclesia velut repraesentatio sacramentalis Christi Capitis et Pastoris: cuius verba cum auctoritate proclamant, cuius misericordis indulgentiae gestum salutem offerentem imitantur, idque in Baptismate praesertim, in Paenitentia, in Eucharistia; eiusdem item exercent dilectionem et sollicitudines, usque ad totale sui donum pro grege » (IOANNES PAULUS II, Adhort. Apost, postsynod. ***Pastores dabo vobis,*** 15: ***AAS*** LXXXIV [1992], 680).

Viva divini Pastoris imago, qui gregi suo ministravit usque ad totum sui donum, sacerdos Secundus Pollo fuit, qui ardore fulsit apostolico, pastorali caritate ac sanctitate vitae. Paucis annis tam altum virtutum gradum est assecutus, ut iure habitus sit archidioecesis Vercellensis gloria, quae est ab episcopo et martyre Sancto Eusebio condita et mater est Pedemontii Ecclesiarum, e quibus saeculis XIX et XX non pauci sunt orti Sancti ac Beati.

Dignus hic Dei minister natus est in oppidulo Caresanablot apud Vercellas postridie calendas Ianuarias anno 1908 et est biduo post baptizatus nomine capto Secundo, utpote secundo loco natus ex coniugibus Carolo Pollo et Martha Ottino, agricolis et bonis christianis. Eius humanae christianaeque educationi operam dederunt familia, schola, paroecia atque Fratres Scholarum Christianarum, qui eum discipulum habuerunt exemplarem. Anno 1915 primam Communionem accepit et subsequenti anno Confirmationem. A parocho rectus Syro Meschini, qui claram eius pietatem erga Eucharistiam, vivam religionem et indolis bonitatem notaverat, vocationem ad sacerdotium animadvertit et anno 1919 seminarium dioecesanum est ingressus. Cum cura optimisque fructibus suae prospexit formationi spiritali culturalique, quam est Romae in Pontificio Seminario Langobardo prosecutus, in quo quattuor vixit annos (1927-1931) tali cum fidei atque caritatis integritate, ut eius condiscipuli admirans testimonium dare voluerint post cognitam heroicam mortem. Rector Hector Baranzini, postea Archiepiscopus Syracusanus, eum definivit « seminarii alumni exemplar ». Apud Pontificiam Academiam Sancti Thomae est doctoris gradum adeptus in philosophia et

apud Pontificiam Studiorum Universitatem Gregorianam gradum doctoris in S. Theologia. Presbyterali accepta ordinatione die 15 mensis Augusti anno 1931, nominatus est praeceptor in seminarii minore oppiduli Moneri vello. Hoc munus usque ad annum 1936 perrexit, eodem coniuncto cum munere moderatoris spiritalis alumnorum seminarii et munere cappellani pro diebus festis duorum pagorum paroeciae loci Cigliano. Deinde Archiepiscopus Iacobus Montanelli eum nominavit philosophiae professorem atque Theologiae Fundamentalis in seminario maiore, necnon curatorem dioecesanum iuvenum Actionis Catholicae. Alterum hoc munus amplificavit ei apostolatus spatium in tota Archidioecesi, cum per prius in centro eiusdem Archidioecesis maneret tamquam futurorum pastorum educator. In ambobus muneribus pater fuit et frater, magister ac socius iuvenum, qui eius admirabantur muneris studium, pastoralem fervorem, sacrificii spiritum et industriae. Hoc modo id ad effectum adduxit, quod Summus Pontifex Pius XI, qui eiusdem fuit aetatis, in ministro Dei exigebat: « Praecipuus christianae iuvenum educationis apostolus idemque indefatigabilis adsertor [...] ut fortem, virilem et apostolicum animum in sacrorum alumnis effingat » (Litt. Enc. ***Ad catholici sacerdotii: AAS*** XXVIII [1936], pp. 7.37). Ubicumque bonum fieri posset, aderat. Superiores, qui eum aestimabant magni eiusque sedulitatem cognoscebant, alia munera ei crediderunt praeter ea, quae sunt supra memorata omniaque illa cum generositate communique cum satisfactione explevit. Aliquot menses vicarius fuit oeconomus pagorum Caresanablot (anno 1940) et Larizzate (annis 1940-1941); fuit etiam rector dioecesanus Unionis Apostolicae Sacerdotum Sacri Cordis, cappellanus operum puellis solis ac derelictis et mulieribus in carcere inclusis adiuvandis; alumnorum quorundam ephebeorum confessor fuit; curam adhibuit de aegrotis, operariis, artes exercentibus omnibusque qui eius petebant auxilium. Operam suam numquam recusavit parochis qui eum invitabant ut acroases haberet, praedicationes, sanctarum Missarum celebrationes, confessiones; et numquam voluit pecuniam accipere uti mercedem cum Redemptionis thesauros veluti sacerdos distribuebat. Volebat potius « esor animarum » esse, secundum dictum Sanctae Catharinae Senensis ei earum: « apostolus esse puritatis et in possessione humilitatis gratiam gratiarum videre »: etenim gloriam inanem coercere fuit eius cotidiana ascesis. Se exhibebat « sicut Dei ministrum in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in caritate non ficta» ***(2 Cor*** 6, 4-6). Verus ho-

mo Dei, fortiter sensit dignitatem et onus se esse Christi sacerdotem atque omnibus viribus suis, inde ab annis formationis, sanctitatem appetivit. Scripsit: « O Iesu, fac me sanctum: fac cogitationem non habeam, affectum, verbum, opus, nisi ut cogitem de te, te amem, te laudem, tibi serviam ». Congruenter his appetitionibus se abnegavit, Dei voluntati oboedivit ac superioribus ecclesiasticis, sapienter multa multiplicavit talenta quae ei Providentia concesserat. Sine intermissione progressus est ad perfectionem evangelicam in fide, in spe, in caritate. Anno 1940 affirmavit: « Tu, o Iesu, meus es primus Amor, sis etiam meus unicus amor. Meum hoc miserum cor dilata lamina quoque doloris, lancea sacrificii ». Propter amorem Christi et animarum coluit eminenter, praeter virtutes théologales, etiam iustitiam erga Deum et proximos, fortitudinem in difficultatibus inque fidelitate suis sacerdotalibus muneribus, temperantiam in usu terrestrium bonorum, prudentiam in apostolatu inque eligendis instrumentis pro sua aliorumque sanctificatione, paupertatem, castitatem, humilitatem. Animam suam, sanctitatis sitientem, et suum pastorale ministerium aluit pia divinorum mysteriorum celebratione, assidua precatione, meditatione, ferventi pietate eucharistica et mariali et ipsis apostolatus operibus, quae fuerunt ei excellens sanctificationis via (cf. CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia ***Lumen gentium,*** 41).

Solum ob alacrem curam adducendi iuvenes ad Christum cum ardore assensus est ut nominaretur cappellanus militum tertiae legionis Alpinorum, cohortis dictae « Val Chisone ». Suum sacerdotale servitium duobus temporibus explicavit: primum anno 1940 in Italia, in regione Pineroliensi; secundo (anno 1941) in Nigromontio, in regione locorum Cervice et Grahovo. Suis militibus omnibus omnia factus est, « unus eorum et plus iis », alta vi spiritali emergens, quae etiam eius corporis gracilitatem sustinebat. Cotidianum Eucharistiae sacrificium eum confirmavit usque ad supremam immolationem. Die 26 mensis Decembris anno 1941, mane, dum aderat, in plaga loci Dragali denominati, militi morienti, et ipse ictus est polyboli impetu, qui ferme eius crura divellit. Adiutus, de aliis sauciatis cogitavit. Alium cappellanum arcessivit, cui thecam cum hostiis tradidit et ampullam cum oleo infirmorum. Dein, oculis intentis in caelum, murmuravit: « Eo ad Deum, qui tam bonus est ». Reclinato capite, mortuus est.

Fama sanctitatis, qua claruit in vita, ampliata est in morte et in exsequiis, atque dilatata est apud omnem ordinem populi Dei secutis annis usque ad nostros dies. Archiepiscopus ipse Vercellensis Iacobus Montanelli

palam moralem eius magnitudinem agnovit cum mortem eiusdem in conventu sacerdotum commemoravit. Causa beatificationis et canonizationis inita, apud curiam Vercellensem celebratus est processus ordinarius informativus (annis 1955-1972), quem secutus est processus additicius (annis 1983-1984). Horum processuum auctoritatem et vim probavit Congregatio de Causis Sanctorum decreto die 8 mensis Novembris anno 1985 promulgato. Confecta Positionis praeparatione, inquisitum est an Servus Dei heroum in modum virtutes exercuisset. Mensis Maii die 27 anno 1997, felici cum exitu, actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi postea in Sessione Ordinaria diei 18 insequentis mensis Novembris, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Eduardo Gagnon, fassi sunt sacerdotem Secundum Pollo heroum more virtutes théologales, cardinales iisque adnexas explica visse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Pro-Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Secundi Pollo, Sacerdotis dioecesani, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 18 mensis Decembris A. D. 1997.

6B ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesariensis in Numidia, ***Pro-Praefectus***

L. © S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 26 Iunii 1998. — Cathedrali Ecclesiae Nivernensi R.D. Franciscum Deniau, e clero dioecesis Nemptodurensis, paroeciae vulgo dictae «Puteaux» curionem.

die 30 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Hinchensi Exc.mum P.D. Aloisium Kébreau, S.D.B., hactenus titularem Episcopum Selendetensem atque Auxiliarem Portus Principis.

— Episcopum Coadiutorem dioecesis Sancti Iosephi in California, Exc.mum P.D. Patricium Iosephum McGrath, hactenus Episcopum titularem Alleghenensem et Auxiliarem archidioecesis Sancti Francisci in California.

— Cathedrali Ecclesiae Arausicanae in California, Exc.mum P.D. Tod Davidem Brown, hactenus Episcopum Xylopolitanum.

— Titulari episcopali Ecclesiae Lamiggigensi, R.D. Ioannem Carolum Wester, e clero archidioecesis Sancti Francisci in California, ibique Vicarium episcopalem pro Clericis, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 1 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Carthaginensi in Hispania Exc.mum P.D. Emmanuelem Urena Pastor, hactenus Episcopum Complutensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Aquaeflaviensi R.D. Vincentium Costa, e clero Melitensi, hactenus in Cathedrali Ecclesia Maringaënsi operis pastoralis socium, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Londrinensis.

die 2 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Insulensi Exc.mum P.D. Gerardum Defois, hactenus Archiepiscopum Remensem, archiepiscopali dignitate ad personam servata.

— Cathedrali Ecclesiae Aurelianensi Exc.mum P.D. Gerardum Daucourt, hactenus Episcopum Trecensem.

die 3 Iulii 1998. — Titulari episcopali Ecclesiae Vicohabentinae R.D. Salvatorem Fisichella, e clero Romano, hactenus in Pontificia Universitate Gregoriana professorem, quem deputavit Auxiliarem Almae Romanae dioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Moptensi R.D. Aloisium Moretti, e clero Romano, Vicariatus Urbis Praelatum a secretis, quem deputavit Auxiliarem Almae Romanae dioecesis.

die 4 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Lesvitanae R.D. Antonium Dziemianko, e clero Grodnensi Latinorum, hactenus in urbe vulgo Navahrudak curionem et moderatorem officii dioecesani operibus caritativis provehendis.

die 6 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Beniaminacevalensi R.D. Candidum Cárdenas Villalba, hactenus Vicarium generalem dioecesis Carapeguanae.

die 7 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Rapidopolitanae, R.D. Blasium I. Cupich, e clero archidioecesis Omahensis, ibique paroeciae Sancto Roberto Bellarmino dicatae curionem.

— Episcopali Ecclesiae Pineroliensi R.D. Petrum Georgium Debernardi, hactenus Vicarium generalem dioecesis Eporediensis.

die 10 Iulii. — Metropolitanae Ecclesiae Lugdunensi Exc.mum P.D. Ludo vicum-Mariam Billé, hactenus Aquensem in Gallia metropolitanum Archiepiscopum.

— Cathedrali Ecclesiae Oraniensi R.D. Alphonsum Georger, e clero Algeriensi, hactenus Centri archidioecesani Studiorum moderatorem.

die 11 Iulii. — Titulari Ecclesiae Castrensi in Sardinia R.P. Iosephum Pittau, Societatis Iesu, hactenus Cancellarium Pontificiae Academiae Scientiarum et Pontificiae Academiae Socialium Scientiarum necnon Pontificiae Universitatis Gregorianae Magnificum Rectorem, quem constituit Congregationis de Institutione Catholica a Secretis et archiepiscopali dignitate ornavit.

die 15 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Barcinonensi in Venetiola Exc.mum P.D. Caesarem Raimundum Ortega Herrera, hactenus Episcopum Margaritensem.

die 15 Iulii 1998. — Coadiutorem dioecesis Septemlacunensis, R.D. Villelmum Porto, e clero dioecesis Campanienis in Brasilia, hactenus paroeciae vulgo « Senhor Born Jesus » in civitate Jesuânia curionem.

die 18 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Lemellefensi R.D. Ernestum Vecchi, hactenus Pro-Vicarium generalem et moderatorem Curiae archidioecesis Bononiensis, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P.D. Iacobi S.R.E. Cardinalis Biffi, eiusdem Ecclesiae Archiepiscopi.

die 21 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Manchesteriensi Exc.mum P.D. Ioannem B. McCormack, hactenus Episcopum tit. Cerbalitanum et Auxiliarem archidioecesis Bostoniensis.

CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA

(DE SEMINARIIS ATQUE STUDIORUM INSTITUTIS)

DECRETUM

quo Hierosolymis Centrum Christianum Studiorum Iudaicorum erigitur.

Antiquum Foedus ex ineffabili misericordia cum populo Iudaeorum a Deo initum, quo mediante Ecclesia revelationem Veteris Testamenti accepit et a quo tamquam a radice bonae olivae nutrimentum percipit, Christianis atque Iudaeis magnum commune patrimonium spirituale permanet.

Concilii Oecumenici Vaticani Secundi Sacra Synodus in Declaratione de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas mutuam Christianorum et Iudaeorum cognitionem et aestimationem commendavit atque fovere voluit, exoptans ut eaedem praesertim studiis biblicis et theologicis necnon fraternis colloquiis obtineretur (NA **4).** Etenim quo aptius et profundius religiosa traditio iudaica cognoscitur et exploratur, eo amplius unitas elucescit inter Vetus Testamentum et Novum: nam Deus librorum utriusque Testamenti inspirator et auctor, ita sapienter disposuit, ut Novum in Vetere lateret et in Novo Vetus pateret (DV 16).

Quae cum ita sint, Ecclesia catholica, sui mysterii perscrutatione memoriam tenens vinculi, quo ipsa cum stirpe Abrahae coniuncta est, nequit ignorare monumenta traditionis religiosae Iudaeorum, ut in dies magis magisque conscia fiat identitatis suae atque missionis sibi a Christo concreditae.

Qua necessitate considerata, « Centrum Christianum pro Studiis Iudaicis », iam inde a multis annis in ipsa civitate Sancta Hierosolymitana existens, nobilem finem prosequitur, quo catholicis necnon aliis christianis notitia profundior religiosae traditionis iudaicae ex genuinis fontibus eius praebeatur.

Haec Congregatio de maiore profectu in disciplinis ad divinam Revelationem melius elucidandam valde sollicita, re omni sub aspectu rite perpensa, collatis consiliis cum iis quorum interest; ratione etiam habita litterarum Em.mi Cardinalis Secretarii Status die XXIII mensis Aprilis a.D. MCMXCVIII datarum, petitionem sibi allatam libenter suscipiens, ad normam Constitutionis Apostolicae « Sapientia Christiana » sua qua pollet auctoritate

PONTIFICIUM CENTRUM CHRISTIANUM STUDIORUM IUDAICORUM S. PETRI DE SION

seu « Pontificium Institutum ***Ratisbonne*** »

(in lingua gallica «Centre Chrétien Pontifical d'Etudes Juives — Saint Pierre de Sion » [CCEJ] nuncupatum)

hoc Decreto canonice erigit erectumque declarat, potestate ipsi facta testimonia de studiis iudaicis apud se perfectis iis studentibus concedendi, qui praescriptum studiorum curriculum rite expleverint necnon pericula superaverit; servatis peculiaribus eiusdem Centri Statutis ab hac eadem Congregatione approbatis; servatis praeterea ceteris de iure servandis; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Congregationis, die xxi mensis Maii, in sollemnitate Ascensionis Domini, a.D. MCMXCVIII.

PIUS card. LAGHI, ***Praefectus***

& Iosephus Saraiva Martins, ***a Secretis.***

Loco EB Sigilli
In Congr. de Inst. Cat. tab., n. 447¡80¡E

DECRETUM

quo Romae Facultas Scientiarum Communicationis Socialis apud Universitatem Salesianam erigitur.

Communicationis socialis instrumenta, si recte adhibeantur, humano generi valida praebent subsidia, cum multum conferant ad relaxandos et excolendos animos atque ad Dei regnum propagandum et firmandum (cf. Concilium Oecumenicum Vaticanum Secundum, ***Inter mirifica,*** 2). Propterea omnes Ecclesiae filii communi animo consilioque conentur ut eadem instrumenta, nulla interposita mora et maxima adhibita industria, efficaciter in multiplicibus apostolatus operibus, prout rerum et temporum adiuncta exposcent, usurpentur, noxia incepta praecurrentes ***(Inter mirifica,*** 13).

Ad haec instrumenta recto modo adhibenda — ut idem Concilium Oecumenicum Vaticanum animadvertit — oportet ut omnes, qui iis utantur, ordinis moralis normas noscant et fideliter in hac provincia ad effectum deducant ***(Inter mirifica,*** 4). Praecipue ad Ecclesiae Pastores autem munus pertinet fideles, sacerdotes, religiosos necnon laicos, tempestive instituendi ***(Inter mirifica,*** 15) atque ita moderandi ut iidem, instrumentorum etiam socialis communica-

tionis auxilio, suam totiusque humanae familiae salutem ac perfectionem persequantur (*Inter mirifica,* 3).

Ad hunc finem consequendum atque ad auxilium Pastoribus praebendum, competentes auctoritates Universitatis Pontificiae Salesianae in Urbe, obsequentes exemplo sui patroni S. Ioannis Bosco, qui studuit prout magister apostolatus communicationis pericula iuvenum aetati noxia praecavere, necnon desiderantes ipsam missionem Societatis a S. Francisco de Sales fideliter adimplere, Institutum Scientiarum Communicationis Socialis in eadem Universitate erexerunt, quod, ab hac Congregatione anno MCMLXXXIX approbatum, ab eadem Decreto N. 1159/88/12 die IX m. Martii a.D. MCMXCIII emanato canonice erectum est.

Nunc autem, intervallo experimentan optimo exitu percurso, ad fructus huius operis magis augendos, Reverendissimus Universitatis Pontificiae Salesianae in Urbe Magnus Cancellarius Congregationem de Institutione Catholica adivit, exposcens ut supra laudatum Institutum in Facultatem Scientiarum Communicationis Socialis constitueretur.

Haec Congregatio, re qualibet sub specie perpensa; collatis consiliis cum iis quorum interest etiam in campo Communicationis Socialis valde peritis; ratione habita litterarum eiusdem Magni Cancellarii die XXIX mensis Decembris a.D. MCMXCVII datarum; petitionem sibi allatam libenter suscipiens, ad normam art. 61 Constitutionis Apostolicae «Sapientia Christiana» pro munere

FACULTATEM
SCIENTIARUM COMMUNICATIONIS SOCIALIS

(italice « Facoltà di Scienze della Comunicazione Sociale — FSCS »)

hoc Decreto in memorata Universitate Pontificia Salesiana in Urbe erigit erectamque declarat, potestate ipsi facta academicos Baccalaureatus et Licentiae et Doctoratus gradus in Scientiis Communicationis Socialis iis studentibus conferendi, qui praescriptum studiorum curriculum rite expleverint necnon pericula superaverint; servatis generalibus Universitatis Statutis necnon peculiaribus eiusdem Facultatis Statutis ab hac eadem Congregatione approbatis; ceteris servatis de iure servandis; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Congregationis, die XXVII mensis Maii, a.D. MCMXCVIII.

PIUS card. LAGHI, ***Praefectus***

83 Iosephus Saraiva Martins, ***a Secretis.***

Loco ffi Sigilli
In Congr. de Inst. Cat. tab., n. 78/98

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Lunedì, 6 luglio 1998, S.E. il Signor Thierry Mauls, Ambasciatore del Belgio presso la Santa Sede.

Venerdì 3 luglio 1998 si è riunita nel Palazzo Apostolico Vaticano, alla presenza del Santo Padre, la Congregazione delle Cause dei Santi.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietto della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

14 luglio 1998. Mons. Raffaello Funghini, Uditore della Rota Romana, *Giudice della Corte d'Appello dello Stato della Città del Vaticano « ad quinquennium ».*

Si rende noto che il Rev.do Slawomir Oder è stato nominato « ad quinquennium » Vicario giudiziale aggiunto del Tribunale d'Appello eretto presso il Vicariato di Roma e che i Monsignori Americo Ciani e José Martin De Agar, Giudici esterni del Tribunale di prima istanza del Lazio per le cause di nullità di matrimonio, sono stati trasferiti al Tribunale d'Appello come Giudici esterni « ad quinquennium ».

NECROLOGIO

2 luglio 1998. Mons. Jorge E. Marskell, Vescovo Prelato di Itacoatiara *(Brasile).*

8 » » Mons. Christophe Adimou, Arcivescovo em. di Cotonou *(Benin).*

9 » » Mons. Antonio F. Gatti, Vescovo tit. di Gadiaufala.

23 » » Mons. Henri Goudreault, Arcivescovo di Grouard-McLennan *(Canada)*

» » » Mons. Vittorio Cecchi, Vescovo tit. di Usinaza.

An. et vol. XC 1 Septembris 1998 N. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE

De theologica et iuridica natura Conferentiarum Episcoporum

IOANNES PAULUS PP. II

I

EXORDIUM

1. Apostolos suos instituit Dominus Iesus « ad modum collegii seu coetus stabilis, cui ex iisdem electum Petrum praefecit ».* Apostoli non seorsum seiunctimve sed coetum ***Duodecim*** efficientes a Iesu electi sunt ac missi, perinde atque ab Evangelio sententia illa compluries iterata « unus de Duodecim » confirmatur.[2] Omnibus his missionem committit Dominus Regnum Dei praedicandi.[3] Ii non seiuncti, sed bini bini ab Eo missi sunt.[4] In novissima cena Iesus Patrem pro unitate Apostolorum ipsorumque qui in eum per eorum verbum credituri sunt deprecatur.[5] Suam post Resurrectionem et ante Ascensionem in eius supremo pastorali officio confirmat Iesus Petrum[6] itemque eandem missionem Apostolis concredit quam ipse a Patre susceperat.[7]

[1] CONC. OECUM. VAT. II, **Const. dogm.** ***Lumen gentium,*** 19. **Cfr** ***Mt*** 10, 1-4; 16, 18; ***Me*** 3, 13-19; ***Lc*** 6, 13; ***Io*** 21, 15-17.

[2] **Cfr** ***Mt*** 26, 14; ***Me*** 14, 10.20,43; ***Lc*** 22, 3.47; ***Io*** 6, 72; 20, 24.

[3] **Cfr** ***Mt*** 10, 5-7; ***Lc*** 9, 1-2

[4] **Cfr** ***Me*** 6, 7.

[5] **Cfr** ***Io*** 17, 11,18 20-21.

[6] **Cfr** ***ibid.,*** 21, 15-17.

[7] **Cfr** ***ibid.,*** 20, 21; ***Mt*** 28, 18-20.

Pentecostes die cum Spiritus Sanctus descendit, Collegium apostolicum revera novo illo vigore repletur et manifestatur, quem Paracletus ministrat. « Stans autem Petrus cum Undecim »[8] multitudinem alloquitur ac magnam credentium copiam baptizat; prima communitas perseverans est in audienda doctrina Apostolorum[9] atque ab eis pastorales pro ipsa quaestiones enodantur;[10] Apostolos qui in urbe Ierusalem manserant Paulus convenit ut suam cum eis communionem confirmaret neve sibi periculum conflaret ne forte in vacuum curreret.[11] Quod sibi ipse plane erat conscius se corpus quoddam indivisum efficere, id etiam exstat cum illa oritur quaestio debeantne christiani ex paganis oriundi Antiquae Legis normas servare necne. Tunc in Antiochena communitate « statuerunt, ut ascenderent Paulus et Barnabas et quidam alii ex illis ad apostolos et presbyteros in Ierusalem super hac quaestione »[12] consideranda. Ad hanc quaestionem agitandam coadunantur Apostoli presbyterique, inter se sententias conferunt, deliberant Petri auctoritate ac tandem decernunt: « Visum est enim Spiritui Sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris quam haec necessario [...]».[13]

2. Salutis missio quam Dominus Apostolis commisit usque ad mundi finem manebit.[14] Ut talis missio, ad Christi voluntatem, perficeretur, Apostoli ipsi «de instituendis successoribus curam egerunt... Proinde docet... Synodus Episcopos ex divina institutione in locum Apostolorum successisse, tamquam Ecclesiae pastores ».[15] Etenim, ad pastorale exsequendum ministerium, « Apostoli speciali effusione supervenientis Spiritus Sancti a Christo ditati sunt,[16] et ipsi adiutoribus suis per impositionem manuum donum spirituale tradiderunt,[17] quod usque ad nos in episcopali consecratione transmissum est ».[18]

« Sicut, statuente Domino, sanctus Petrus et ceteri Apostoli unum Collegium apostolicum constituunt, pari ratione Romanus Pontifex, successor

[8] *Act 2,* 14.
[9] Cfr *ibid*, *2,* 42.
[10] Cfr *ibid.,* 6, 1-6.
[11] Cfr *Gal 2,* 1-2.7-9
[12] *Act* 15, 2.
[13] *Ibid.,* 15, 28.
[14] Cfr *Mt* 28, 18-20.
[15] CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 20.
[16] Cfr *Act 1,* 8; 2, 4; *Io* 20, 22-23.
[17] Cfr *1 Tim* 4, 14; *2 Tim I,* 6-7.
[18] CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 21.

Petri, et Episcopi, successores Apostolorum, inter se coniunguntur ».[19] Omnes sic Episcopi communiter praeceptum a Christo receperunt Evangelium ubique terrarum nuntiandi ideoque de tota Ecclesia solliciti esse debent itemque, ut missionem a Domino commissam adimpleant, inter se et cum Petri Successore[20] ad sociatam operam agendam etiam astringuntur, in quo est « perpetuum ac visibile unitatis fidei et communionis principium et fundamentum ».[21] Singuli autem Episcopi in suis Ecclesiis particularibus principium ac fundamentum sunt unitatis.[22]

3. Posita divinitus instituta potestate a singulo Episcopo in Ecclesia sua exercenda, Episcopi sibi conscii cuiusdam indivisi corporis se esse participes, ipsi, saeculorum Ecclesiae decursu, suum officium gerentes, instrumenta, organa vel apparatus communicationis adhibuerunt, quae communionem de cunctis Ecclesiis ac sollicitudinem ostendunt ac ipsam Apostolorum collegii vitam producunt, pastoralem scilicet communem operam, consultationes, mutuum adiumentum, et his similia.

A primis inde saeculis, haec ipsa communio in conciliis celebrandis unice singulariterque sese proprie ostendit, inter quae, praeter concilia oecumenica quae a Concilio Nicaeno anni cccxxv inceperunt, concilia etiam particularia sunt annumeranda, tum plenaria tum provincialia, quae saepenumero universa in Ecclesia inde a saeculo II sunt celebrata.[23]

Haec celebrandorum conciliorum particularium consuetudo totam per Mediam Aetatem protracta est. Post Concilium Tridentinum (MDXLV-MDLXIII), haec statis temporibus celebratio magis magisque laxari coepta est. Attamen Codex Iuris Canonici anni MCMXVII, cum venerandae huic institutioni vires addere vellet, etiam de conciliis particularibus celebrandis normas edixit. Can. 281 huius Codicis de concilio plenario agebat ac statuebat

[19] *Ibid.,* 22.

[20] Cfr *ibid.,* 23.

[21] *Ibid.,* 18; cfr 22-23, Nota explicativa praevia, 2; CONC. OECUM. VAT. I, Const. dogm. *Pastor aeternus,* Prologus: *DS* 3051.

[22] Cfr CONC. OECUM VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 23.

[23] De nonnullis saeculi II conciliis, cfr EUSEBIUS CAESAREAE, *Historia Ecclesiastica,* V, 16, 10; 23, 2-4; 24, 8: SC 41, pp. 49, 66-67, 69. Tertullianus, ineunte III saeculo, celebrandorum apud Graecos conciliorum morem laudibus effert (cfr *De ieiunio,* 13, 6: CCL 2, 1272). Ex S. Cypriani Carthaginiensis epistulis cognoscimus complura Africana Romanaque concilia ab altero vel tertio decennio saeculi III facta esse: *Epist.* 55, 6; 57; 59, 13, 1; 61; 64; 67; 68, 2, 1; 70; 71, 4, 1; 72; 73, 1-3: L. BAYARD (ed.), *Les Belles Lettres,* Paris 1961, II, pp. 134-135; 154-159; 180; 194-196; 213-216; 227-234; 235; 252-256; 259; 259-262; 262-264. De conciliis Episcoporum saeculis n et III cfr K. J. HEFELE, *Histoire des Conciles,* I, Adrien le Clerc, Paris 1869, pp. 77-125.

idem Summi Pontificis licentia celebrari posse, qui suum delegatum designaret, ut id convocaret ac regeret. Idem Codex saltem vicesimo quoque anno concilia provincialia[24] et saltem quinto quoque anno congressiones vel coetus alicuius provinciae Episcoporum praesentiebat, ut negotia dioecesium agerentur et concilium provinciale compararetur.[25] Novus Codex Iuris Canonici anni MCMLXXXIII complures normas de conciliis particularibus, tam plenariis quam provincialibus, adhuc servat.[26]

4. Prope conciliorum particularium traditionem, cum ea servata concordia, inde a superiore saeculo, propter historicas, culturales, sociologicas rationes necnon pastoralia ob proposita, in variis nationibus ortae sunt Conferentiae Episcoporum, ut quaedam ecclesiales omnibus communes quaestiones excuterentur atque aptae solutiones reperirentur. Conferentiae hae, prae conciliis, statum stabilem ac duraturum obtinuerunt. Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium instructio diei XXIV mensis Augusti anni MDCCCLXXXIX easdem memorat ac « Conferentias Episcoporum » plane designat.[27]

Concilium Oecumenicum Vaticanum II, in Decreto ***Christus Dominus,*** praeter quam quod veneranda institutio conciliorum particularium vult novo vigeat robore (cfr n. 36), dedita opera de Conferentiis Episcoporum definite disserit, edicens in pluribus nationibus iam ipsas esse institutas ac ea de re peculiares pariter statuens normas (cfr nn. 37-38). Concilium namque, quod opportunitatem ac horum institutorum fecunditatem agnoscit, « summopere expedire censet, ut ubique terrarum eiusdem nationis seu regionis Episcopi in unum coetum confluant, statis temporibus simul convenientes, ut communicatis prudentiae et experientiae luminibus, collatisque consiliis sancta fiat ad commune Ecclesiarum bonum virium conspiratio ».[28]

5. Anno MCMLXVI Paulus PP. VI Motu proprio ***Ecclesiae sanctae*** decrevit ut Conferentiae Episcoporum, ubi non erant, conderentur; quae exstabant propria statuta facerent; si easdem constituere non poterant, Episcopi quorum intererat sese Conferentiis iam constitutis iungere deberent; ut Conferentiae Episcoporum complurium Nationum vel internationales effici pos-

[24] **Cfr *C.I.C.* (1917), can. 283.**

[25] **Cfr *ibid.,* can. 292,**

[26] **Cfr *C.I.C.* cann. 439-446.**

[27] SACRA CONGREGATIO EPISCOPORUM ET REGULARIUM, **Instructio *Be collationibus quolibet anno ab Italis Episcopis in variis quae designantur Regionibus habendis,* 24 Augusti 1889: *Leonis XIII Acta,* IX (1890), p 184..**

[28] CONC. OECUM. VAT. **II, Decr. *Christus Dominus,* 37; cfr Const.. dogm. *Lumen gentium,* 23.**

sent.[29] Paucis annis post, anno MCMLXXIII, Directorium de pastorali ministerio Episcoporum pronuntiavit: « Conferentia episcopalis ad id est instituta, ut hodie multiplicem atque fecundam opem conferat, ut collegialis affectus ad concretam exsecutionem perducatur. Per has Conferentias spiritus communionis cum Ecclesia universali et diversarum ecclesiarum particularium inter se egregie fovetur ».[30] Codex demum Iuris Canonici, a Nobis die XXV mensis Ianuarii anno MCMLXXXIII foras emissus, peculiares normas statuit (cann. 447-459), quibus proposita et munera Conferentiarum Episcoporum itemque earundem institutio, structura et actio temperarentur.

Collegii mens, qua Episcoporum Conferentiarum constitutiones imbuuntur earundemque actiones reguntur, communem quoque operam Conferentiarum diversarum nationum incitat, sicut suadet Concilium Oecumenicum Vaticanum II,[31] atque canonicis normis recipitur.[32]

6. Post Concilium Oecumenicum Vaticanum II, Conferentiae Episcoporum magnopere adoleverunt officiumque sustinuerunt praeoptati instrumenti alicuius nationis vel territorii, ut sententiae mutuaeque consultationes communicarentur ac cooperatio pro bono Ecclesiae communi ageretur: « ipsae his annis factae sunt solidum quoddam, vivum et efficax ubique terrarum institutum ».[33] Earum momentum ex eo oritur quod efficaciter Episcoporum ideoque totius Ecclesiae unitatem iuvant cum sit praevalidum in-

[29] Cfr PAULUS VI, Motu proprio *Ecclesiae sanctae,* 6 Augusti 1966, I. *Normae ad exsequenda Decreta SS. Concilii Vaticani II «Christus Dominus» et «Presbyterorum Ordinis»,* 41: *AAS* 58 (1966), 773-774.

[30] CONGREGATIO PRO EPISCOPIS, Directorium *Ecclesiae imago, De Pastorali Ministerio Episcoporum,* 22 Februarii 1973, 210.

[31] Cfr Decr. *Christus Dominus,* 38, 5.

[32] Cfr *C.I.C.* can. 459 § 1. Per Conferentiarum Episcoporum internationales coniunctiones huic cooperationi re subsidium datum est, quae sunt: Consejo Episcopal Latinoamericano (C.E.L.A.M..), Consilium Conferentiarum Episcopalium Europae (C.C.E.E.), Secretariado Episcopal de América Central y Panamá (S.E.D.A.C), Commissio Episcopatuum Communitatis Europaeae (COM.E.C.E.), Association des Conférences Episcopales de l'Afrique Centrale (A.C.E.A.C), Association des Conférences Episcopales de la Région de l'Afrique Centrale (A.C.E.R.A.C), Symposium des Conférences Episcopales d'Afrique et de Madagascar (S.C.E.A.M), ínter-Regional Meeting of Bishops of Southern Africa (I.M.B.S.A), Southern African Catholic Bishops' Conference (S.A.C.B.C), Conférences Episcopales de l'Afrique de l'Ouest Francophone (C.E.R.A.O..), Association of the Episcopal Conferences of Anglophone West Africa (A.E.C.A.W.A..), Association of Member Episcopal Conferences in Eastern Africa (A.M.E.C.E.A.), Fédération of Asian Bishops' Conferences (F.A.B.C), Fédération of Catholic Bishops' Conferences of Oceania (F..C.B.C.O.) (cfr *Annuario Pontificio 1998,* Città del Vaticano 1998, pp. 1112-1115) Instituta tamen haec proprie non sunt Conferentiae episcopales.

[33] IOANNES PAULUS II, *Allocutio ad eos qui in Romana Curia ministerium suum implent,* 28 Iunii 1986, n. 7 c: *AAS* 79 (1987), 197.

stramentum ad ecclesialem communionem confirmandam. Verumtamen, earum navitatis usque amplioris evolutio, quasdam exciit quaestiones quae theologicam pastoralemque indolem sapiunt, potissimum quod ad earum pertinet necessitudinem cum dioecesanis Episcopis.

7. Viginti post annis quam Concilium Oecumenicum Vaticanum II absolutum est, coetus extraordinarius Synodi Episcoporum, anno MCMLXXXV celebratus, in hodiernis condicionibus pastoralem utilitatem immo necessitatem agnovit Conferentiarum Episcoporum, sed eadem opera asseveravit « in agendi ratione Conferentias Episcoporum bonum Ecclesiae prae se ferre debere, scilicet unitatis famulatum et cuiusque Episcopi responsalitatem non alienabilem universalis Ecclesiae ipsiusque Ecclesiae particularis ».[34] Quapropter Synodus hortata est ut de theologico *statu* exindeque de iuridica ratione inquisitio latius altiusque explicaretur atque quaestio potissimum de auctoritate earum doctrinali agitaretur, ob oculos habitis n. 38 Decreti conciliaris *Christus Dominus* atque cann. 447 et 753 Codicis Iuris Canonici.[35]

Documentum hoc etiam ab hac optata vestigatione fluit. Arto cum Concilii Vaticani II documentis nexu, praecipua principia theologiae iurisque ipsum de Conferentiis Episcoporum explicitam reddere atque necessarium normarum additamentum suppeditare innititur, ut iisdem Conferentiis adiumentum praebeatur, quo praxis statuatur theologico fundamento innixa iurisque soliditate.

II

COLLEGIALIS EPISCOPORUM CONIUNCTIO

8. In universali Dei Populi communione, cui ut inserviatur Dominus ministerium apostolicum instituit, collegialis Episcoporum coniunctio Ecclesiae naturam ostendit, quae, cum in terra semen et regni Dei sit initium, « pro toto genere humano firmissimum est germen unitatis, spei et salutis ».[36] Quemadmodum Ecclesia est una et universalis, sic episcopatus unus est et indivisus,[37] idemque tantum habet amplitudinis quantum visibile Ecclesiae corpus, cuius luculentam varietatem manifestat. Principium et visi-

[34] *Relatio finalis,* II, C), 5: *L'Osservatore Romano,* 10 Decembris 1985, p. 7.

[35] Cfr *ibid.,* II, C), 8, b).

[36] CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm.. *Lumen gentium,* 9.

[37] Cfr CONC. OECUM. VAT. I, Const. dogm.. *Pastor aeternus,* Prologus: *DS* 3051.

bile fundamentum huius unitatis est Romanus Pontifex, qui episcopalis corporis est caput.

Episcopatus unitas unum est ex elementis quibus Ecclesia constituitur.[38] Etenim per Episcoporum coetum « traditio apostolica in toto mundo manifestatur et custoditur »;[39] atque eiusdem fidei communicatio, cuius depositum eorum custodiae committitur, eorundem Sacramentorum participatio « quorum regularem et fructuosam distributionem auctoritate sua ordinant »,[40] iis adhaesio et oboedientia tamquam Ecclesiae Pastoribus, haec nominatim communionis ecclesialis potissima sunt elementa. Talis communio, eo quod totam Ecclesiam pervadit, episcopale etiam Collegium conformat, atque pollet « realitate organica, quae iuridicam formam exigit et simul caritate animatur ».[41]

9. Episcoporum ordo collegialiter « una cum Capite suo Romano Pontifice, et numquam sine hoc Capite, subiectum quoque supremae ac plenae potestatis in universam Ecclesiam exsistit ».[42] Sicut omnes probe sciunt, Concilium Oecumenicum Vaticanum II, in hac doctrina tradenda, simul edixit Petri Successorem integra pollere « potestate Primatus in omnes sive Pastores sive fideles. Romanus enim Pontifex habet in Ecclesiam, vi muneris sui, Vicarii scilicet Christi et totius Ecclesiae Pastoris, plenam, supremam et universalem potestatem, quam semper libere exercere valet ».[43]

Suprema potestas in universam Ecclesiam qua pollet Episcoporum coetus nisi collegialiter ab ipsis exerceri non potest, simul in Concilio Oecumenico sollemniter coadunatis, simul in terrarum orbe dispersis, dummodo Romanus Pontifex eosdem ad collegialem actum vocet, vel saltem comprobet libereve eorum coniunctam actionem accipiat. In his actibus collegialibus suam ipsorum pro fidelium totiusque Ecclesiae bono exercent potestatem Episcopi, fideliter primatum ac Romani Pontificis praeeminentiam servantes simul, qui caput est episcopalis Collegii; qui Episcopi non agunt tandem veluti eius vicarii vel delegati.[44] Inibi plane liquet Episcopos esse Ecclesiae catholicae, totius Ecclesiae bonum, ac ut tales a cunctis fidelibus agnosci et aestimari.

[38] Cfr CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Litt. *Communionis notio,* 12.

[39] CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 20.

[40] *Ibid.,* 26.

[41] *Ibid.,* Nota explicativa praevia, 2.

[42] *Ibid.,* 22.

[43] *Ibid.,* 22.

[44] Cfr *ibid.,* 22; *Acta Synodalia Sacrosancti Concilii Oecumenici Vaticani II,* vol. III, pars VIII, Typis Polyglottis Vaticanis 1976, p. 77, n. 102.

10. Aequalis collegialis actio in ordine Ecclesiarum particularium earundemque conventuum propriorum Episcoporum non datur. Pro unaquaque Ecclesia, Episcopus dioecesanus gregem sibi proprio, ordinario et immediato veluti pastori creditum in nomine Domini pascit, atque eius agendi ratio stricte personalis est, non collegialis, etiamsi affectu communionis animata. Quamvis ipse Ordinis sacramenti plenitudine honestetur, summam tamen potestatem inibi haud gerit, quae ad Romanum Pontificem et Episcoporum Collegium pertinet, veluti elementa Ecclesiae universalis propria, interiora cuiusvis Ecclesiae particularis, ut haec sit plene Ecclesia, id est Ecclesiae universalis praesentia particularis una cum sui ipsius propriis et necessariis elementis.[45]

Ex eo quod Ecclesiae particulares quibusdam in orbis terrarum partibus congregantur (aliquibus in nationibus, regionibus et ita porro), Episcopi qui iisdem praesident, haud coniunctim suam obeunt pastoralem curam per collegiales actus, aequales actibus Collegii episcopalis.

11. Quo aptius conspiciatur meliusque intellegatur quemadmodum collegialis coniunctio in re pastorali alicuius territorii Episcopis iunctim peragenda manifestetur, paucis etiam verbis, memorare iuvat singulos Episcopos, sua in ordinaria cura pastorali, ad Ecclesiam universalem referri. Illud namque ob oculos est habendum: quod ad Collegium episcopale pertinent singuli Episcopi, id coram universa Ecclesia non modo per sic dictos actus collegiales stricto sensu exprimitur, verum etiam de ea per sollicitudinem, quae, quamvis iurisdictionis actu haud exerceatur, plurimum tamen ad totius Ecclesiae bonum confert. Etenim omnes Episcopi fidei unitatem ac cunctae Ecclesiae communem disciplinam promovere ac tueri itemque quamque operam universae Ecclesiae communem provehere debent, quibus opera est potissimum danda ut fides adolescat et cunctis hominibus plenae veritatis lux oriatur.[46] « Ceterum hoc sanctum est quod, bene regendo propriam Ecclesiam ut portionem Ecclesiae universalis, ipsi efficaciter conferunt ad bonum totius mystici Corporis, quod est etiam corpus Ecclesiarum».[47]

Non solum ***munus regendi*** particularibus in suis Ecclesiis actuose exercendo, bonum universalis Ecclesiae iuvant Episcopi, verum etiam docendi ac sanctificandi exercendo officium.

[45] **Cfr** CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, **Litt.** ***Communionis notio,*** 13.

[46] **Cfr** CONC. OECUM. VAT. II, **Const. dogm.** ***Lumen gentium,*** 23.

[47] ***Ibid.,*** 23.

Procul dubio singuli Episcopi, ut fidei magistri, nisi per totius Collegii episcopalis actum ad universalem fidelium communitatem non sese convertunt. Fideles enim, pastorali Episcopi curae demandati, cum eiusdem iudicio congruere debent, quod Christi nomine de fide ac morali doctrina exprimitur idemque religioso animi obsequio tenendum. Re vera « Episcopi in communione cum Romano Pontifice docentes ab omnibus tamquam divinae et catholicae veritatis testes venerandi sunt »[48] atque eorum doctrina, quippe quae fideliter fidem credendam vitaeque accommodandam exhibeat, multum emolumenti universae Ecclesiae confert.

Episcopus quoque, prout singillatim sumptus est « oeconomus gratiae supremi sacerdotii »,[49] suum sustinendo sanctificandi officium permultum confert ad Ecclesiae operam Deum glorificandi et homines sanctificandi. Hoc totius Christi Ecclesiae est ministerium, quae in unaquaque legitima celebratione liturgica operatur, quae in communione cum Episcopo ipsiusque ductu peragitur.

12. Cum cuiusdam territorii Episcopi pro fidelium bono quasdam pastorales res una simul faciunt, haec ministerii episcopalis perfunctio, una simul acta, ratione ***collegialis affectus*** perficitur,[50] qui «est anima communis Episcoporum industriae in regionali, nationali et internationali provincia».[51] Attamen ipse naturam collegialem numquam sumit, quae ad acta pertinet ordinis Episcoporum, ut subiecti supremae in universam Ecclesiam potestatis. Longe alia est singulorum Episcoporum necessitudo cum Collegio episcopali quam eorum necessitudo cum institutionibus illis quae ad supra dicta pastoralia opera communiter sustinenda conditae sunt.

Episcoporum corporis actuum collegialitas ex eo oritur quod « Ecclesia universalis comprehendi non potest ut summa Ecclesiarum particularium neque tamquam confoederatio Ecclesiarum particularium ».[52] « Non est fructus communionis istarum, sed, pro essentiali suo mysterio ***ontologice et temporaliter*** praecedit ***quamcumque*** Ecclesiam particularem».[53] Collegium simul Episcoporum veluti Episcoporum summa non est intellegendum, qui Eccle-

[48] ***Ibid.,*** **25.**

[49] ***Ibid.,*** **26.**

[50] **Cfr *ibid.,* 23.**

[51] SYNODUS EPISCOPORUM, MCMLXXXV, ***Relatio finalis,*** II, **C), 4: *L'Osservatore Romano,* 10 Decembris 1985, p. 7.**

[52] IOANNES PAULUS II. ***Allocutio ad Episcopos Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis,*** **16 Septembris 1987, n. 3: *Insegnamenti,* X, 3 (1987), 555.**

[53] CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, **Litt. *Communionis notio,* 9.**

siis particularibus praesident, neque eorum communionis effectus, at, ut proprium et necessarium Ecclesiae universalis elementum, quiddam est quod praecedit officium particulari in Ecclesia munus capitis sustinendi.[54] Etenim episcopalis Collegii in totam Ecclesiam potestas haud summa potestatum singulorum in eorum particulares Ecclesias Episcoporum constituitur; est enim aliquid antecedens quod singuli Episcopi participant, qui in universam Ecclesiam nisi collegialiter agere non possunt. Romanus unus Pontifex, Collegii caput, supremam in Ecclesia potestatem gerere singulariter potest. Aliis verbis: « episcoporum collegialitas proprio strictove sensu ad totum Episcoporum Collegium tantum pertinet quod ut subiectum theologicum dividi non potest ».[55] Et id Domini voluntate.[56] Potestas attamen non tamquam dominatio putanda est, sed ad eam essentialiter servitii ratio pertinet, quandoquidem a Christo oritur, bono Pastore qui vitam pro ovibus tradit.[57]

13. Ecclesiarum particularium coetus sese referunt ad Ecclesias, a quibus constituuntur, eo quod fundamenta ponunt in vinculis communis consuetudinis vitae Christianae atque interiectionis Ecclesiae in communitatibus humanis, quae per loquelam, cultum historiamque nectuntur. Haec necessitudo longe alia est atque illa ratio mutuae Ecclesiae universalis internitatis cum particularibus Ecclesiis.

Similiter instituta constantia Episcopis quodam in territorio (natione, regione, et ita porro), atque Episcopi eadem efficientes, necessitudinem habent quae, quamvis aliquam similitudinem exhibeat, omnino difert a necessitudine quae exstat inter Collegium episcopale et singulos Episcopos. Efficacitas obstringens actuum ministerii, quod Episcopi una simul intra Conferentias episcopales necnon Sedis Apostolicae in communione sustinent, ex eo oritur quod ipsa talia instituta condidit et iisdem, et sacrae singulorum Episcoporum potestatis fundamento, certa munera concredidit. Quod nonnullae episcopalis ministerii res communiter aguntur, illa efficitur cuiusque Episcopi sollicitudo de universa Ecclesia, quae insigniter fraterno adiumen-

** Ceterum, ut omnibus patet, complures sunt Episcopi qui, quamvis munera Episcoporum propria exercent, nullius particularis Ecclesiae sunt praesides.

53 IOANNES PAULUS II, *Allocutio ad eos qui in Romana Curia ministerium suum implent,* 20 Decembris 1990, n. 6: *AAS* 83 (1991), 744.

56 Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 22.

57 Cfr *Io* 10, 11.

to ad alias Ecclesias particulares, ad viciniores potissimum ac pauperiores,[58] manifestatur, itemque in coniunctos labores ac proposita una simul cum eiusdem geographicae plagae ceteris Episcopis convertitur, ut bonum commune increscat ipsumque singularum Ecclesiarum.[59]

III

EPISCOPORUM CONFERENTIAE

14. Per Episcoporum Conferentias definita collegialis spiritus forma constituitur. Codex Iuris Canonici id perbene definit, Concilii Oecumenici Vaticani II praescripta subsecutus: « Episcoporum conferentia, institutum quidem permanens, est coetus Episcoporum alicuius nationis vel certi territorii, munera quaedam pastoralia coniunctim pro christifidelibus sui territorii exercentium, ad maius bonum provehendum, quod hominibus praebet Ecclesia, praesertim per apostolatus formas et rationes temporis et loci adiunctis apte accommodatas, ad normam iuris ».[60]

15. Hodiernis quidem temporibus quod necesse habemus ut vires contrahantur veluti fructus permutatae prudentiae experientiaeque intra Episcoporum Conferentiam, id pulchre Concilium extulit quia « Episcopi haud raro munus suum apte ac fructuose adimplere non valent nisi cum aliis Episcopis arctiorem in dies suam concordem atque coniunctiorem operam efficiant ».[61] Certo quodam indice argumenta finiri non possunt, quae hanc cooperationem requirunt, sed neminem fugit fidei morumque promotionem ac tutelam, librorum liturgicorum versionem, sacerdotalium vocationum promotionem et institutionem, catechesis subsidiorum comparationem, studiorum universitatum catholicarum aliorumque educationis institutorum sustentationem et tutelam, oecumenicum opus, cum civilibus potestatibus necessitudinem, humanae vitae, pacis, iurium humanorum defensionem, quae quoque legibus civilibus custodiantur, iustitiae socialis promotionem, instrumentorum communicationis socialis usum, et his similia, argumenta esse quae sociatam Episcoporum operam exposcunt.

[58] **Cfr** CONC. OECUM. VAT. II, **Const. dogm.** ***Lumen gentium,*** 23; **Decr.** ***Christus Dominus,*** 6.
[59] **Cfr** CONC. OECUM. VAT. II, **Decr** ***Christus Dominus,*** 36.
[60] ***C.I.C.*** **can.** 447; **cfr** CONC. OECUM. VAT. II, **Decr.** ***Christus Dominus,*** 38, 1.
[61] CONC. OECUM. VAT. II, **Decr.** ***Christus Dominus,*** 37.

16. Episcoporum Conferentiae plerumque sunt nationales, quae Episcopos scilicet eiusdem nationis complectuntur,[62] quandoquidem culturae, traditionum historiaeque communis vincula ac sociales necessitudines implicatae inter eiusdem nationis cives flagitant ut episcopatus participes illius territorii magis assidue cooperentur quam ut ecclesiales condiciones aliorum locorum id postulare possint. Eadem tamen canonica norma aditum pandit cuius vi « Episcoporum conferentia erigi potest pro territorio minoris aut maioris amplitudinis, ita ut vel tantum comprehendat Episcopos aliquarum Ecclesiarum particularium in certo territorio constitutarum vel praesules Ecclesiarum particularium in diversis nationibus exstantium ».[63] Inde eruitur Episcoporum Conferentias ex alio territorii ordine vel supernationali ordine exsistere posse. Iudicium de adiunctis personas resve respicientibus, quae maiorem vel minorem amplitudinem cuiusdam Conferentiae suadent Apostolicae Sedi reservatur. Etenim « unius supremae Ecclesiae auctoritatis est, auditis quorum interest Episcopis, Episcoporum conferentias erigere, supprimere aut innovare ».[64]

17. Quoniam Episcoporum Conferentiarum est Ecclesiarum particularium alicuius territorii, per pastorum communem operam quibus illae sunt commissae, bono communi consulere, unaquaque Conferentia omnes Episcopos dioecesanos alicuius territorii eisque iure aequiparatos, itemque Episcopos coadiutores, Episcopos auxiliares ceterosque Episcopos titulares, qui in eodem territorio peculiare sustinent munus, quod Apostolica Sedes ipsave Conferentia episcopalis concrediderunt, complecti debet.[65] In plenariis conventibus Conferentiae episcopalis competit dioecesanis Episcopis eisque qui iure illis aequiparantur ac simul Episcopis coadiutoribus suffragium deliberativum; et id ipso iure quoniam aliter facere Conferentiae, statuta non possunt.[66] Praeses et Pro-Praeses Conferentiae episcopalis ex membris solummodo eligi debent Episcoporum dioecesanorum.[67] Quod attinet ad Episcopos auxiliares ceterosque Episcopos titulares, qui Conferentiam episcopalem participant, Conferentiae statuta edicere debent utrum eorum suffragium

[62] Cfr *C.I.C.* can. 448 § 1.

[63] *Ibid.,* can. 448 § 2.

[64] *Ibid,* can. 449 § 1.

[65] Cfr *ibid.,* can. 450 § 1.

[66] Cfr *ibid.,* can. 454 § 1.

[67] Cfr PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI AUTHENTICE INTERPRETANDO, Responsum ad propositum dubium, *Utrum Episcopus Auxiliaris,* 23 Maii 1988: *AAS,* 81 (1989), 388.

sit deliberativum an consultivum.[68] Hac de re numerus est considerandus Episcoporum dioecesanorum et Episcoporum auxiliarium aliorumque Episcoporum titularium, ne forsan maior horum pars pastorale Episcoporum dioecesanorum regimen quibusdam condicionibus adstringat. Opportunum videtur Conferentiarum Episcoporum statuta decernere ut Episcopi emeriti adsint suffragio consultivo fruentes. Id peculiariter curetur ut quasdam investigationis commissiones participent, cum agitur de rebus quas Episcopi emeriti magnopere callent. Spectata Episcoporum Conferentiarum natura, participatio alicuius membri Conferentiae delegari non potest.

18. Singulae Episcoporum Conferentiae sua statuta habent, quae ipsae conficiunt, quae tamen a Sede Apostolica sunt recognoscenda « in quibus, praeter alia, ordinentur conferentiae conventus plenarii habendi, et provideantur consilium Episcoporum permanens et secretaria generalis conferentiae, atque alia etiam officia et commissiones quae iudicio conferentiae fini consequendo efficacius consulant ».[69] Enimvero haec proposita deposcunt ut burocratica ratio officiorum et commissionum, quae inter plenarios conventus operantur, vitetur. Illud praecipuum est animadvertendum Episcoporum Conferentias una cum commissionibus officiisque ad Episcopos iuvandos destinari easdemque non exsistere ut illorum loco operentur.

19. Episcoporum Conferentiae auctoritas eiusdemque actionis ambitus arte cum potestate Episcopi dioecesani Praesulumque eis aequiparatorum nectuntur. Episcopi « loco Dei praesidentes gregi, cuius sunt pastores, ut doctrinae magistri, sacri cultus sacerdotes, gubernationis ministri. [...] Ex divina institutione in locum Apostolorum successerunt, tamquam Ecclesiae pastores »,[70] atque « Ecclesias particulares sibi commissas ut vicarii et legati Christi regunt, consiliis, suasionibus, exemplis, verum etiam auctoritate et sacra potestate [...]. Haec potestas qua, nomine Christi personaliter funguntur, est propria, ordinaria et immediata»/[71] Eius exercitium suprema Ecclesiae potestate temperatur, et id ex relatione Ecclesiae universalis cum Ecclesia particulari necessario consequitur, quoniam haec haud exsistit nisi ut portio Dei Populi « in qua revera est et operatur Una Sancta Catholica et Apostolica Christi Ecclesia ».[72] Etenim « Primatus Romani Episcopi atque

[68] **Cfr *CIC.* can.** 454 § 2.
[69] ***Ibid.,* can.** 451.
[70] CONC. OECUM. VAT. II, **Const. dogm. *Lumen gentium,*** 20.
[71] ***Ibid., 21.***
[72] CONC. OECUM. VAT. II, **Decr. *Christus Dominus,*** 11; ***C.I.C.* can.** 368.

Collegium episcopale elementa sunt propria Ecclesiae universalis non derivata ex particularitate Ecclesiarum, sed nihilominus ***interiora*** cuilibet Ecclesiae particulari ».[73] Huius ordinationis veluti pars, exercitium sacrae potestatis Episcopo gerendae « certis limitibus circumscribi potest, pro Ecclesiae fideliumque utilitate ».[74] Haec sententia manifesta reperitur in Codicis Iuris Canonici norma: « Episcopo dioecesano in dioecesi ipsi commissa omnis competit potestas ordinaria, propria et immediata, quae ad exercitium eius muneris pastoralis requiritur, exceptis causis quae iure aut Summi Pontificis decreto supremae aut alii auctoritati ecclesiasticae reserventur ».[75]

20. In Episcoporum Conferentia Episcopi una simul pro fidelibus territorii Conferentiae ministerium obeunt episcopale; sed ut hoc exercitium legitimum sit omnesque Episcopos obstringat, supremae Ecclesiae auctoritatis requiritur interventus, quae per universalem legem specialiave mandata concredit quaedam negotia episcopali Conferentiae deliberanti. Episcopi nequeunt autonoma ratione, neque singuli neque in Conferentiam congregati, sacram suam potestatem pro Conferentia episcopali continere, ac tanto minus pro quadam eius parte, sive agitur de consilio permanente, sive de aliqua commissione vel ipso praeside. Haec ratio in canonica norma omnino patet de potestate legislativa exercenda, quae ad Episcopos spectat in Conferentiam episcopalem congregatos: « Episcoporum Conferentia decreta generalia ferre tantummodo potest in causis, in quibus ius universale id praescripserit aut peculiare Apostolicae Sedis mandatum, sive ***Motu Proprio*** sive ad petitionem ipsius conferentiae, id statuerit ».[76] Aliis in casibus « singuli Episcopi dioecesani competentia integra manet, nec conferentia eiusve praeses nomine omnium Episcoporum agere valet, nisi omnes et singuli Episcopi consensum dederint ».[77]

21. Episcopale ministerium coniunctim peractum officium quoque doctrinale respicit. Codex Iuris Canonici praecipuam de hac re statuit normam: «Episcopi, qui sunt in communione cum Collegii capite et

[73] CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, **Litt. *Communionis notio,*** 13.

[74] **Cfr** CONC. OECUM. VAT. II, **Const, dogm. *Lumen gentium,*** 27,

[75] ***C.I.C.*** **can.** 381 § 1.

[76] ***Ibid.,*** **can,** 455 § 1. **Locutio illa «decreta generalia» decreta quoque exsecutoria complectitur ut in cann.** 31-33 ***C.I.C.*** **significatur; cfr** PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI AUTHENTICE INTERPRETANDO, **Responsum ad propositum dubium, *Utrum sub locutione,*** 14 **Maii** 1985: ***AAS,*** 77 (1985), 771.

[77] ***C.I.C.*** **can..** 455 § 4.

membris, sive singuli sive in conferentiis Episcoporum aut in conciliis particularibus congregati, licet infallibilitate in docendo non polleant, christifidelium suae curae commissorum authentici sunt fidei doctores et magistri; cui authentico magisterio suorum Episcoporum christifideles religioso animi obsequio adhaerere tenentur ».[78] Praeter hanc generalem normam, Codex certius quaedam doctrinalia munera Conferentiarum Episcoporum decernit: hi exempli gratia iubentur « curare ut catechismi pro suo territorio, praevia Sedis Apostolicae approbatione, edantur »,[79] necnon editiones sacrarum Scripturarum earumque versiones comprobare.[80]

Consonans Episcoporum vox cuiusdam definiti territorii cum, in Romani Pontificis communione, coniuncte ipsi catholicam de fide moribusque veritatem proclamant, eorum populum efficacius attingere potest et sic religioso animi obsequio fideles ipsi facilius huic magisterio adhaerent. Suam fideliter exercentes doctrinalem actionem, Episcopi Dei verbo inserviunt, cui eorum doctrina supponitur, id pie auscultant, sancte custodiunt fideliterque explicant, ut fideles quam commodissime ipsum recipiant.[81] Quandoquidem fidei doctrina bonum est quod ad totam Ecclesiam pertinet et vinculum eiusdem communionis, Episcopi in Conferentiam Episcoporum congregati utique dant operam ut Ecclesiae universalis magisterium sequantur idque opportune populo sibi demandato ministrent.

22. Ut novae quaestiones enodentur et Christi nuntius illuminet hominumque conscientiam dirigat ad novas res expediendas quas sociales mutationes gignunt, Episcopi in Conferentiam episcopalem conglobati, hoc suum doctrinale officium una simul explicant, probe de suis enuntiationum finibus conscii, quae universalis magisterii notis minime signantur, quamvis publice sit et authenticum ac in Apostolicae Sedis communione exercitum. Studiose ideo curent ne docendi opus Episcoporum aliis in territoriis perturbent, plane id considerantes latius eas enuntiatione diffundi, immo in totum mundum, per communicationis socialis instrumenta, quae eventus cuiusdam regionis late diffundunt.

Hoc quidem posito ac praesumpto: authenticum Episcoporum magisterium quod scilicet sustinent homines Christi auctoritate honestati

[78] *Ibid.,* can. 753

[79] *Ibid.,* can. 775 § 2.

[80] Cfr *ibid.,* can. 825.

[81] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. *Dei Verbum,* 10

semper in communione cum Collegii capite et membris esse debere,[82] si ideo doctrinae declarationes Episcoporum Conferentiarum ab omnibus comprobantur, procul dubio ipsarum Conferentiarum nomine foras emitti possunt, atque fidelibus religioso animi obsequio authenticum hoc ipsorum Episcoporum magisterium est tenendum. Si autem omnium consensio deest, sola Episcoporum maior pars cuiusdam Conferentiae declarationem, si qua fit, edere non potest tamquam eiusdem magisterium authenticum, quam tenere illius territorii fideles cuncti debent, nisi ab Apostolica Sede recognoscatur, quod non eveniet nisi postquam illam declarationem in plenario conventu duae saltem partes Praesulum qui ad Conferentiam pertinent ipsique suffragio deliberativo fruuntur comprobaverunt. Sedis Apostolicae iudicium comparatur per analogiam cum illo quod a iure requiritur, ut Episcoporum Conferentia generalia decreta edere possit.[83] Apostolicae Sedis porro recognitio spectat praeterea ad cavendum ut, in recentioribus quaestionibus enodandis quas celeres sociales culturalesque mutationes secum ferunt quae hodiernae historiae sunt propriae, doctrinae responsio communioni faveat, atque magisterii universalis sententiae, si quae sunt, haud laedantur immo praeparentur.

23. Natura ipsa docendi Episcoporum officii efflagitat ut, si hi in Conferentia Episcoporum coniuncti id exerceant, hoc ipsum in plenario conventu eveniat. Minora instituta — ut consilium permanens, commissio quaedam aliave officia — auctoritatem non habent ferendi acta magisterii authentici idque neque suo nomine neque Conferentiae nomine neque etiam huius mandato.

24. Complura hodie sunt officia Conferentiae episcopalis in Ecclesiae beneficium. Ipsae per increscens servitium vocantur ad iuvandam « non alienabilem cuiusque Episcopi responsalitatem pro universali Ecclesia atque pro Ecclesia particulari »[84] simulque, ut liquet, ad eandem non impediendam, eius locum illegitime occupando, ubi canonica norma eius potestatis episcopalis imminutionem pro Conferentia episcopali haud sancit, vel fere cribrando aut difficultates inducendo circa directas necessitudines singulorum Episcoporum cum Sede Apostolica.

[82] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 25; *C.I.C.,* can. 753.

[83] Cfr *C.I.C.,* can. 455.

[84] SYNODUS EPISCOPORUM, MCMLXXXV, *Relatio finalis,* II, C), 5: *L'Osservatore Romano,* 10 Decembris 1985, p 7

Ea quae supra sunt patefacta, ac simul completivae normae, quae sequentur, generalis Coetus extraordinarii Synodi Episcoporum anni MCMLXXXV votis respondent ipsaque collustrare et magis magisque efficaces Conferentiarum episcopalium actiones reddere volunt, quae propria statuta opportune retractanda curabunt, ut congruant cum his declarationibus normisque secundum illa vota.

IV

NORMAE DE EPISCOPORUM CONFERENTIIS COMPLETIVAE

Art. 1 — Ut doctrinales Conferentiae episcopalis declarationes, secundum n. 22 harum Litterarum, magisterium sint authenticum et eae ipsius Conferentiae nomine evulgentur, oportet ut ab omnibus Episcopis Conferentiae membris comprobentur, vel postquam eas in plenario conventu duae saltem partes Praesulum qui ad Conferentiam pertinent ipsique suffragio deliberativo fruuntur comprobaverunt, ab Apostolica Sede illae recognoscantur.

Art. 2 — Nullum Conferentiae Episcoporum institutum, excepto plenario conventu, potestatem habet acta magisterii authentici exercendi. Neque Episcoporum Conferentia hanc potestatem Commissionibus aliisve institutis, intra eandem conditis, praebere valet.

Art. 3 — Ad quaedam alterius generis agenda, quae non pertinent ad materiam in articulo 2 significatam, doctrinali Conferentiae episcopalis Commissioni potestatem permittere explicite debet Consilium Conferentiae Permanens.

Art. 4 — Episcoporum Conferentiae sua statuta retractare debent, ut cum huius documenti aeque ac iuris canonici declarationibus normisque concinant, utque exinde ad Apostolicam Sedem recognitionis causa, ad can. 451 C.I.C. normam, mittantur.

Quo demum Episcoporum Conferentiarum opera uberius bonorum in Ecclesia tota gignantur fructus, Benedictionem Nostram Apostolicam praesertim Venerabilibus Fratribus in episcopatu elargimur.

Datum Romae, apud. Sanctum Petrum, die xxi mensis Maii, in sollemnitate Ascensionis Domini Nostri Iesu Christi, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabilis Servus Dei Carolus Leisner in Beatorum caelitum album rite refertur.

IOANNES PAULUS PP II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio an angustia an persecutio an fames an nuditas an periculum an gladius? Sed in his omnibus supervincimus per eum, qui dilexit nos » (Rom 8, 35.37).

Lux fuit Christi caritas quae Caroli Leisner vitam collustravit, ac simul vis quae eum sustentavit, in apostolatu primum inter iuvenes deinde in captivitatis castris, ubi complures pertulit asperitates claramque fidelitatis erga Deum et Evangelium reddidit testificationem. Natus est in oppido Rees intra Monasteriensis dioecesis fines die duodetricesimo mensis Februarii anno MCMXV. Iam a puero egregium prae se tulit tam corporis quam animi vigorem, quem in Ecclesiae et hominum utilitatem tradidit. Cum Christo artam persecutus est coniunctionem per eucharisticum mysterium frugiferamque Sacrarum Litterarum perscrutationem nec non actuosam industriam in paroeciae suae et dioecesis operibus, praesertim vero in pastorali adolescentium provincia, cui partes suas studiose feliciterque contulit. Fide fortissimus, in officiis christianis suis perseveravit, quamquam tempora valde erant tristia, atque opera fervida apostolatus sui adversatus est propagationi doctrinarum socialismi nationalis quem Deo inimicum iudicavit et hominibus ipsis. Peractis ideo lycii disciplinis, ad sacerdotium sese iam parare coepit, eodemque tempore totum se in iuvenum eruditione consumpsit quippe qui ab episcopo Clemente Augustino von Galen dioecesanus moderator destinatus sit motus illius qui « Turmae Iuveniles » appellabatur. Saepius quidem a publicis custodibus, quibus navitas illius haud arridebat, ferme est comprehen-

sus, numquam tamen captus. Nonnullos menses coactus operam praestitit locis in pestilentibus magno cum valetudinis suae detrimento. Sacerdotii iterum adgressus praeparationem, anno MCMXXXIX diaconus est ordinatus. Tuberculosi autem conflictatus, in sanatorium intravit ubi lenitus est morbus; at propter infaustam declarationem contra socialismum nationalem adprehensus variisque in carceribus detentus, tandem in castra transiit captivitatis apud Dachau, ubi quinque fere annos vixit animi virtute fideique adiectione perpetiens maximas privationes: semper tamen caritatem testatus est suosque Deo obtulit pro iuventute dolores altioremque in dies cum Christo cruci adfixo familiaritatem est ingressus. Clam ipse die decimo septimo mensis Decembris anno MCMXLIV presbyteratu est initiatus. Liberatus tandem, castra illa reliquit; tamen iam sine remedio ad imum illius devergebat valetudo. Intus omnino serenus suisque ignoscens persecutoribus, terrestrem suam peregrinationem die duodecimo absolvit mensis Augusti anno MCMXLV apud loci Planegg valetudinarium haud procul Monacho Bavariae. Fidei testis continuo aestimatus est et talis confirmata fama eius, immo annorum decursu adaucta; quapropter Monasteriensis Praesul beatificationis et canonizationis instituit causam. Nostro denique in conspectu, die duodecimo mensis Ianuarii anno MCMXCVI, prodiit super martyrio decretum, cum fidenter constituimus ut beatificationis ritus die vicesimo tertio mensis Iunii subsequentis a Nobismet ipsis perficeretur, communitatem catholicam Berolinensem pastorali animo studiosoque invisentibus.

Hodie igitur inter sacra hanc protulimus formulam:

Nach Beratung mit der Kongregation für die Selig- und Heiligsprechungen erfülle ich gern die Bitte meiner Brüder Georg Kardinal Sterzinsky, Erzbischof von Berlin, und Reinhard Lettmann, Bischof von Münster, vieler anderer Brüder im Bischofsamt sowie zahlreicher Christgläubiger. Ich gestatte kraft meiner Apostolischen Autorität, daß die ehrwürdigen Diener Gottes Bernhard Lichtenberg und Karl Leisner künftig Selige genannt werden. Das Gedächtnis des seligen Bernhard Lichtenberg soll aljähtlich am 5. November, das Gedächtnis des seligen Karl Leisner alljährlich am 12. August an den Orten und in der Weise gefeiert werden, wie es die Vorschriften bestimmen. Im Namen des Vaters und des Sohnes und des Heiligen Geistes.

Ne ullum dein pietatis publicae erga novensilem Beatum hunc requireretur documentum, Nostris placuit sermonibus concelebrare illum con-

gruenter Nostrisque etiam precibus pro universa Dei Ecclesia vehementer implorare certo diu vitae eius insignis exemplum confisi plurimos inter Christifideles ipsosque etiam sacros ministros valde recreaturum ac sustentaturum christiana in producenda vita.

Quae autem his Litteris decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime obsistentibus.

Datum Berolinensi in urbe, sub anulo Piscatoris, die xxin mensis Iunii anno MCMXCVI, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 402.761

II

Venerabili Dei Servo Florentino Asensio Barroso Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus» ***(Io*** 10, 11). Florentinus Episcopus Asensio Barroso persecutionem praesensit quae in Hispaniam invasura erat, in pastores potissimum, ad persecutorum rationem per saecula iteratam: « Percutiam pastorem, et dispergentur oves » ***(Me*** 14, 27). Munus tamen accepit Episcopi Administratoris Apostolici Barbastrensis, sese aequans ipsi Iesu, qui dixit: «Non mea voluntas sed tua fiat» ***(Lc*** 22, 42). In oppido idem ortus est quod Villasexmir vocant provinciae Vallisoletanae (in Hispania) die XVI mensis Octobris anno MDCCCLXXVII. Die quo ipse primum ad sacrum convivium accessit Dominum ad sacerdotium vocantem animadvertit eumque studiose persecutus est. Sacerdotio aucto die primo mensis Iunii anno MCMI, suum compluribus in locis sustinuit pastorale ministerium, exinde varia officia elegit sibi prope Episcopum Vallisoletanum, scilicet Iosephum M. Cos y Macho. In Pontificia Universitate studiorum Vallisoletana doctoris gradum in theologica disciplina assecutus est; aliquantum temporis in ipsa studiorum Universitate docuit. Parochus cathedralis metropolitani templi renuntiatus, in sacris concionibus et spiritali moderatione constanter perstitit. Confessarii porro complures per an-

nos Seminarii tironum et complurium Congregationum sororum egit munus. Administrator Apostolicus Barbastrensis nominatus et Episcopus titulo Euroeensis in Epiro, die xxvi mensis Ianuarii anno MCMXXXVI consecratus est. Actuosi fuerunt ac pariter funesti iv menses et xxni dies, quo tempore in dioecesi mansit. Curiam dioecesanam reformavit. Doctrinae Christianae Congregationem in tota dioecesi composuit. Magnopere praedicationem fovit. Pastoralem epistulam scripsit, cohortans ad unitatem in Christo ac Paulina theologia Mystici Corporis sumens initium. Consociationi, Actioni Catholicae coniunctae, favit quae Hispano sermone « Confederación Española de Sindicatos Obreros » appellatur eandemque tuitus est. Opere carentes Episcopum sollicitum experti sunt; pauperes et aegroti parumper suis necessitatibus ab eo levati sunt. Deditionis spiritus animusque promptus Episcopi adversam obstinatamque mentem mollire non potuerunt municipii auctoritatum. Ipse illacrimans Seminarii excessum passus est, quod deinde solo aequatum est, itemque coemeterii violationem, piarum Consociationum et apostolatus sodaliciorum delationem, censuram illarum rerum quas ipse in cathedrali tempo praedicabat; omnes conatus municipalem auctoritatem conveniendi sunt detrectati et ita porro. Duobus post diebus quam civile bellum exarsit, ut Ecclesiae pastor (die xxn mensis Iulii anno MCMXXXVI) ad Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Collegium translatus est et ibi detentus, tunc pro carcere habitum cleri, religiosorum et etiam laicorum fidelium. Die VIII mensis Augusti vesperi in cellam segrex translatus est carceris municipalis qui haud plus xx metra aberat. Quaestio habita est de eo, percussus est et acriter mutuatus. Post mediam noctem e carcere delatus est et cum aliis duodecim. Episcopus martyr caelum suspectans dixit: « Quam pulchra mihi nox! ». Miles quidam ipsum audiens suspiria trahentem, percontatus est sciretne quonam perduceretur necne, respondit: « Scio: me perducitis Domum Dei nostri et Domini. In paradisum me perducitis ». In « plaustrum mortis » impositi, morituri delati sunt ad coemeterium ut manuballista necarentur. In itinere plebecula turpia impiaque adversus sanctum Pastorem proferebat, iram concitans carnificum. Unus horum manuballistae ictu sinistri lateris costas Praesulis fregit. In coemeterio omnes manuballista interempti sunt. Dei Servus haud statim mortuus est. Carnifices certiores facti ab opificibus vicini valetudinarii, qui clamores et lamentationes audierunt alicuius morientis, redierunt eumque penitus tribus ictibus necaverunt. Cadaver in commu-

nem foveam proiectum est. Post bellum finitum, corpus recuperatum conditum sollemniter est in cathedrali templo. Martyrii fama cum persisterei, anno MCMXLVII beatificationis et canonizationis Causa incohata est atque die xxxi mensis Ianuarii anno MCMXCVII NOS ipsi declaravimus Dei Servi mortem verum fuisse martyrium. Statuimus deinde beatificationis ritus die iv mensis Maii subsequentis ut celebraretur.

Hodie ideo in Petriana Basilica inter missarum sollemnia formulam ediximus hanc:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Ambrosii Echebarria Arroita, Episcopi Barbastrensis-Montisonensis, Victoris Aloisii Mondello, Archiepiscopi Rheginensis-Bovensis, Iulii Nicolini, Episcopi Cremonensis, et Iulii Henrici Prado Bolaños, Episcopi Pastopolitani, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Florentinus Asensio Barroso, Zephyrinus Giménez Malla, Caietanus Catanoso, Henricus Rebuschini et Maria ab Incarnatione Rosal Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Florentini Asensio Barroso die nona Augusti; Zephyrini Giménez Malia die quarta Maii; Caietani Catanoso die vicesima Septembris; Henrici Rebuschini die decima Mai; et Mariae ab Incarnatione Rosai die vicesima septima Octobris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus nunc et posthac rata firmaque esse volumus, contrariis minime quibuslibet obsistentibus rebus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die iv mensis Maii anno MCMXCVII, Pontificatus Nostri undevicesimo.

& ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco & Sigilli
In Secret. Status tab., n. 416.447

III

Templum Deo dicatum in honorem Sancti Ioseph Sponsi Beatae Mariae Virginis in loco v.d. Webster dioecesi in Vigorniensi ad gradum Basilicae minoris evehitur.

IOANNES PAULUS PP II

Ad perpetuam rei memoriam. — Spiritale curantes Christifidelium bonum, laetamur sane quotiescumque occasio Nobis datur divinum cultum diffundendi atque sacras in toto orbe aedes exornandi. Ideoque, cum Venerabilis Frater Daniel Patricius Reilfy, Episcopus Vigorniensis, cleri populique vota interpretatus, rogaverit ut templum Deo dicatum in honorem Sancti Ioseph Sponsi Beatae Mariae Virginis in loco v.d. Webster dioecesi in Vigorniensi situm ad dignitatem Basilicae minoris eveheretur, petitioni illi libenti animo obsecundare volumus. Itaque de Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum consultu, Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, statuimus ut sacra illa aedes ad titulum ac dignitatem Basilicae minoris evehatur, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae templis praeclaris hoc nomine insignibus rite competunt, secundum Decretum « De titulo Basilicae minoris », die ix mensis Novembris anno MCMLXXXIX datum. Contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxm mensis Iunii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

& ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 434.028

IV

Paroeciale templum Sancto Ioanni Baptistae dicatum ipsumque in archidioecesi Bucaramanguensi situm, ad dignitatem Basilicae minoris attollitur.

IOANNES PAULUS PP II

Ad perpetuam rei memoriam. — Praestans templum Sancti Ioannis Baptistae, quod in loco Girón, scilicet in archidioecesi Bucaramanguensi, invenitur, artificio quodam venustateque conspicuum, catholicam pietatis operam testificatur. Ibidem Sanctus ille studiose colitur inibique fideles ad maiora patranda eiusdem exemplo incitati compelluntur. Insignes insuper reperiuntur plurimorum sanctorum memoriae ac ipsius Iesu Christi, cruci affixi, veneranda imago. Pastoralis praeterea ibidem actio efficaciter explicatur ad communitatis ecclesialis utilitatem ac spiritalem progressum. His ob oculos habitis rebus, Archiepiscopi Bucaramanguensis precibus occurrendum sine cunctatione censuimus, qui suum simul ostendens postulatum simul suorum fidelium, enixe efflagitavit ut paroeciale templum Sancto Ioanni Baptistae dicatum, quod in paroeciali templo loci v. d. Girón, in ipsius archidioecesi reperitur, in Basilicarum minorum album referretur. Itaque ea quae statuit Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum comprobantes, factis a Nobis quondam potestatibus, Apostolica pro Nostra auctoritate sacrum aedificium, de quo supra est facta mentio, Basilicae minoris dignitate honestamus ac decoramus, cunctis additis iuribus et privilegiis, quae ad id genus templa pertinent. Serventur deinde quae decretum iubet « de titulo Basilicae minoris » die ix mensis Novembris, anno MCMLXXXIX evulgatum, quibuslibet minime obsistentibus rebus.

Valde sane tandem memorare placet Sancti Ioannis Baptistae virtutes. Ad eiusdem utique effigiem ac effata mentem et animum referentes qui nunc sunt fideles, naviter Evangelii ipsi sint praecones et Salvatoris beneficiorum nuntiatores assidui.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxx mensis Iunii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

£8 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco £B Sigilli
In Secret Status tab., n. 431,661

ALLOCUTIONES

I

Ad sodales Pontificalium Academiarum.*

Signori Cardinali,
Eccellentissimi Ambasciatori,
Illustri Accademici Pontifici,
Gentili Signore e Signori!

1. Sono particolarmente lieto di incontrarvi, in occasione della seconda Sessione pubblica delle Pontificie Accademie. Ringrazio il Signor Cardinale Paul Poupard, Presidente del Consiglio di Coordinamento fra Accademie Pontificie, che a nome di voi tutti ha voluto illustrare gli obiettivi, gli scopi e le finalità che vi proponete in vista del grande Giubileo dell'Anno Duemila. Saluto i Signori Cardinali, i venerati Fratelli nell'episcopato, gli Eccellentissimi Ambasciatori presso la Santa Sede, i sacerdoti, i religiosi e le religiose e tutti i membri delle varie Accademie Pontificie.

Ci incontrammo dodici mesi or sono per la prima volta in questa medesima sede per celebrare l'avvenuta riforma delle Pontificie Accademie e per dare nuovo impulso alle Istituzioni culturali della Santa Sede. Venne dato, in tal modo, pubblico riconoscimento all'opera scientifica ed artistica svolta dalle vostre Pontificie Accademie a servizio della nuova evangelizzazione nei vari campi della cultura e dell'arte, della teologia e dell'azione apostolica.

2. Il vostro piano di lavoro accademico, pur nella varietà delle discipline che autorevolmente voi rappresentate, intende concretizzarsi in un peculiare « contributo all'umanesimo cristiano all'alba del Terzo Millennio ». Mentre esprimo il mio apprezzamento per questo interessante e sempre attuale programma, vi esorto a proseguire con coraggio su tale cammino, perché il vostro contributo ad una più esatta, ampia e profonda comprensione dell'umanesimo cristiano giovi alla causa della persona umana ed al riconoscimento del suo specifico valore e della sua inalienabile dignità.

*** Die 3 Novembris 1997.**

Nella varietà delle culture odierne si manifesta sempre più la sfida che la Chiesa è chiamata a raccogliere, in quanto è suo preciso dovere « di scrutare i segni dei tempi e di interpretarli alla luce del vangelo, così che, in modo adatto a ciascuna generazione, possa rispondere ai perenni interrogativi degli uomini sul senso della vita presente e futura e sul loro reciproco rapporto ».[1]

I cristiani devono essere in grado di proporre la verità sull'uomo, rivelata da Gesù Cristo, « via, verità e vita »[2] e « primogenito tra molti fratelli »,[3] perché solo in Lui può risplendere in pienezza la dignità dell'essere umano, creato ad immagine e somiglianza di Dio.[4]

3. Sono grato al rappresentante della « Pontificia Accademia Romana di San Tommaso d'Aquino e di Religione Cattolica » ed a quello della « Accademia Teologica Romana » per le sapienti riflessioni sui lineamenti dell'umanesimo cristiano, ispirate al pensiero dell'Aquinate. E all'eminente dottrina del Dottore Angelico che ci si può opportunamente riferire per connotare l'umanesimo autentico, capace di riconoscere e di dare conveniente espressione a tutte le dimensioni della persona umana.

Nel contesto culturale attuale, segnato spesso da incertezze e dubbi che mortificano i fondamentali valori spirituali, l'umanesimo cristiano — perenne nella sua sostanza, ma sempre nuovo nel suo approccio e nella sua presentazione — offre una risposta valida alla sete di valori e di vita veramente umana, che brucia nell'animo di ogni persona pensosa del proprio destino.

4. L'attività degli Accademici Pontifici si pone in stretto legame con la missione del Successore di Pietro. Mentre confermo questo vostro generoso compito, auspico che, grazie agli studi, alle pubblicazioni, alle opere artistiche da voi realizzate e promosse, gli uomini di tutte le culture scoprano l'umanesimo autentico, vero specchio in cui si rivela il volto di Dio e il volto dell'uomo.

Auspico, altresì, che, sotto l'impulso del vostro esempio e della serietà dei vostri lavori accademici, un nuovo slancio sia impresso alla ricerca filosofica e teologica ed all'insegnamento di queste discipline, così che la ragione umana, illuminata dalla Rivelazione divina, possa scoprire vie

[1] *Gaudium et spes,* n. 4,

[2] *Gv* 14, 6.

[3] *Rm* 8, 29.

[4] Cf. *Gen* 1, 26.

nuove per esprimere nel linguaggio delle varie culture « le insondabili ricchezze di Cristo ».[5]

Molti contemporanei, specialmente giovani, sono delusi, perché promesse anche seducenti, che hanno segnato la seconda metà del ventesimo secolo, non di rado si sono rivelate mere utopie, incapaci di sollevare l'uomo dalla sua angoscia esistenziale. Non sono pochi coloro che hanno oggi la sensazione di camminare in un vicolo cieco. Compito dei cristiani, e di voi membri delle Accademie Pontificie in particolare, è di diffondere la conoscenza dell'umanesimo cristiano, soprattutto quando la verità sull'uomo viene oscurata o negata da posizioni concettuali che non ne rispettano la specifica dignità.

Con l'umiltà dei discepoli e la fortezza dei testimoni, voi, illustri Accademici, avete l'esaltante missione di approfondire il patrimonio filosofico, teologico, culturale della Chiesa, per farne partecipi quanti sono alla ricerca di una risposta appagante.

5. Ed ora, accogliendo l'indicazione del Consiglio di Coordinamento, sono lieto di consegnare il premio delle Pontificie Accademie al Pontificio Istituto « Regina Mundi », che svolge a Roma attività universitaria per la formazione filosofica, teologica, spirituale e pastorale delle religiose provenienti da ogni parte del mondo. Il Pontificio Istituto ha presentato i lavori di tre religiose: Eufrasie Bey a Malumbi, congolese, che ha saputo tradurre con linguaggio moderno e con categorie culturali del suo Paese d'origine alcuni significativi aspetti della teologia della salvezza in San Tommaso d'Aquino; Cecilia Phan Thi Tien, vietnamita, che ha studiato l'efficacia evangelizzatrice del canto, con particolare riferimento alla musica della sua Terra; Marie Monique Rungruang-Kanokkul, tailandese, che ha svolto uno studio teologico-pastorale sulla preparazione al sacramento dell'Eucaristia dei figli di coppie con matrimonio misto nella sua Regione.

Con la consegna del premio intendo anche esprimere il mio apprezzamento alla Reverenda Preside, Madre Fernanda Barbiero, ed ai Docenti dell'Istituto « Regina Mundi » per l'opera svolta a favore della promozione dell'umanesimo cristiano nelle molteplici culture a cui appartengono le religiose studentesse.

[5] *Ef* 3, 8.

Affido tutti i presenti e la loro missione a Maria Santissima, Sede della Sapienza, e di cuore imparto a voi, alle vostre famiglie ed a tutti coloro che vi sono cari una speciale Benedizione Apostolica.

II

Ad Belgi episcopos.*

Monsieur le Cardinal,
Chers Frères dans l'épiscopat,

1. C'est avec une grande joie que je vous accueille dans la maison du Successeur de Pierre, vous qui avez reçu la charge de conduire le peuple de Dieu qui est en Belgique. Votre présence me rappelle mon voyage dans votre pays, en juin 1995, à l'occasion de la béatification d'un de vos compatriotes, le Père Damien de Veuster, figure spirituelle marquante et témoin exemplaire de la charité envers les malades. Je remercie le Cardinal Godfried Danneels, Président de votre Conférence episcopale, pour ses paroles chaleureuses et je tiens à lui adresser tous mes vœux cordiaux au moment de sa fête. Vous êtes venus à Rome accomplir votre visite auprès du tombeau des Apôtres, afin de trouver lumière et soutien dans votre mission episcopale «en vue de l'édification du Corps du Christ»,[1] en communion avec l'Eglise universelle, et de reprendre courage, pour guider, réconforter et affermir l'espérance de vos collaborateurs, les prêtres et les diacres, ainsi que celle de l'ensemble du peuple de Dieu.

2. Dans vos rapports quinquennaux, vous me faites part des différentes initiatives que prennent vos diocèses dans la perspective du grand Jubilé, nouvel Avent pour l'Église; je me réjouis de l'accueil qu'elles ont trouvé auprès de vos diocésains et du dynamisme qu'elles suscitent au sein des communautés chrétiennes. C'est un signe tangible du désir spirituel des fidèles, de leur soif de découvrir de manière renouvelée le mystère trinitaire, pour en vivre et en être les témoins dans leur vie quotidienne.

* Die 7 Novembris 1997.
[1] *Ep* 4, 12.

À la veille de la deuxième année de préparation au grand Jubilé, je demande à l'Esprit Saint de vous éclairer et de vous soutenir dans le ministère que vous avez à accomplir. En tant que pasteurs, vous avez à conforter les prêtres dans leur mission, en étant proches d'eux, en les encourageant et en les soutenant, afin qu'ils poursuivent l'annonce de l'Évangile dans les tâches qui leur incombent et qu'ils continuent à donner inlassablement l'exemple d'une vie de prière authentique et d'une existence conforme à leur engagement. Dans le respect des personnes et selon la discrétion requise, il vous appartient aussi de corriger par des monitions insistantes et de redresser des situations morales erronées, pour que nul ne soit objet de scandale pour ses frères et que personne ne soit perdu, comme je l'avais déjà souligné dans une lettre du 11 juin 1993, adressée à l'épiscopat américain, affronté à des problèmes de société proches des vôtres.[2]

3. Je salue les efforts importants faits dans vos diocèses pour intensifier la catéchèse des enfants et des jeunes, que vous considérez comme une des priorités pastorales. La démarche de nombreux jeunes au cours des récentes Journées mondiales de la Jeunesse pourrait vous offrir l'occasion d'intensifier cette pastorale, en particulier par une formation spirituelle et religieuse plus approfondie. Cette dernière est en effet un des domaines essentiels et une clé de voûte de la mission évangélisatrice de l'Église, comme le souligne le récent ***Directoire général pour la Catéchèse,*** réalisé par la Congrégation pour le Clergé. Ce document est un instrument précieux et un guide qui rappelle opportunément que le Christ et son message sont le centre de tout enseignement de la foi. Le ministère de la catéchèse doit donc occuper une place de choix dans la mission de toute la communauté chrétienne. Sous la responsabilité de l'évêque, il requiert la participation des parents, des prêtres, des personnes consacrées et de fidèles qui, acceptant de devenir catéchistes, recevront la formation appropriée.

En outre, j'apprécie l'attention que vous portez à la formation théologique et morale des laïcs, par des publications et par les différents enseignements organisés dans vos diocèses. Vous accompagnez cette forma-

[2] Cf. *La Documentation catholique* 90 [1993], pp. 702-703; *1 Co* 10, 32; *2 Co* 6, 3; *Code de Droit canonique,* can. 1044, § 2; 1395.

tion d'une initiation à la prière et à la liturgie, afin que la découverte du Christ ne soit pas seulement de l'ordre de la connaissance, mais engage aussi la volonté et les sentiments, jusqu'à transformer la vie quotidienne. Dans votre récente déclaration ***Au souffle de l'Esprit vers l'An 2000,*** vous avez opportunément rappelé aux fidèles que l'espérance est un don de l'Esprit, qui se fonde sur la fidélité de Dieu, qu'il nous faut demander sans cesse. C'est à travers la vie sacramentelle et la participation à la communauté ecclésiale que les chrétiens en reçoivent de nombreux fruits. L'approfondissement du mystère chrétien et une vie spirituelle authentique permettent de trouver l'élan pour coopérer activement à la mission d'évangélisation de l'Eglise et, de manière spécifique, au développement de la société civile. A la lumière de l'Evangile et de la doctrine sociale de l'Eglise, les laïcs sont appelés à concourir au bien commun par un engagement dans l'ordre temporel, avec l'ensemble de leurs compatriotes, en promouvant les principes fondamentaux concernant la fin de la création et la façon de vivre dans le monde, ainsi que les valeurs morales.[3]

Je vous encourage particulièrement à développer la pastorale des jeunes, en prenant soin de nommer des prêtres capables de les accompagner avec la délicatesse requise pour des êtres dont la personnalité est en train de se construire. Cela est important pour que les jeunes puissent découvrir le Christ et affronter avec sérénité les problèmes liés à la société moderne. Et je me réjouis de l'engagement renouvelé des catéchistes, des parents, des professeurs de religion et d'autres enseignants, qui ont le souci de l'éducation religieuse dans les écoles et dans les paroisses; il faut se féliciter aussi de la vitalité manifestée par les différents mouvements qui proposent à la jeunesse des activités grâce auxquelles les valeurs chrétiennes et une démarche spirituelle peuvent être découvertes et vécues.

4. Vous m'avez exprimé vos craintes concernant la diminution croissante du nombre de prêtres et les lourdes tâches qu'il leur faut remplir actuellement, parfois jusqu'à l'extrême limite de leurs forces et à un âge très avancé. Connaissant les conditions pénibles dans lesquelles ils vivent, je salue leur dévouement, leur persévérance et leur fidélité, les invitant à demeurer dans l'espérance et à puiser dans la prière person-

[3] Cf. Conc.. oecum. Vat. II, *Apostolicam actuositatem,* n. 7.

nelle et liturgique, et particulièrement dans la célébration de l'Eucharistie, la force pour vivre en conformité au Christ dont ils sont une icône vivante, pour être des serviteurs de l'Évangile et pour manifester aux hommes qu'une vie donnée à Dieu dans le célibat est source de joie profonde et d'équilibre intérieur. Comme vous le faites déjà, il vous revient de vous soucier de la qualité de leur vie matérielle, de les rendre attentifs à conserver une juste harmonie entre la vie spirituelle, la vie pastorale, les loisirs et les relations amicales.

D'autre part, il importe de favoriser tout ce qui peut affermir l'unité et le sens fraternel au sein du « presbyterium, qui est accordé à l'évêque comme les cordes à la cithare ».[4] Les prêtres sont unis à leurs confrères « par un lien de charité, de prière et de coopération ».[5] De ce fait, les relations doivent être empreintes d'amitié et d'attention des uns aux autres, les plus jeunes demandant à être épaulés dans les débuts de leur ministère et dans leurs premières responsabilités, et les plus âgés pouvant apporter toute leur expérience. Tout cela est favorisé par des moments de retraite et des temps de formation théologique proposés à l'ensemble du clergé, pour que son enseignement soit fortifié et capable de répondre plus précisément aux interrogations de nos contemporains. Transmettez aux prêtres et aux diacres mes encouragements chaleureux et l'assurance de ma prière, en particulier à ceux qui sont malades et à ceux qui connaissent des difficultés dans le ministère. Adressez mes salutations les meilleures aux membres des Instituts de vie consacrée, qui, malgré le manque de vocations, poursuivent leurs missions au prix de durs efforts, par amour du Christ et de l'Eglise. Je souhaite qu'ils trouvent les moyens éventuels de regrouper leurs forces et de transmettre leurs spiritualités aux laïcs travaillant avec eux, comme ils le réalisent déjà.

5. U hebt besloten om in ieder bisdom een grootseminarie te handhaven, een wezenlijke en centrale instelling die deelt in de zichtbaarheid van de Kerk en haar apostolische dynamiek. Het is een moedige keuze die laat zien dat u aanzienlijke aandacht besteedt aan de vorming van de toekomstige priesters, en ook de zorg voor een goede onderscheiding. Dankzij deze nabijheid kunnen de jonge mannen hun vertrouwelijke re-

[4] S. Ignace d'Antioche, *Lettre aux Éphésiens.,*

[5] Conc. oecum. Vat. II, *Presbyterorum ordinis,* n.. 8.

latie met en hun kinderlijke gehoorzaamheid aan hun bisschop bevestigen, en de realiteit in een diocees leren kennen, waarin zij uiteindelijk zullen gaan leven. Wat de vorming betreft, is het raadzaam om meteen de juiste intentie van de priesterkandidaten en de voldoende mate van rijpheid bij hen na te gaan, en om hen te helpen hun persoonlijkheid te structureren.[6] Daarom zou het nadelig zijn voor de jonge mannen om zelf hun plaats van vorming te kiezen, volgens de criteria die gebonden zijn aan hun subjectiviteit, hun gevoeligheden en hun levensgeschiedenis. Dit kan het onderscheidingsvermogen beperken en de de dimensie van dienstbaarheid die het priesterlijke dienstwerk vereist, verzwakken. Ik waardeer de aandacht die u aan het filosofische en theologische onderwijs besteedt, alsmede aan de spirituele vooruitgang van de toekomstige priesters, waarbij u professoren en geestelijke leidsmannen uitkiest, die speciaal voor dit delicate dienstwerk zijn toegerust.

De aanwezigheid van een seminarie is ook een gelegenheid voor alle gelovigen om degenen die hun herders zullen worden, nabij te zijn en hen te steunen door hun broederlijk gebed. Alle christenen, en onder hen de ouders, moeten er zich op toeleggen roepingen in de gezinnen op te wekken, en de jongeren die zich geroepen voelen tot het priesterschap of het religieuze leven, te begeleiden. In deze geest verheug ik mij over het nieuwe elan dat u aan de verschillende Roepingendiensten hebt willen geven.

6. De huidige situatie heeft u ertoe gebracht de parochies te reorganiseren en te herstructureren, rekening houdend met de mogelijkheden die u ter beschikking staan, en met de pastorale noden. De parochie is niet zomaar een vereniging. Zij is een teken van de zichtbaarheid van de Kerk, en een haard waarin de communio tussen alle leden van de gemeenschap tot uitdrukking wordt gebracht. Zij is de basiseenheid die zich moet verzekeren van de belangrijke ambten van de kerkelijke zending, maar die daarom een zekere capaciteit van levende krachten moet bezitten. Het is derhalve van belang dat deze reorganisaties rekening houden met het aantal gelovigen, met de mogelijkheid om de verschillende onontbeerlijke pastorale diensten te garanderen, en met het netwerk van mensen dat een deel van haar vitaliteit ontleent aan de zondagse liturgie en aan de activiteiten van de parochie.

[6] vgl. *Pastores dabo vobis,* n. 62.

7. In uw rapporten brengt u uw ongerustheid en dat van een belangrijk deel van de Belgen tot uitdrukking met betrekking tot de ontwikkelingen in de maatschappij. U benadrukt de groei van de verschijnselen van armoede, die verbonden zijn aan de economische conjunctuur en aan de toename van de werkeloosheid, en die een toename van alle vormen van misdaad voortbrengen en de verleiding om aan de toekomst te wanhopen. U stelt ook de vervlakking van de morele waarden vast, die aan de basis liggen van een geordend persoonlijk leven, van de onderlinge relaties tussen uw medeburgers, van de noodzakelijke solidariteit binnen de nationale gemeenschap, en van de leiding van de *res publica.* De Kerk moet aandacht hebben voor alle mensen, in het bijzonder voor hen die aan de rand van de maatschappij leven. Ik spoor daarom de christenen aan om zich altijd meer in dienst van hun broeders en zusters te stellen, en om attent te zijn op de noodzaak van een rechtvaardige bijstand aan ieder, door een inzet op alle terreinen van het leven in de maatschappij, met een grote zin voor rechtschapenheid die eigen moet zijn aan eenieder die geroepen is om deel te nemen aan het beheer van het algemeen goed. Een dergelijke gang van zaken zal er ongetwijfeld toe bijdragen om het vertrouwen van uw landgenoten in de nationale instellingen meer en meer te bevestigen.

De Kerk dient er ook onvermoeibaar aan te blijven herinneren dat iedere mens beschermd moet worden, in het bijzonder de kinderen, die, juist omdat zij kwetsbaar en weerloos zijn, vaak het doelwit zijn van ontaarde volwassenen, die jonge kinderen ernstig en duurzaam schenden, om vrij spel te kunnen geven aan hun lusten. Op dit moment denk ik in het bijzonder aan de gezinnen die recentelijk getroffen zijn door misdadige gedragingen waarvan hun kinderen het slachtoffer geworden zijn. Geef hen de verzekering dat de Paus met hen verbonden is door het gebed, en dat hij zeer gevoelig is geweest voor de grote moed waarvan zij blijk hebben gegeven in hun smart, terwijl al hun landgenoten tot een diepgaande morele herleving en tot vergeving worden uitgenodigd.

8. De toekomst van de maatschappij plaatst al onze tijdgenoten voor een grote uitdaging op het ethische vlak; daarom is het passend om een aanzet te geven tot een hernieuwde morele bezinning, die aan eenieder elementen aanreikt voor onderscheiding, voor het oordeel over de morele juistheid van een daad, en voor een rechtschapen levenshouding.

In deze zin waardeer ik de krachtige en moedige uitspraken van de bisschoppen, die de aandacht hebben getrokken van de gelovigen en van

het gehele Belgische volk over de noodzaak van het respect voor de intrinsieke waardigheid van het menselijk leven, vanaf de bevruchting tot aan de natuurlijke dood. In ieder land heeft de Kerk de plicht om de stem van de zwaksten te laten horen, en om te pas en te onpas de morele waarden voor te houden die geen enkele wet straffeloos terzijde kan schuiven. Aan de andere kant, ook al identificeert de Kerk zich op geen enkele wijze met de politieke gemeenschap die zij respecteert, zij herinnert hen die een wettige dienst aan het volk vervullen en al onze tijdgenoten herhaaldelijk aan dat wat ten grondslag ligt van het handelen van individu en gemeenschap, en aan dat wat, in tegenstelling daarmee, de mens en de mensheid ernstig schade doet. Inderdaad, « met het uitoefenen van gezag beoogt men een juiste hiërarchie van waarden zichtbaar te maken, om zo ieders vrijheid en verantwoordelijkheid te bevorderen » en met het oog op het algemeen goed.[7]

8. Am Ende unserer Begegnung, liebe Brüder im Bischofsamt, bitte ich Euch, meinen herzlichen GruB den Priestern, Diakonen, Ordensleuten und Laien Eurer Gemeinden zu übermitteln. Versichert Sie meines Gebetes, dam.it sie in den gegenwartigen Schwierigkeiten die Hoffnung nicht verlieren und der Heilige Geist alle zu mutigen und prophetischen Handlungen ansporne, was für ihre Brüder und Schwestern ein herausragendes Zeichen sein soli für das Heil, das Christus gebracht hat, und für die Bekehrung, die Er in den Herzen bewirkt. Ich empfehle Euch der Fürsprache der Heiligen Eures Landes und erteile Euch und den Gliedern des Volkes Gottes, das Eurer pastoralen Sorge anvertraut ist, gern den Apostolischen Segen.

[7] ***Katechismus van de Katholieke Kerk,*** **n. 2236.**

III

Ad quosdam Hispaniae episcopos.*

Queridos Hermanos en el episcopado:

1. Es para mí motivo de gozo recibiros hoy, Arzobispos y Obispos de las Provincias eclesiásticas de Valladolid, Toledo, Mérida-Badajoz, Madrid y del Arzobispado Castrense, que habéis venido a Roma para renovar vuestra fe ante la tumba de los Apóstoles. Esta es la primera vez que la archidiócesis de Mérida-Badajoz, erigida en el último quinquenio, efectúa la visita « ad Limina », con la que todos los Obispos reafirman su vínculo de comunión con el Sucesor de Pedro.

Agradezco de corazón a Mons. José Delicado Baeza, Arzobispo de Valladolid, el saludo que me ha dirigido en nombre de todos y, a cada uno de vosotros, la" oportunidad que me ha proporcionado, en las entrevistas particulares, de conocer el sentir de las gentes a quienes servís como Pastores, participando así en el anhelo de que vuestra grey crezca « en todo hasta Aquel que es la Cabeza, Cristo

Con el fin de alentar vuestra solicitud pastoral, deseo ahora compartir con vosotros algunas reflexiones sugeridas por la situación concreta en que ejercéis el ministerio de dar a conocer y « anunciar el Misterio de Cristo ».[2]

2. Constato con satisfacción el esfuerzo que estáis realizando, tanto de manera conjunta como en las diversas diócesis, por forjar una comunidad eclesial llena de vitalidad y evangelizadora, que viva una profunda experiencia cristiana alimentada por la Palabra de Dios, la oración y los sacramentos, coherente con los valores evangélicos en su existencia personal, familiar y social, y que sepa manifestar su fe en el mundo, frente a la tentación de relegar a la sola esfera privada la dimensión trascendente, ética y religiosa del ser humano.

A ello habéis dedicado varios documentos de la Conferencia episcopal y, especialmente, los « Planes de acción Pastoral », que en los últimos años se han sucedido con regularidad y rigor de método. Vuestra preocu-

10. Prout e Dei manibus prodiit cosmos, ita eius pariter bonitatis gerit vestigium. Venustus est orbis, dignusque etiam admiratione et perfruitione, verum colendus est et enucleandus. Operis Dei « consummatio » hominis operibus mundum ipsum recludit: « ***complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat » (Gn*** 2,2). Per anthropomorphicam hanc « operis » divini commemorationem non modo lucis radium pandunt nobis Biblia in arcanam illam necessitudinem inter Creatorem creatumque mundum, sed proprium munus item collustrat quod habet homo erga totum orbem. Dei « opus » exemplum quadamtenus hominibus praebet. Non destinantur enim dumtaxat qui mundum incolant, verum « construant » quoque et sic Dei « cooperatores » fiant. Prima Genesis capita, quemadmodum Litteris in Encyclicis ***Laborem exercens*** scripsimus, aliquo modo primum efficiunt « evangelium laboris ».[10] Quam veritatem Concilium Oecumenicum Vaticanum II similiter inculcavit: « Homo enim, ad imaginem Dei creatus, mandatum accepit ut, terram cum omnibus quae in ea continentur sibi subiciens, mundum in iustitia et sanctitate regeret utque, Deum omnium Creatorem agnoscens, seipsum ac rerum universitatem ad Ipsum referret ita ut rebus omnibus homini subiectis, admirabile sit nomen Domini in universa terra».[11]

Mirabilis omnino eventus progredientis scientiae et technicae artis et culturae propriis in diversis affirmationibus — qui progressus velocior

[10] N. 25: *AAS* 73 (1981), 639.

[11] Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 34.

usque fit atque hodie etiam vertiginosus — fructus est, in orbis nostri annalibus, illius vocationis qua viro ac mulieri Deus officium concredidit onusque simul terram replendi eamque proprio sudore sibi subiciendi, observata tamen lege divina.

« Shabbat »: laeta Creatoris quies

11. Si homini prima in Genesis pagina exemplo est Dei « opus », tantundem est etiam ipsius « quies »: « ***Complevitque Deus die septimo opus suum*** » ***(Gn*** 2,2). Hic quoque ante anthropomorphismum consistimus qui nuntio fecundo praestat.

Dei enim requies non potest communiter accipi velut genus quoddam Dei « otii ». Creativus enim actus, qui totius causa est rerum universitatis, revera perpetuus est, suapte natura numquam operari Deus cessat, perinde ac studet Iesus ipse memorare proprie de sabbati praecepto eloquens: « Pater meus usque modo operatur, et ego operor» ***(Io*** 5,17). Septimi diei quies non otiantem indicat Deum, sed plenitudinem extollit operis effecti ac veluti moram Dei edicit ante opus «valde bonum» (cfr ***Gn*** 1,31) ipsius e manibus profectum, ut ad illud convertere possit ***oculos laetantis voluptatis plenos:*** qui oculi sunt ideo « contemplativi », qui iam non ad nova incepta vergunt sed de pulchritudine rerum perfectarum potius laetantur; hi quidem oculi in omnes intenduntur res, at in hominem particulatim totius creaturae apicem. Hic prospectus est, in quo quadamtenus iam licet dynamicam introspicere vim « sponsalem » illius necessitudinis quam instituere Deus cupit cum creatione suam ad imaginem condita et quam incitat ut secum amoris foedus ineat. Et hoc illud est quod postea paulatim effecturas exit, in toto illo salutis prospectu omnibus hominibus exhibito, per salutiferum foedus cum Israele statutum in Christoque deinde consummatum: Verbum ipsum incarnatum ex dono eschatologico Sancti Spiritus atque ipsius Ecclesiae constitutione veluti sui corporis suaeque sponsae, misericordiae donum atque amoris Patris propositum hominibus universis erit praebiturum.

12. Distinctio in Creatoris consilio consistit, at simul etiam solida coniunctio, ordinis creationis et ordinis salutis. Iam illud in Vetere Testamento effertur cum mandatum super « shabbat » refertur non modo ad arcanam illam Dei «requiem» post dies actionis creatricis (cfr ***Ex*** 20,8-11), sed etiam ad salutem Israeli ab eo adlatam ***in liberatione ex Aegyptia servitute*** (cfr ***Dt*** 5,12). Qui septimo die requiescit suam laetans ob creaturam Deus, idem

gloriam suam propriis filiis a pharaonis oppressione liberandis demonstrat. Utroque enim in casu secundum prophetis gratissimam imaginem dici ille potest ***se sponsum coram sponsa exhibere*** (cfr ***Os*** 2,16-24; ***Ier*** 2,2; ***Is*** 58,4-8).

Ut quis autem ad penetraba illius « shabbat », quae est Dei « quies », pertingat, perinde ac nonnulla ipsius Hebraicae traditionis suadent elementa,[12] sponsalem percipiat oportet ardorem qui ab Vetere ad Novum Testamentum necessitudinem Dei designat proprium ad populum. Illum declarat, verbi causa, mirifica haec Osee pagina: « Et percutiam eis foedus in die illa cum bestia agri et cum volucre caeli et cum reptili terrae; et arcum et gladium et bellum conteram de terra et cubare eos faciam confidenter. Et sponsabo te mihi in sempiternum; et sponsabo te mihi in iustitia et iudicio et misericordia et miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide, et cognosces Dominum» (2,20-21).

« Et benedixit Deus diei septimo et sanctificavit illum » (*Gn *2,3)

13. De sabbato igitur praeceptum, quod primo in Foedere Dominicam novi aeternique Foederis praeparat, radices in altissimo Dei proposito habet. Hanc ipsam ob causam non prope dumtaxat mandata culturalia ponitur sicut tot in aliis fit praeceptis, verum intra Decalogum, nempe « decem verba » quae vitae moralis quasi columnas designant, ubique in hominis corde inscriptae. Hoc suscipiens mandatum in prospectu fundamentorum ethicae doctrinae, Israel ac deinde Ecclesia indicant se respicere illud non quandam regulam simplicem alicuius disciplinae religiosae pro communitate, sed ***praecipuam et irrevocabilem coniunctionis cum Deo significationem*** iam biblica revelatione nuntiatae et expositae. Hoc in rerum prospectu denuo Christianis reperiendum est hodie illud praeceptum. Si suapte natura congruit cum humana requietis necessitate, ex fide tamen altior eius sensus deducatur oportet ne commune consuetumque fiat neve prodatur.

14. Quietis itaque dies idcirco ante omnia talis est quod dies est a Deo « benedictus » ab Eoque « sanctificati » scilicet ab aliis diebus segregatus ut inter omnes « dies sit Domini ».

[12] **Interpretantur fratres nostri Hebraei sabbatum ex spiritali doctrina « nuptiarum », prout verbi causa ex locis elucet *Genesis Rabbah* X,9 et XI,8 (cfr J. Neusner, *Genesis Rabbah,* vol. I, Atlanta 1985, 107 et 117). Affectionis etiam nuptialis est carmen *Leka dòdi:* « Laetabitur de te Deus tuus, / ut cum sponsa sponsus laetatur [...]. In medium tui populi praedilecti fidelium / veni o sponsa, *shabbat* regina » *(Preghiera serale del sabato,* curante A. Toaff, Roma 1968-69, 3).**

Plene ut haec « Sabbati sanctificatio » comprehendatur in priore biblica creationis narratione, necesse est tota inspiciatur contexta oratio, unde luculenter constat quo pacto omnia, nihilo excepto, ad Deum sint reducenda. Tempora et spatia ad Eum pertinent. Non unius dumtaxat diei Deus est, sed omnium hominis dierum Deus.

Si itaque septimum diem peculiari benedictione « sanctificat » eumque insigniter « suum diem » efficit, hoc intelligi oportet intra dynamicum cursum totius dialogi de Foedere, immo vero ipsius dialogi « sponsalis ». Amoris enim diverbium est quod numquam interpellatum neque tamen unius tantum sonitus est: enodatur enim variis amoris numeris et sonis, ab ordinariis atque indirectis declarationibus usque ad intentissimas quas verba Scripturae proindeque testimonia tot mysticorum describere non dubitant imaginibus ex amoris nuptialis experimento deductis.

15. Universa reapse hominis vita omneque hominis tempus experienda sunt tamquam laus et gratiarum actio coram Creatore. Verum habitudo hominis ad Deum ***indiget etiam certis orationis explicitae momentis,*** cum illa necessitudo transit in dialogum intentum qui omnes personae rationes complectitur. « Dies Domini » est, per eminentiam, dies huius necessitudinis, quo ad Deum suum homo levât canticum seque totius creationis exhibet vocem.

Hanc omnino ob causam etiam ***requietis dies*** est: cursus saepius opprimentis ipsarum occupationum interruptio exprimit, significanti sermone « novitatis » atque « separationis », agnitionem dependentiae hominis et totius orbis a Deo. ***Universa sunt Dei!*** Dies Domini perpetuo revertitur ut hoc confirmet principium. Idcirco iucunde quidem explicatum est sabbatum veluti praecipuum elementum in illo quasi genere « architecturae sacrae » temporis quae biblicam revelationem signat.[13] Commonefacit ***ad Deum mundum pertinere et historiam,*** neque suo operi cooperatoris ipsius Creatoris in orbe potest homo sese devovere nisi continenter sibi huius veritatis est conscius.

« Recordandum » ad « sanctificandum »

16. Decalogi mandatum quo Deus Sabbati observationem iniungit prae se fert, in Libro Exodi, propriam quandam formulam: « Memento, ut diem Sabbati sanctifiées » (20,8). Et ulterius textus inspiratus rationem subminis-

[13] Cfr A.J. HESCHEL, *The sabbath. Its meaning for modem man* (22 ed. 1995), 3-24.

trat memorando Dei operam: « Sex [...] diebus fecit Dominus caelum et terram et mare et omnia, quae in eis sunt, et requievit in die septimo; idcirco benedixit Dominus diei Sabbati et sanctificavit eum» (v. 11). Priusquam quid ***faciendum*** imponatur, designat mandatum aliquid ***recordandum.*** Memoria magni illius principalisque Dei operis quod est creatio monet ut renovetur. Haec memoria totam hominis religiosam vitam pervadere debet ut tandem in illum conveniat diem quo homo ad ***requiescendum*** vocatur. Propriam ita significationem sacram quies sibi sumit: monetur fidelis non solum ut requiescat ***sicut*** Deus requievit, verum etiam ut requiescat ***in*** Domino, ad eum totam referens creaturam in laude, in gratiarum actione, in filiali coniunctione ac sponsali amicitia.

17. Huius «recordationis» mirabilium a Deo patratorum, quod ad sabbati quietem attinet, argumentum eminet etiam ex loco Libri Deuteronomii ubi praecepti ratio percipitur non tantum ex creationis opere quantum ex liberatione a Deo effecta in Exodo: « Memento quod et ipse servieris in Aegypto, et eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti et brachio extento: idcirco praecepit tibi, ut observares diem sabbati» (5,15).

Haec formula complere videtur superiorem illam: simul enim sumptae, sensum « diei Domini » patefaciunt intra unicum quendam theologiae creationis salutisque prospectum. Praecepti igitur doctrina non est in primis quaelibet operis ***interpellatio*** sed a Deo effectorum mirabilium ***celebratio.***

Quatenus recordatio haec, ***gratiis et laudibus erga Deum repleta,*** vivit, eatenus, die Domini requies hominis plenum suum habet intellectum. Inde enim ingreditur homo mensuram Dei « quietis » eiusque penitus est particeps, et sic adeo experiri potest illius laetitiae exclamationem quam, rebus omnibus effectis, expertus est Creator videns ea omnia quae fecerat « erant valde bona» ***(Gn*** 1,31).

A sabbato ad Dominicam

18. Quoniam ita tertium mandatum suapte natura ex memoria operum Dei salutarium dependebat, Christiani percipientes indolem propriam temporis novi extremique a Christo inaugurati, acceperunt primum diem post sabbatum tamquam festivum diem, cum eo Domini resurrectio accidisset. Etenim Christi paschale mysterium plenam condit revelationem ipsius mysterii originum, culmen historiae salutis et anticipationem eschatologicae terrarum consummationis. Quod in creatione Deus est operatus quodque

pro suo populo in Exodo perfecit, in Christi morte resurrectioneque suam assecutum est perfectionem, licet tantummodo in ***Parusia*** sempiternam suam habiturum sit declarationem, id est glorioso in Christi reditu. In eo plane impletur « spiritalis » sabbati sensus, quemadmodum sanctus Gregorius Magnus effert: « Verum autem sabbatum ipsum redemptorem nostrum Iesum Christum Dominum habemus ».[14] Quocirca laetitia illa, qua Deus primo humani generis in sabbato creaturam ex nihilo productam contemplatur, promitur illa ex laetitia qua Christus dominica paschatis die suis discipulis apparuit eisque pacis et Spiritus attulit donum (cfr ***Io*** 20,19-23). Namque hominum condicio cum eaque creatura tota quae « congemiscit et comparturit usque adhuc » ***(Rom*** 8,22) paschali in mysterio novum suum cognovit « exitum » adversus filiorum Dei libertatem qui cum Christo clamare valent «Abba, Pater» ***(Rom*** 8,15; ***Gal*** 4,6). Sub huius mysterii lumine, praecepti Veteris Testamenti de Domini die significatio cuncta redintegrata planeque revelatur in gloria quae in Christi resuscitati vultu refulget (cfr ***2 Cor*** 4,6). A « sabbato » transitur ad « prima sabbatorum », a septimo ad diem primum: ***Domini dies*** evadit ***dies Christi.***

CAPUT II

DIES CHRISTI

DIES DOMINI RESUSCITATI ATQUE SPIRITUS DONUM

Pascha hebdomadale

19. « Diem dominicum ob venerabilem resurrectionem Domini nostri Iesu Christi non solum in Pascha celebramus, verum etiam per singulos circulos hebdomadarum »:[15] sic saeculi V initio Innocentius I Pontifex scripsit, inveteratam iam agendi rationem testans, quae adoleverat a primis annis postquam Dominus resurrexerat. Sanctus Basilius memorat « sanctam dominicam resurrectione Domini honoratam, primitias omnium ceterorum dierum».[16] Sanctus Augustinus «Paschatis sacramentum» appellat dominicam.[17]

[14] ***Ep.*** **13, 1:** ***CCL*** **140 A, 992.**

[16] ***Ep. ad Decentium*** **25, 4, 7: PL 20, 555.**

[16] ***Homiliae in Hexaemeron*** **II, 8:** ***SC*** **26, 184.**

[17] **Cfr** ***In Ioannis evangelium tractatus*** **XX, 20, 2:** ***CCL*** **36, 203;** ***Epist.*** **55, 2:** ***CSEL*** **34, 170-171.**

Artum hunc dominicae cum Domini resurrectione nexum cunctae Ecclesiae tam Orientales quam Occidentales fortiter exstollunt. In Ecclesiarum Orientalium traditione potissimum unaquaeque dominica ava<7T<xo-tf¿oc 7¡fjipa est, dies scilicet resurrectionis,[18] atque hanc propter suam indolem cardo est totius cultus.

Huius continuatae universalisque traditionis sub lumine, plane intellegitur, quamlibet dies Domini, quemadmodum dictum est, in creationis ipso opere atque rectiusque in biblicae « quietis » Dei mysterio radices agat, peculiariter ad Christi resurrectionem esse tamen recurrendum, quo liquidius eius comprehendatur significatio. Id quidem in christiana dominica accidit, quae singulis hebdomadibus fidelium considerationi eorumque vitae paschalem eventum exhibet, a quo mundi salus manat.

20. Ad Evangelii concordem testificationem, Iesu Christi ex mortuis resurrectio «prima sabbatorum » accidit ***(Me*** 16,2.9; ***Lc*** 24,1; ***Io*** 20,1). Hoc ipso die Emmaus discipulis Resuscitatus est manifestatus (cfr ***Lc*** 24,13-35) atque undecim Apostolis, simul congregatis, apparuit (cfr ***Lc*** 24,36; ***Io*** 20,19). Post dies octo — sicut Ioannis Evangelium testatur (cfr 20,26) — discipuli iterum congregati erant, cum eis apparuit Iesus effecitque ut a Thoma agnosceretur, passionis signa ostendens. Dominica fuit dies quoque Pentecostes, prima dies octavae hebdomadis post Iudaeorum pascha (cfr ***Act*** 2,1), cum per Spiritus Sancti effusionem promissum adimpletum est quod Christus Apostolis post resurrectionem fecerat (cfr ***Lc*** 24,49; ***Act*** 1,4-5). Illa fuit dies primi nuntii ac primorum baptismatum: Petrus coadunatae turbae Christum surrexisse proclamavit atque nonnulli, « recepto sermone eius, baptizati sunt» ***(Act*** 2,41). Fuit epiphania Ecclesiae, quae ut populus manifestata est, in quem in unitate, praeter omnes diversitates, Dei filii dispersi confluunt.

Prima hebdomadis dies

21. Hoc super fundamentum, ab apostolicis inde temporibus, «prima sabbatorum dies », prima hebdomadis, ipsam Christi discipulorum vitam modulari coepit (cfr ***1 Cor*** 16,2). «Prima post sabbatum dies» fuit quoque dies quo Troados fideles « ob fractionem panis » conveniebant, cum Paulus discedens eos allocutus est ac miraculum patravit, ut Eutychum iuvenem

[18] **Haec ad resurrectionem relatio peculiariter in Russo sermone conspicitur, in quo dominica «resurrectio» *(voskresén'e)* appellatur.**

ad vitam revocaret (cfr *Act* 20,7-12). Apocalypsis liber usum testatur hanc primam hebdomadis diem appellandi dominicam diem (cfr 1,10). Haec iam una est ex notis qua Christiani ab iis qui circa sunt dignoscuntur. Id animadvertit ab ineunte usque secundo saeculo Bitiniae procurator, Plinius Iunior, Christianorum consuetudinem referendo « quod essent soliti stato die ante lucem convenire carmenque Christo quasi deo dicere ».[19] Verumtamen, cum Christiani « diem Domini » enuntiarent, huic vocabulo illam plenam tribuebant significationem, quae a paschali nuntio manat: « Dominus est Iesus Christus» *(Philp* 2,11: cfr *Act* 2,36; *1 Cor* 12,3). Eodem titulo compellabatur Christus quo Septuaginta interpretabantur, in Veteris Foederis revelatione, Dei nomen proprium, IHWH, quod nefas erat enuntiare.

22. Prima hac Ecclesiae aetate, dies septimanatim distributi plerumque in regionibus illis in quibus Evangelium diffundebatur haud noscebantur atque Graecorum Romanorumque Calendariorum dies festi cum christiana dominica non concordabant. Inde complures Christianis difficultates ortae sunt ad diem Domini servandum, utpote qui hebdomadalem haberet naturam. Hanc propter causam intellegitur cur ante solis ortum convenire coacti sint fideles.[20] In hebdomadalem rhythmum fidelitas necessario postulabatur, quandoquidem in Novo Testamento innitebatur itemque cum Antiqui Testamenti revelatione iungebatur. Libenter quidem id suis scriptis suisque concionibus extollunt Apologetae et Ecclesiae Patres. Paschale mysterium illis Sacrarum Scripturarum textibus collustrabatur, quos secundum sancti Lucae testimonium (cfr 24,27.44-47), ipse Christus resuscitatus discipulis explanavit. His praefulgentibus scriptis, diei resurrectionis celebratio symboli doctrinaeque vim adepta est, quae christiani mysterii integram omnem novitatem ostendere valeret.

Progrediens a sabbato seiunctio

23. Hanc quidem novitatem effert primorum saeculorum catechesis, quae operam dabat ut dominica pro Hebraeorum sabbato proprium haberet statum. Sabbati die Hebraeorum erat ad synagogam convenire et ab opere cessare, prout Lex imperabat. Apostoli, atque sanctus Paulus potissimum, ad synagogam itare primo quidem tempore perrexerunt ut Iesum

[19] *Epist.* 10, 96, 7.

[20] Cfr *ibid.* Quod attinet ad Plinii epistulam, etiam Tertullianus memorat *antelucanos coetus* in *Apologeticum* 2, 6: *CCL* 1, 88; *De corona* 3, 3: *CCL* 2, 1043.

Christum nuntiarent, « voces Prophetarum, quae per omne sabbatum leguntur » *(Act* 13,27) explicantes. Nonnullis in communitatibus animadverti poterat una simul sabbatum conservatum et dominicam celebratam. Mature tamen duo dies mox magis magisque praecise separari coepti sunt, praesertim ut illis urgentibus Christianis obsisteretur, qui, ex Iudaismo oriundi, ad antiquae Legis institutorum observantiam inclinabant. Sanctus Ignatius Antiochenus scribit: « Si igitur qui vetustis litteris scripturisque versati sunt ad novitatem spei venerunt iam sabbatum non observantes, sed secundum diem Domini viventes, ex quo die per eum eiusque mortem nostra est orta vita [...], quod est mysterium ex quo fidem recepimus et in quo consistimus ut veri putemur Christi discipuli, nostri unius Magistri, quomodo nos poterimus vivere sine ipso, quem etiam prophetae ut praeceptorem opperiebantur cuius servi cum essent Spiritu? ».[21] Atque sanctus Augustinus ex parte sua dicit: ideo etiam Dominus « diem in sua resurrectione signavit, qui post diem passionis eius tertius, in numero autem dierum post sabbatum octavus est, idemque primus ».[22] Dominicae ab Hebraeorum sabbato separatio in ecclesiali conscientia magis ac magis roboratur, at quibusdam historiae in aetatibus, cum festivae quieti nimis ponderis tribuatur, quaedam ad Domini diei « sabbatizationem » inclinatio inducitur. Haud quaedam Christianorum defuerunt partes, penes quas sabbatum et dominica veluti « duo dies fratres »[23] sunt servata.

Novae creationis dies

24. Dominicae christianae cum sabbati specie comparatio, Veteris Foederis propria, theologicas quoque magni momenti inquisitiones concitavit. In propatulo potissimum singularis nexus positus est qui inter resurrectionem et creationem intercedit. Sponte enim christiana vestigatio resurrectionem, quae «prima sabbatorum» evenit, cum prima die illius universalis hebdomadis (cfr *Gn* 1,1-2,4) iugavit, ad quam Genesis liber creationis eventum modulatur: est dies creationis et lucis (cfr 1,3-5). Vinculum hoc ad re-

[21] *Ad Magnesios* 9, 1-2: *SC* 10, 88-89.

[22] *Sermo 8 in octava Paschatis ad infantes* 4: *PL* 46, 841. Haec « primi diei » dominicae natura in Calendario liturgico Latino omnino exstat, ubi dies Lunae *secunda feria* appellatur, dies Martis *tertia feria* et ita porro. In Lusitano sermone verba similia reperiuntur.

[23] S. GREGORIUS NYSSENUS, *De castigatione: PG* 46, 309. In Maronitica quoque liturgia nexus extollitur inter sabbatum et dominicam, a « Sabbati Sancti mysterio » sumpto initio (cfr. M. Hayek, *Maronite (Eglise),* in *Dictionnaire de spiritualité,* X (1980), 632-644).

surrectionem intellegendam tamquam novae creationis initium alliciebat, cuius Christus gloriosus fuit primitiae, cum sit ille « primogenitus omnis creaturae» ***(Col*** 1,15), etiam «primogenitus ex mortuis» ***(Col*** 1,18).

25. Dominica reapse est dies quo magis Christianus ad memorandam vocatur salutem quam baptismus suppeditavit, qui eum novum in Christo hominem reddidit. Estis « consepulti ei in baptismo, in quo et conresuscitati estis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis» ***(Col*** 2,12; cfr ***Rom*** 6,4-6). Liturgia hanc dominicae baptismalem naturam extollit, tum cohortans ut baptismi, praeter quam in paschatis Pervigilio, illa quoque hebdomadis die celebrentur « qua Ecclesia Domini resurrectionem commemorat »,[24] tum suadens aquae benedictae aspersionem veluti paenitentialem ritum sub initio Missae, quae quidem baptismalem eventum revocat, in quo omnis christiana existentia oritur.[25]

Octavus dies, aeternitatis figura

26. Verumtamen, quod sabbatum septimus est hebdomadis dies, id effecit ut dies Domini sub lumine additicii symbolismi consideraretur, qui Patribus cordi fuit: Dominica, praeter quam quod dies primus est, « dies octavus » quoque est, qui scilicet, pro septenaria dierum consecutione, unicum et transcendentem locum obtinet, qui non modo temporis initium evocat, verum etiam « futuri saeculi » finem. Sanctus Basilius planum facit unicum prorsus diem significare dominicam, qui praesens tempus sequetur, diem scilicet sine fine qui neque vesperam neque matutinum tempus experietur, saeculum imperiturum quod veterascere non potest; Dominica constans ut vitae indeficientis nuntius, qui Christianorum usque concitat spem iisque itinerantibus animos addit.[26] Novissimum diem prospectans, qui symbolismum sabbatum praecipientem plene reddit verum, sanctus Augustinus Confessionum opus concludit so'xaTov dilucidans tamquam « pacem quietis, pacem sabbati, pacem sine

[24] ***Rituale Romanum,*** **Ordo Baptismi parvulorum, Praenotanda, 9; Ordo initiationis christianae adultorum, 59.**

[25] ***Missale Romanum,*** **Ordo aspersionis dominicalis aquae benedictae.**

[26] **Cfr** S. BASILIUS, ***De Spiritu Sancto*** **27, 66:** ***SC*** **17, 484-485. Cfr quoque** ***Epistola Barnabae*** **15, 8-9:** ***SC*** **172, 186-189;** S. IUSTINUS, ***Dialogus cum Tryphone Iudaeo*** **24. 138:** ***PG*** **6, 528. 793;** ORIGENES, ***Horn, in psalmos, Psalmus*** **118 (119), 1:** ***PG*** **12, 1588.**

vespera ».[27] Dominicae celebratio, quae « primus » simulque « octavus » est dies, Christianum ad vitae aeternae metam compellit.[28]

Christi-lucis dies

27. Hoc Christocentrico in prospectu, alia symbolica vis percipitur quam credentium cogitatio pastoralisque usus diei Domini tribuerunt. Etenim, prudens pastoralis institutio Ecclesiae suasit ut Dominicae beneficio nota illa « diei solis », qua hunc diem vocitabant Romani quaeque quibusdam in loquelis huius aetatis adhuc exstat,[29] christiana redderetur, cum fideles a blandimentis abstraherentur illarum religionum, quae solem putabant deum, huiusque diei celebratio ad Christum, humanitatis verum « solem », dirigeretur. Sanctus Iustinus, ethnicos alloquens, usitata verba adhibet ut significet Christianos coadunari « solis — ut dicitur — die »,[30] sed relata haec locutio novum sensum, vere evangelicum, inter fideles iam adepta est.[31] Christus namque lux est mundi (cfr ***Io*** 9,5; cfr etiam 1,4-5.9), atque dies quo eius resurrectio commemoratur fere est perennis repercussio, in hebdomadali temporis modulatione, huius epiphaniae gloriae ipsius. Dominicae argumentum, diei scilicet collustrati gloria Christi de morte triumphantis, in Liturgia quoque Horarum plane conspicitur,[32] quod potissimum extollitur, in nocturna vigilia quae apud orientales liturgias, Dominicam praeparat atque immittit. Hac die sese congregans, Ecclesia, a generatione in generationem, ipsum Zachariae stuporem adipiscitur, cum ad Christum oculos convertit, qui ab ea declaratur « sol oriens ex alto, illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent» ***(Lc*** 1,78-79), atque eodem exilit gaudio quo gavisus est Simeon, cum accipit in ulnas divinum Puerum, qui venit sicut « lumen ad revelationem gentium » ***(Lc*** 2,32).

[27] ***Confessionum libri XIII*** 50: ***CCL*** 27, 272.

[28] Cfr S. AUGUSTINUS, ***Epist.*** 55, 17: ***CSEL*** 34, 188: «Ita ergo erit octavus, qui primus, ut prima vita sed aeterna reddatur ».

[29] Sic Britanni ***Sunday*** et Germani ***Sonntag*** dicunt.

[30] ***Apologia I,*** 67: ***PG*** 6, 430.

[31] Cfr S. MAXIMUS TAURINENSIS, ***Sermo*** 44, 1: ***CCL*** 23, 178; ID., ***Sermo*** 53, 2: ***CCL*** 23, 219; EUSEBIUS A CAESAREA, ***Comm. in Ps*** 91: ***PG*** 23, 1169-1173.

[32] Cfr hymnus ad Laudes Dominicarum temporis ordinarii: ***Dies aetasque ceteris / octava splendei sanctior / in te quam, Iesu, consecras / primitiae surgentium*** (I hebd.); etiam: ***Salve dies, dierum gloria, / dies felix Christi victoria, / dies digna iugi laetitia / dies prima. / Lux divina caecis irradiât, / in qua Christus infernum spoliât, / mortem vincit et reconciliat / summis ima*** (II hebd.). Similes locutiones inveniuntur in hymnis quos Liturgia Horarum recepit variis in vernaculis sermonibus.

Doni Spiritus dies

28. Lucis dies, dominica, Spiritu Sancto spectato, « ignis » dies dici etiam potest. Lux enim Christi arte cum Spiritus « igne » nectitur, atque utraque imago dominicae christianae designat sensum.[33] Paschali vespera Apostolis apparens, Iesus insufflavit in eos et dixit: «Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remissa sunt eis; quorum retinueritis, retenta sunt» ***(Io*** 20,22-23). Spiritus effusio magnum fuit donum, quod Resuscitatus ipsa paschali dominica discipulis dedit. Dies quoque dominica fuit, cum quinquaginta diebus post resurrectionem, Spiritus in Apostolos cum Maria congregatos tamquam « spiritus vehemens » atque « ignis » cum potentia descendit. Pentecostes non modo est primigenius eventus, sed mysterium quod continenter Ecclesiam animat.[34] Si quidem hic eventus praestans suum tempus liturgicum in annua celebratione obtinet qua « magna dominica »[35] concluditur, is suum propter cum paschali mysterio vinculum cuiusque dominicae alto sensui insertus quoque manet. « Hebdomadis Pascha » quodam modo sic « Pentecoste hebdomadis » fit, qua Christiani denuo laetum Apostolorum cum Resuscitato occursum experiuntur, dum se Spiritus afflatu animari patiuntur.

Fidei dies

29. Has propter rationes quibus denotatur, dominica ostenditur ***dies fidei*** praestans. In eo Spiritus Sanctus, viva Ecclesiae « memoria » (cfr ***Io*** 14,26), primam Resuscitati manifestationem quandam reddit eventum qui in ipso «hodie » cuiusque Christi discipuli renovatur. Pro eo stantes, in dominicali conventu, fideles sicut Thomas apostolus se compelían sentiunt: «Infer digitum tuum huc et vide manus meas et affer manum tuam et mitte in latus meum, et noli esse incredulus sed fidelis! » ***(Io*** 20,27). Utique, dominica est fidei dies. Hoc confirmatur eo quod eucharistica dominicae liturgia, sicut praeterea sollemnitatum liturgicarum, fidem profitendam secum fert. «Symbolum» dictum vel cantatum, baptismalem paschalemque dominicae indolem patefacit, illum efficiendo diem quo, peculiari titulo, baptizatus suam Christo eiusque Evangelio adhaesionem renovat in baptismi promissorum iterum concitata conscientia.

[33] CLEMENS ALEXANDRINUS, ***Stromata*** **VI, 138, 1-2:** ***PG*** **9, 364.**

[34] **Cfr** IOANNES PAULUS II, **Litt. Enc.** ***Dominum et vivificantem*** **(18 Maii 1986), 22-26:** ***ASS*** **78 (1986), 829-837.**

[35] **Cfr S.** ATHANASIUS ALEXANDRINUS, ***Epistulae heortasticae*** **1, 10:** ***PG*** **26, 1366.**

Verbum accipiens et Domini Corpus suscipiens, ipse Iesum resuscitatum contemplatur, qui adest in «sanctis signis», atque cum Thoma confitetur: «Dominus meus et Deus meus! » ***(Io*** 20,28).

Dies quo carere non possumus

30. Quocirca tandem intellegitur cur, nostrae aetatis quoque consideratis difficultatibus, huius diei proprietas servari ac potissimum teneri penitus debeat. Orientis quidam scriptor ineuntis III saeculi narrat in omnibus regionibus fideles iam tum celebrare ex more dominicam.[36] Libera consuetudo exinde norma facta est, quam lex sanxit: dies Domini historiam modulatus est duorum milium annorum Ecclesiae. Quin cogitemus eum futuro quoque de tempore pergere? Difficultates, quae nostra aetate haud expeditius reddere possunt dominicale officium implendum, Ecclesiam reperiunt sensibilem atque materno ex more de filiorum condicionibus sollicitam. Ipsa potissimum animadvertit se ad novam catecheticam pastoralemque operam vocari, ut nemo eorum, in suetis vitae condicionibus, copioso gratiarum fluxu careat quem diei Domini celebratio secum fert. Eadem mente permotum, suam sententiam proferens de quibusdam consiliis, quae Calendarii reformationem prae Calendariorum civilium systematum mutationibus afficiebant, Concilium Oecumenicum Vaticanum II hoc declaravit: « iis tantum Ecclesia non obsistit, quae hebdomadam septem dierum cum dominica servant et tutantur».[37] Tertio millennio adveniente, dominicae christianae celebratio, pro eo quod significat et rationibus quas secum fert, fundamentis ipsis fidei spectatis, identitatis christianae peculiare quiddam perstat.

CAPUT III

DIES ECCLESIAE

EUCHARISTICA COADUNATIO DOMINICAE COR

Resuscitati praesentia

31. «Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » ***(Mt*** 28,20). Quod Christus pollicitus est id ab Ecclesia usque audi-

[36] **Cfr** BARDESANES, ***Dialogus de fato*** 46: ***PS*** 2, 606-607.

[37] **Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium,* Appendix: de Calendario recognoscendo declaratio.**

tur velut arcanum quoddam fecundum eiusdem vitae ipsiusque spei fons. Si dominica est dies resurrectionis, ipsa non est memoria tantum praeteriti eventus: vivae Resuscitati praesentiae inter suos est celebratio.

Ut haec praesentia enuntietur congruenterque vivatur, non sufficit Christi discipulos personaliter precari atque intus recordari, in cordis recessu, Christi mortem ac resurrectionem. Quotquot namque baptismi gratiam receperunt, haud ut individui salvati sunt, sed ut Corporis mystici membra, quae Dei Populum participant.[38] Magni momenti est eos convenire, ut plene Ecclesiae identitatem ostendant, sxxXyjriav; coadunationem scilicet factam a Domino resuscitato qui suam tradidit vitam ut « filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum» *(Io* 11,52). Ipsi «unum» facti sunt in Christo (cfr ***Gal*** 3,28), per Spiritus donum. Haec unitas exterius manifestatur, cum Christiani congregantur: tum ipsi plane fiunt conscii atque mundo testantur se redemptorum esse populum, qui constat « ex omni tribu et lingua et populo et natione » *(Apc* 5,9). In Christi discipulorum conventu per temporis spatium primae christianae communitatis effigies continuatur, quam magnifice in Actibus Apostolorum pinxit Lucas, cum primi baptizati, ait ille, «erant... perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione, in fractione panis et orationibus » (2,42).

Eucharistica coadunatio

32. Haec vitae ecclesialis condicio in ***Eucharistia*** non modo peculiarem quandam invenit sese exprimendi vim, verum etiam quodam modo suum locum fontanum.[39] Eucharistia alit et Ecclesiam efformat: « Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes enim de uno pane participamur» *(1 Cor* 10,17). Hanc propter vitalem necessitudinem cum Corporis Sanguinisque Domini sacramento, Ecclesiae mysterium supremum in modum in Eucharistia enuntiatur, gustatur et vivitur.[40] Insita ecclesialis Eucharistiae ratio habetur quotiescumque ipsa celebratur. Sed liquidius die illa manifestatur cum universa communitas convocatur ut Domini resurrectionis memoriam recolat. Insigniter Catholicae Ecclesiae Catechismus sic do-

[38] **Cfr** CONC. OECUM. VAT. II, **Const. dogm. de Ecclesia** ***Lumen gentium,*** 9.

[39] **Cfr** IOANNES PAULUS II, **Epist.** ***Dominicae Cenae*** (24 **Februarii** 1980), 4: ***AAS*** 72 (1980), 120; **Litt.. Enc.** ***Dominum et vivificantem*** (18 **Maii** 1986), 62-64: ***AAS*** 78 (1986), 889-894.

[40] **Cfr** IOANNES PAULUS II, **Litt. Ap.** ***Vicesimus quintus annus*** (4 **Decembris** 1988), 9: ***AAS*** 81 (1989), 905-906.

cet: « Dominicalis celebratio diei et Eucharistiae Domini in corde est vitae Ecclesiae ».[41]

33. Etenim in Missa ipsa dominicali Christiani summopere denuo percipiunt quod paschali vespera Apostoli sunt experti, cum Resuscitatus illis una congregatis apparuit (cfr ***Io*** 20,19). In parvo illo discipulorum manipulo, Ecclesiae nempe primitiis, cunctorum temporum quodammodo Dei populus aderat. Per eorum testificationem in omnes fidelium generationes Christi salutatio insilit, messianici doni pacis dives, quam suo sanguine emit quamque una cum suo Spiritu donavit: « Pax vobis! ». Quod Christus « post dies octo » ***(Io*** 20,26) revertit ad eos, id radicitus significare et figurare potest usum communitatis christianae conveniendi octavo quoque die, « Domini die » vel Dominica, ut fidem erga eius resurrectionem profiteretur atque ab eo promissae beatitudinis fructus perciperet: « Beati, qui non viderunt et crediderunt! » ***(Io*** 20,29). Artus hic inter Resuscitatum manifestatum et Eucharistiam nexus Lucae Evangelio delineatur, dum de duobus discipulis Emmaus dicit, quibus Christus ipse comitatus est, cum eos ad Verbum intellegendum dirigeret ac demum cum eis discumberet. Ii eum agnoverunt cum « accepit panem et benedixit ac fregit » (24,30) et porrexit illis. Iesu gestus hac in narratione iidem sunt quos ipse in Novissima Cena gessit, cum luculenta sit « fractionis panis » denotatio, quemadmodum in prima Christianorum progenie nominabatur Eucharistia.

Dominicalis Eucharistia

34. Utique, dominicalis Eucharistiae statutum haud est dissimile illius cotidianae celebrationis neque a tota liturgica sacramentalique vita dissociari potest. Haec sua natura quaedam Ecclesiae est epiphania,[42] quae perinsigne reperit momentum, cum dioecesana communitas una cum pastore suo precans coadunatur sibi persuasum habens: « Praecipuam manifestationem Ecclesiae haberi in plenaria et actuosa participatione totius plebis sanctae Dei in iisdem celebrationibus liturgicis, praesertim in eadem Eucharistia, in una oratione, ad unum altare cui praeest Episcopus a suo pres-

[41] **N. 2177.**

[42] **Cfr** IOANNES PAULUS II, **Litt. Ap.** *Vicesimus quintus annus* **(4 Decembris 1988), 9:** *AAS* **81 (1989), 905-906.**

byterio et ministris circumdatus ».[43] Cum Episcopo totaque ecclesiali communitate vinculum in unaquaque eucharistica celebratione inest, etsi Episcopus non praesidet, quae in quolibet hebdomadis die celebratur. Id in eucharistica prece per Episcopi mentionem significatur.

Attamen dominicalis Eucharistia, quia communitatem adesse iubet atque peculiarem sollemnitatem inducit propterea quod celebratur « die illo cum Christus mortem vicit efficitque nos suae vitae immortalis participes t),[44] alia etiam vi suam ecclesialem faciem enuntiat, se veluti exemplar pro ceteris eucharisticis celebrationibus exhibens. Quaelibet communitas cuncta sua membra « fractionis panis » gratia congregans, se ipsam experitur veluti locum in quo Ecclesiae mysterium reapse efficitur. In ipsa celebratione communioni cum Ecclesia universali[45] communitas panditur, Patrem dum implorat ut « Ecclesiam in totum terrarum orbem diffusam » recordetur efficiatque ut ea in unitate omnium fidelium cum Pontifice atque cum Pastoribus singularum Ecclesiarum adolescat, usque ad amoris perfectionem.

Ecclesiae dies

35. ***Dies Domini*** sic etiam ***dies Ecclesiae*** revelatur. Tum intellegitur cur celebrationis dominicalis communitaria ratio, pastorali re spectata, valde aestimari debeat. Sicut alias memoravimus, complures inter operas quas paroecia agit, « nulla est tam vitalis vel institutoria quam dominicalis celebratio diei dominici eiusque Eucharistiae ».[46] Hoc sensu Concilium Oecumenicum Vaticanum II necessitatem confirmat operam dandi ut « sensus communitatis paroecialis, imprimis vero in communi celebratione Missae dominicalis, floreat ».[47] Eiusdem sententiae sunt liturgica consilia subsequentia, quippe quae postulent ut die dominica ac festis diebus eucharisticae celebrationes, quae generatim in aliis templis oratoriisque aguntur, cum paroecialis templi celebrationibus componantur, et hoc quia « sensum communi-

[43] CONC. OECUM. VAT. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium,* 41; cfr Decr. de officio pastorali Episcoporum in Ecclesia *Christus Dominus,* 15.

[44] Sunt verba embolismi qui hac aliave locutione ponitur intra quasdam eucharisticas preces diversarum linguarum. Quae verba perspicue dominicae « paschalem » naturam exprimunt.

[45] Cfr CONGR. PRO DOCTRINA FIDEI, Litterae ad Catholicae Ecclesiae Episcopos de aliquibus aspectibus Ecclesiae prout est communio *Communionis notio* (28 Maii 1992), 11-14: *AAS* 85 (1993), 844-847..

[46] IOANNES PAULUS II, *Allocutio ad tertium Foederatarum Civitatum Americae Septemtrionalis Episcoporum coetum* (17 Maii 1998), 4: *L'Osservatore Romano,* 18 Martii 1998, 4.

[47] Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium,* 42.

tatis ecclesialis, qui speciali modo in communi celebratione Missae diei dominicae nutritur et exprimitur, foveri decet cum circa Episcopum, praesertim in ecclesia cathedrali, tum in coetu paroeciali, cuius pastor vices Episcopi gerit ».[48]

36. Dominicalis coetus praestans est unitatis locus: etenim ***sacramentum unitatis*** celebratur quod penitus Ecclesiam designat, populum scilicet « a » atque « in » Patris, Filii et Spiritus Sancti unitate congregatum.[49] In ea christianae familiae unam ex maximis significationibus suae identitatis suique « ministerii » « ecclesiarum domesticarum » experiuntur, cum parentes una cum liberis unicam Verbi vitaeque Panis mensam participant.[50] Hac de re memoretur oportet parentum in primis esse filios de Missa dominicali participanda docere, catechistis iuvantibus, qui operam dare debent ut curriculo institutorio puerorum sibi commissorum Missae initiationem addant, rationem conspicuam collustrantes observandi hoc praeceptum. Id iuvabit, cum quaedam suadent condiciones, Missae pro pueris celebratio, variis spectatis modis ad liturgiae normas.[51]

In dominicali Missa paroeciae qua « communitatis eucharisticae »[52] ex consuetudine quidem evenit ut coetus adsint, motus, consociationes, parvae ipsae communitates religiosae. Hoc vero dat copiam experiendi id quod longe illis commune est, praeter peculiares vias spiritales pastoralesque, quibus legitime designantur, iudicio ecclesialis auctoritatis retento.[53] Hanc ob causam die dominica, conventus die, parvorum sodaliciorum Missae haud sunt promovendae: non agitur enim dumtaxat de hoc vitando, ne scilicet paroeciales congressiones necessario sacerdotum ministerio careant, sed de procurando, ut vita communitatisque paroecialis unitas penitus protegantur et

[48] S. CONGR. RITUUM, **Instr, de cultu mysterii eucharistici *Eucharisticum mysterium* (25 Maii 1967), 26: *AAS* 59 (1967), 555.**

[49] **Cfr** S. CYPRIANUS, ***De orat. dom.* 23: PL 4, 553;** ID., ***De cath. Eccl. unitate,* 7: *CSEL* 3-1, 215;** CONC. OECUM. VAT. **II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 4; Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium,* 26.**

[50] **Cfr** IOANNES PAULUS **II, Adhort. Ap. *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 57; 61: *AAS* 74 (1982), 151; 154.**

[51] **Cfr S.** CONGR. PRO CULTU DIVINO, ***Directorium de Missis cum pueris* (1 Novembris 1973): *AAS* 66 (1974), 30-46.**

[52] **Cfr S.** CONGR. RITUUM, **Instr, de cultu mysterii eucharistici *Eucharisticum mysterium* (25 Maii 1967), 26: *AAS* 59 (1967), 555-556; S.** CONGR. PRO EPISCOPIS, **Directorium de pastorali ministerio Episcoporum *Ecclesiae imago* (22 Februarii 1973), 86c: *Ench. Vat.* 4, 2071.**

[53] **Cfr** IOANNES PAULUS **II, Adhort. Ap. post-synodalis *Christifideles laici* (30 Decembris 1988), 30: *AAS* 81 (1989), 446-447.**

promoveantur.[54] Ad prudens Ecclesiarum particularium Pastorum iudicium pertinet permittere ut quibusdam certis in casibus huic propensioni forte derogetur, peculiaribus spectatis institutoriis pastoralibusque necessitatibus, dum singulorum vel sodaliciorum bonum, ac potissimum beneficia, quae cunctae christianae communitati obvenire possunt, considerantur.

Populus peregrinans

37. Ecclesia per temporis spatia iter faciente considerata, cognatio cum Christi resurrectione atque hebdomadaria huius memoriae sollemnis certa dies iuvant recordari ***peregrinantem naturam atque Populi Dei eschatologicam rationem.*** Etenim in dominicas Ecclesia ad novissimam « diem Domini » incedit, ad dominicam scilicet sine fine. Reapse Christi advenientis exspectatio in mysterio ipso Ecclesiae inscribitur[55] atque in quaque eucharistica celebratione exsurgit. At dies Domini, suam per peculiarem gloriae Christi resuscitati memoriam, maiore vi etiam futuram gloriam eiusdem « reditus » repetit. Id efficit ut dominica sit dies quo Ecclesia, « sponsalem » suam indolem clarius significando, naturam caelestis Ierusalem eschatologicam quodammodo antecapiat. In eucharisticum conventum suos filios congregans eosdemque instituens ad « divinum Sponsum » opperiendum, ipsa quasi « exercitium desiderii »[56] agit, in quo in antecessum caelorum novorum terraeque novae gaudium delibat, cum civitas sancta, nova Ierusalem, de caelo descendet, a Deo, «parata sicut sponsa ornata viro suo » ***(Apc*** 21,2).

Spei dies

38. Hoc in rerum prospectu, si dominica dies est fidei, haud minus est ipsa ***dies christianae spei.*** « Cenae Domini » participatio est enim eschatologici convivii « nuptiarum Agni » ***(Apc*** 19,9) anticipatio. Memoriale Christi celebrans, qui resurrexit et in caelum ascendit, exspectat communitas christiana « beatam spem et adventum Salvatoris nostri Iesu Christi ».[57] Hac hebdomadali ratione acta christiana spes atque alita, fit fermentum atque

[54] **Cfr S.** CONGR. PRO CULTU DIVINO, **Instr, de missis pro coetibus particularibus** ***Actio pastoralis*** (15 **Maii** 169), 10: ***AAS*** 61 (1969), 810.

[55] **Cfr** CONC. OECUM. VAT. **II, Const. dogm. de Ecclesia** ***Lumen gentium,*** 48-51.

[56] **« Haec est vita nostra, ut desiderando exerceamur »: S.** AUGUSTINUS, ***In prima Ioan. tract.*** 4, 6: ***SC*** 75, 232.

[57] ***Missale Romanum,*** **Embolismus quem Pater Noster praecedit,,**

lux ipsius humanae spei. Hac de causa, in « universali » oratione, non modo unius christianae communitatis colliguntur necessitates, verum cunctae humanitatis; Ecclesia, ad Eucharistiam celebrandam coadunata, hoc modo testatur mundo quod in eam recidunt « gaudium et spes, luctus et angor hominum huius temporis, pauperum praesertim et quorumvis afflictorum ».[58] Per eucharisticum porro sacrificium dominicale fere fastigium ponens testificationi quam, singulis hebdomadis diebus, eius filii, assidue operantes et varia vitae officia gerentes, per Evangelium nuntiatum caritatisque operam praebere student, Ecclesia clarius ostendit se esse « veluti sacramentum seu signum et instrumentum intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis ».[59]

Mensa Verbi

39. In conventu dominicali quemadmodum ceterum in singulis eucharisticis celebrationibus, per participationem utriusque mensae Verbi et Panis vitae fit Resuscitati occursus. Altera dat intellectum historiae salutis et in primis paschalis mysterii quod Iesus ipse resuscitatus discipulis ministravit: ipse est qui loquitur, qui in suo verbo adest, « dum sacrae Scripturae in Ecclesia leguntur ».[60] In altera redditur realis, substantialis perpetuaque Domini resuscitati praesentia per eius passionis resurrectionisque memoriale, atque ille panis vitae praebetur, qui est gloriae futurae pignus. Concilium Oecumenicum Vaticanum II memoravit: « Liturgia verbi et eucharistica, tam arte inter se coniunguntur, ut unum actum cultus efficiant ».[61] Idem Concilium etiam statuit: « Quo ditior mensa verbi Dei paretur fidelibus, thesauri biblici largius aperiantur ».[62] Imperavit insuper ne homilia in Missis dominicis perinde ac diebus festis de praecepto, nisi gravi de causa, omittatur.[63] Apposita haec praecepta fideliter sunt explicata in liturgiae reformatione, de qua Paulus VI, uberiorem Sacrarum Scripturarum lectionum copiam exhibitam dominicis festisque diebus commemorans, scripsit: « Quae sane

[58] CONC. OECUM. VAT. II, **Const past. de Ecclesia in mundo huius temporis** ***Gaudium et spes,*** 1.

[59] CONC. OECUM. VAT. II, **Const. dogm. de Ecclesia** ***Lumen gentium,*** 1; **cfr** IOANNES PAULUS II, **Litt. Enc.** ***Dominum et vivificantem*** (18 **Maii** 1986), 61-64: ***AAS*** 78 (1986), 888-894.

[60] CONC. OECUM. VAT. II, **Const. de sacra Liturgia** ***Sacrosanctum Concilium,*** 7; **cfr** 33.

[61] ***Ibid.,*** 56; **cfr** ***Ordo Lectionum Missae, Praenotanda,*** 10.

[62] **Const. de sacra Liturgia** ***Sacrosanctum Concilium,*** 51.

[63] **Cfr** ***ibid.,*** 52; ***Codex Iuris Canonici,*** **can.** 767 § 2; ***Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium,*** **can.** 614.

omnia hoc modo ordinata sunt, ut magis ac magis in Christifidelibus ea verbi Dei fames *(Am* 8,11) exstimuletur, qua, Spiritu Sancto duce, novi Foederis populus ad perfectam Ecclesiae unitatem veluti urgeri videatur ».[64]

40. Triginta annis post Concilium finitum, dum dominicalem Eucharistiam consideramus, oportet perpendatur quo pacto Dei Verbum proclametur itemque reapse crescantne, in Dei Populo, conscientia et Sacrae Scripturae amor.[65] Utraque facies, *celebrativa* scilicet et *exsistentialis,* arte inter se coniunguntur. Hinc facultas, quam Concilium dedit, proclamandi Dei Verbum per propriam communitatis participantis loquelam efficere debet ut « novam responsalitatem » erga eam percipiamus, « ut ex ipsa legendi vel canendi ratione eluceat indoles sacri textus propria ».[66] Illic necesse est Dei proclamati Verbi auditus in fidelium animis perbene per Scripturam apposite cognitam paretur atque, ubi ad pastoralem rationem fieri potest, *per certa biblicorum locorum vestigationum incepta,* respicientium festivas Missas potissimum. Si enim sacri textus lectio, quae orationis spiritu et apta ecclesiali explicatione agitur,[67] vitam singulorum familiarumque christianarum ex more non vivificat, difficile est solam Dei Verbi liturgicam proclamationem optatos fructus gignere posse. Quapropter dilaudanda sunt incepta illa quibus paroeciales communitates, per operam illorum qui Eucharistiam participant — sacerdotum, ministrorum fideliumque[68] — dominicalem liturgiam succedentibus hebdomadis diebus parant, in antecessum Dei Verbum quod proclamabitur recogitantes. Hoc destinatum habetur: ut omnis celebratio, prout est precatio, auditus, cantus, atque non homilia sola, dominicalis liturgiae nuntium quadamtenus ostendat, ita ut afficere possit efficacius quotquot participant. Ut liquet, multum demandatur iis quorum est verbi ministerium exercere. Illorum est percuriose parare verbi Domini interpretationem, sacrum textum inquirendo ac precando, fideliter eiusdem explicando sensum eumque ad hominum nostrae aetatis quaestiones vitamque accommodando.

41. Haud porro est obliviscendum *Verbi Dei liturgicam proclamationem,* potissimum eucharisticae congressionis in ambitu, non esse dumtaxat medi-

[64] Const. Ap. *Missale Romanum* (3 Aprilis 1969): *AAS* 61 (1969), 220.

[65] In Const. conciliari *Sacrosanctum Concilium,* 24, dicitur « *suavis et vivus Sacrae Scripturae affectus* ».

[66] IOANNES PAULUS II, Epist. *Dominicae Cenae* (24 Februarii 1980), 10: *AAS* 72 (1980), 136.

[67] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm de Divina Revelatione *Dei Verbum,* 25.

[68] Cfr *Ordo lectionum Missae, Praenotanda,* cap. III.

talionis atque catechesis momentum, verum esse ***Dei dialogum con eius populo,*** dialogum, inquimus, in quo salutis mirabilia proclamantur atque usque Foederis postulata iterantur. Ex parte sua Dei Populus ad sese huic dilectionis dialogo aequandum vocatur gratias agendo et laudando, sed eodem tempore propriam fidelitatem in continuatae « conversionis » nisu recognoscendo. Dominicalis congregatio ita se obstringit ad baptismi promissorum interiorem renovationem, quae quodammodo in symbolo recitato oblique feruntur, quaeque liturgia expresse requirit in vigiliae paschalis celebratione, vel cum in Missa baptismus ministratur. Hoc sub prospectu, Verbum in eucharistica dominicae celebratione proclamatum sollemnem illam vim acquirit, quam Vetus iam Testamentum postulabat cum Foedus renovabatur, cum lex proclamabatur et Israelitica communitas, sicut solitudinis populus sub radicibus Sina (cfr *Ex* 19,7-8; 24,3.7), ad suum « ita » iterandum vocabatur, suam renovans fidelitatis electionem erga Deum suamque ipsius praeceptis adhaesionem. Deus enim, cum suum verbum communicat, nostram exspectat responsionem: quam responsionem pro nobis per suum «Amen» dedit iam Christus (cfr *2 Cor* 1,20-22), quamque Spiritus Sanctus in nobis ita personare facit ut quod auditum est nostram vitam penitus afficiat.[69]

Corporis Christi mensa

42. Mensa Verbi natura sua in Panis eucharistici mensam influit atque communitatem praeparat, ut multiplices experiatur eius rationes, quae in dominicali Eucharistia admodum sollemnem speciem capiunt. Eo quod « Domini die » festive tota communitas convenit, Eucharistia luculentius proponitur quam ceteris diebus veluti magna « gratiarum actione », qua Ecclesia, Spiritu Sancto repleta, ad Patrem convertitur, dum se coniungit cum Christo et vox fit universae humanitatis. Hebdomadalis distributio suadet ut grata memoria dierum modo praeteritorum eventus colligantur, qui Dei sub lumine considerentur, cui gratiae agantur propter innumera eius beneficia, dum ipse glorificatur « per Christum, cum Christo et in Christo, in unitate Spiritus Sancti ». Communitas sic christiana sibi conscia rursus fit per Christum condita esse universa (cfr *Col* 1,16; *Io* 1,3) atque in eo, qui in forma servi venit ad nostram humanam condicionem participandam eamque redimendam, ipsa sunt recapitulata (cfr *Eph* 1,10), ut Deo Pa-

[69] Cfr *Ordo Lectionum Missae, Praenotanda,* I, 6.

tri offerantur, a quo omnia originem ducunt et vitam. Suum per « Amen » doxologiae eucharisticae adhaerens, Dei Populus in fide et spe ad eschatologicam procurrit metam, cum Christus «tradiderit regnum Deo et Patri ... ut sit Deus omnia in omnibus» ***(1 Cor*** 15,24.28).

43. Hic « ascendens » motus in omni eucharistica celebratione subest quam laetum eventum efficit, grato animo ac spe imbutum, sed is praesertim in dominicali Missa effertur suo peculiari nexu cum resurrectionis memoria. Laetitia ceterum « eucharistica », quae « sursum corda » fert, « motus descendentis » est fructus, quem Deus in nobis operatus est quique in Eucharistiae sacrificii natura inscriptus usque manet, quae stat xevcao-soç mysterii suprema significatio et celebratio, mysterii videlicet exinanitionis, per quam Christus « humiliavit semetipsum factus oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis » ***(Philp*** 2,8).

Missa enim ***sacrificii crucis viva est repraesentatio.*** Sub panis et vini specie, in quibus Spiritus effusio est invocata, qui efficaci prorsusque singulari modo per consecrationis verba operatur, Christus eodem immolationis actu ac in cruce Patri sese offert. « In divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit ».[70] Suo sacrificio nectit Christus Ecclesiae sacrificium. « In Eucharistia, sacrificium Christi fit sacrificium membrorum Eius corporis. Vita fidelium, eorum laus, eorum dolor, eorum oratio, eorum labor illis Christi Eiusque totali uniuntur oblationi, et sic novum acquirunt valorem ».[71] Haec totius communitatis participatio manifeste sane conspicitur in dominicali conventu, qui copiam dat ad aram cunctam hebdomadam deferendi una cum toto humano onere, quo ipsa denotatur.

Paschale convivium ac fraternus concursus

44. Hic exinde concors conventus in convivii potissimum paschalis natura manifestatur, quae Eucharistiae est peculiaris, in qua Christus ipse fit alimentum. Etenim « eo fine Christus sacrificium hoc Ecclesiae concredidit: ut fideles illud, et spiritualiter, per fidem et caritatem, et sacramentaliter, per sacrae communionis convivium, participent. Participatio vero Cenae dominicae semper est communio cum Christo sese Patri pro nobis in sacrifi-

[70] CONC. OECUM. TRIDENTINUM, ***Sess. XXII, Doctrina et canones de sanctissimo Missae sacrificio,*** **II: *DS,* 1743; cfr *Catechismus Catholicae Ecclesiae,* 1366.**

[71] ***Catechismus Catholicae Ecclesiae,*** **1368.**

cium offerente ».[72] Quocirca Ecclesia fideles ***cohortatur ut communionem recipiant cum Eucharistiam participant,*** dummodo idoneis praeditos condicionibus atque, si sunt de gravi peccato conscii, eiusdem remissionem receperint per Reconciliationis sacramentum,[73] illius rei animum habentes, quem sanctus Paulus Corinthiae communitati memorabat (cfr ***1 Cor*** 11,27-32). Communionis eucharisticae invitatio, ut liquet, Missa diei dominicae aliorumque dierum festivorum contingente magnopere acuitur.

Magni praeterea est momenti promptam habere conscientiam quantopere communio cum Christo cum fratrum communione arte nectatur. Dominicalis congregatio eucharistica quidam ***est fraternitatis eventus,*** quam luculenter extollere debet celebratio, dum liturgicae actionis propria ratio servatur. Id iuvant servitium acceptionis atque precationis species, quae totius communitatis de necessitatibus sollicitatur. Pacis signum, in Romano ritu ante eucharisticam communionem significanter positum, quod permutatur, est magni ponderis factum, quod fideles ad agendum invitantur veluti documentum consentionis a Dei Populo redditum de omnibus rebus in celebratione actis,[74] ac mutuae dilectionis signum manifestum, quod unum panem participando suscipitur, gravis Christi verbi instante memoria: « Si ergo öfferes munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare et vade prius reconciliare fratri tuo et tunc veniens offer munus tuum » ***(Mt*** 5,23-24).

A Missa ad « missionem »

45. Christi Panem vitae discipuli accipientes se praestant ad obeunda, Resuscitati eiusque Spiritus virtute, ***munera quae illos in vita ordinaria praestolantur.*** Unicuique Christifideli, re vera, qui intellexit sensum eorum quae expleverit, eucharistica celebratio non potest intra templum exhauriri. Christiani, sicut primi resurrectionis testes, quaque dominica convocati ad Resuscitati praesentiam vivendam et confitendam, vocantur ut in sua cuiusque vita cotidiana ***evangelizatores et testes*** fiant. Oportet ut oratio post

[72] S. CONGR. RITUUM, **Instr, de cultu mysterii eucharistici *Eucharisticum mysterium* (25 Maii 1967), 3b: *AAS* 59 (1967), 541; cfr Pius** XII, **Litt. Enc. *Mediator Dei* (20 Novembris 1947), II: *AAS* 39 (1947), 564-566.**

[73] **Cfr *Catechismus Catholicae Ecclesiae,* 1385; cfr quoque** CONGR. PRO DOCTRINA FIDEI, **Epistula ad Catholicae Ecclesiae Episcopos de receptione communionis eucharisticae a fidelibus qui post divortium novas inierunt nuptias (14 Septembris 1994): *AAS* 86 (1994), 974-979.**

[74] **Cfr** INNOCENTIUS **I, *Epist.* 25, 1 ad Decentium: *PL* 20, 553.**

communionem atque conclusionis ritus — benedictio et dimissio — hoc in conspectu, iterum detegantur et melius aestimentur, ut quotquot Eucharistiae participes fuerunt responsalitatem sibi concreditam altiore ratione sentiant. Post conventum solutum, Christi discipulus ad suum locum ordinarium revertitur conscientia sibi data totius vitae suae donum reddendi, veluti hostia spiritalis Deo placens (cfr ***Rom*** 12,1). Ille se debitorem animadvertit erga fratres de iis quae in celebratione accepit, non aliter ac discipuli Emmaus qui, cum Christum resuscitatum in « fractione panis » cognovissent (cfr ***Lc*** 24,30-32), necesse esse senserunt Ierusalem statim repetere ut cum fratribus communicarent occursus Domini laetitiam (cfr ***Lc*** 24,33-35).

Praeceptum dominicale

46. Cum Eucharistia cor sit Dominicae, intellegitur ob quam causam Pastores, inde a primis saeculis, recordari non desierint suis fidelibus ***necessitatem liturgicum conventum participandi.*** « Die dominica omnia seponentes — declarat, exempli gratia, tractatus tertio saeculo conscriptus cui titulus ***Didascalia Apostolorum*** — concurrite diligenter ad ecclesiam, quia vestra est laus Deo tributa. Nam qualem excusationem daturas est Deo, qui non convenit in eodem die audire salutare verbum et nutriri alimento divino in aeternum manente? ».[75] Pastorum adhortatio plerumque effecit ut fideles ex animo consentirent atque, etiamsi non defuerunt tempora et rerum adiuncta in quibus decidit optata illa mentium attentio ad huius officii impletionem, necesse est memorare germanam heroicam virtutem qua sacerdotes et Christifideles laici hoc munus observaverunt tot in discriminibus atque in religiosae libertatis censura, sicut patet inde a primis Ecclesiae saeculis usque ad aetatem nostram.

Sanctus Iustinus, prima in sua Apologia ad imperatorem Antoninum adque Senatum, quadam cum audacia conventus dominici christianum usum describere potuit, qui in eodem loco Christianos congregabat sive urbanos sive ruricolas.[76] Cum, Diocletiani flagrante vexatione, eorum conventus maxima severitate sint interdicti, plurimi exstiterunt animosi Christiani qui edictum imperiale provocaverint mortemque obierint ne Eucharistico sacrificio dominica die deessent. Haec fuit agendi ratio martyrum Abitinen-

[76] **II, 59, 2-3, ed. F.X. Funk, 1905, 170-171.**

[78] **Cfr S. IUSTINUS, *Apologia* I, 67, 3-5: *PG* 6, 430.**

sium, in Africa proconsulari, qui accusatoribus responderunt: « Securi dominicum celebravimus [...] Quia non potest intermitti dominicum [...]. Lex sic iubet »; « Sine dominico non possumus ». Quaedam ex martyribus confessa est: « Nam et in collecta fui, et dominicum cum fratribus celebravi, quia Christiana sum ».[77]

47. Numquam desiit Ecclesia habere hoc conscientiae praeceptum, quod interiori haeret necessitati, quam primorum saeculorum Christiani tam fortiter intellexerunt, etiamsi primo quidem tempore necessarium non duxit illud esse praecipiendum. Tantummodo seriore aetate, ob aliquorum animi remissionem neglegentiam que, officium dominicalis Missae participandae significantius definivit: saepius id operata est cohortando, nonnumquam tamen certis canonicis normis usa est. Quod factum est variis in particularibus Conciliis inde a quarto saeculo (ita in Concilio Elvirensi anno 300, ubi sermo non est de officio verum de poenarum consectariis si quis ter afuerat)[78] ac praesertim inde a saeculo sexto (quemadmodum factum est in Concilio Agdensi anno 506).[79] In universalem quandam consuetudinem certae obligationis transierunt haec Conciliorum particularium decreta, sicut aliquid omnino manifestum.[80]

Canonici Iuris Codex anno 1917 primum in legem universalem traditam consuetudinem convertit.[81] Vigens Codex eandem inculcat, affirmans: « Die dominica aliisque diebus festis de praecepto fideles obligatione tenentur Missam participandi ».[82] Huiusmodi lex plerumque accepta est uti officium grave complectens: quod etiam Catechismus Catholicae Ecclesiae edocet,[83] planeque intellegitur ratio si Dominicae pondus christiana in vita expendatur.

48. Perinde atque heroicis priscis temporibus, hodie compluribus in orbis regionibus difficiles perhibentur condiciones iis qui fidem suam con-

[77] *Acta SS. Saturnini, Dativi et aliorum plurimorum martyrum in Africa* 7, 9, 10: *PL S,* 707.709-710.

[78] Cfr can. 21, Mansi, *Conc.* II, 9.

[79] Cfr can. 47, Mansi, *Conc.* VIII, col. 332.

[80] Cfr propositio contraria, ab Innocentio XI condemnata anno 1679, circa moralem obligationem festum sanctificandi.

[81] Can. 1248: *Festis de praecepto diebus Missa audienda est;* can. 1247, 1: *Dies festi sub praecepto in universa Ecclesia sunt... omnes et singuli dies dominici.*

[82] *Codex Iuris Canonici,* can. 1247; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium,* can. 881 §§ 1.3, sic praecipit: «Christifideles obligatione tenentur diebus dominicis et festis de praecepto Divinam Liturgiam participandi aut secundum praescripta vel legitimam consuetudinem propriae Ecclesiae sui iuris celebrationem laudum divinarum ».

[83] N. 2181: *Qui deliberate hanc obligationem transgrediatur, grave committunt peccatum.*

gruenter vivere satagunt. Rerum adiuncta sunt nonnumquam aperte infensa, alias — et quidem saepius — incuriosa atque a nuntio evangelico abhorrentia. Nisi opprimi voluerit Christifidelis, oportebit eum inniti christiana communitate. Quapropter necesse est sibi persuadeat de decretorio momento pro sua fidei vita tribuendo dominico conventui aliis cum fratribus ad Domini Pascham in Novi Foederis sacramento concelebrandam. Singulari deinde modo Episcoporum est curam ponere ad « dominicum diem [...] ab omnibus Christifidelibus rite agnoscendum, colendum et celebrandum veluti verum 'diem Domini', quo Ecclesia congregatur ad eius paschalis mysterii memoriam faciendam verbum Dei audiendo, sacrificium dominicum offerendo, et insuper oratione, caritate et vacatione ab operibus diem sanctificando ».[84]

49. Quandoquidem fidelibus officium instat Missam participandi, nisi gravi impedimento prohibeantur, congruum etiam Pastoribus iniungitur officium ut veram praebeant omnibus facultatem eidem praecepto satisfaciendi. Hanc ad partem spectant iuris ecclesiastici regulae, qualis est, exempli causa, facultas ipsi sacerdoti tributa, licentia quidem dioecesani Episcopi antea recepta, pluries die dominica atque festivis diebus celebrandi Missam,[85] institutio Missarum vespertinarum[86] ac tandem etiam facultas statuendi designationem secundum quam utile tempus ad obligationem explendam iam die Saturni vespera incipere, temporum convenientia facta primis cum dominicae diei Vesperis.[87] Ad liturgicam consuetudinem enim dies festus incipit eiusmodi Sacris Vespertinis.[88] Propterea Missae liturgia nonnumquam « praefestivae » appellatae, quae vero reapse pleno iure « festiva» est, dominicae diei est, instante etiam celebrantis officio ut homiliam sacram habeat et cum fidelibus precationem universalem absolvat.

Commonebunt praeterea pastores Christifideles ut, ipsis peregrinantibus a propriis domiciliis dominica die, sacris intersint sollemnibus ubi versantur, localem sic locupletantes communitatem per suam ipsorum testificatio-

[84] S. CONGR. PRO EPISCOPIS, **Directorium de pastorali ministerio Episcoporum** ***Ecclesiae imago*** **(22 Februarii 1973), 86a:** ***Ench. Vat.*** **4, 2069.**

[85] **Cfr** ***Codex Iuris Canonici,*** **can. 905 § 2.**

[86] **Cfr Pius XII, Const. Ap.** ***Christus Dominus*** **(6 Ianuarii 1953):** ***AAS*** **45 (1953), 15-24; Motu proprio** ***Sacram Communionem*** **(19 Martii 1957):** ***AAS*** **49 (1957), 177-178.** CONGR. S. OFFICII **Instr, de disciplina circa ieiunium eucharisticum servanda (6 Ianuarii 1953):** ***AAS*** **45 (1953), 47-51.**

[87] **Cfr** ***Codex Iuris Canonici,*** **can. 1248 § 1;** ***Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium,*** **can. 881 § 2.,**

[88] **Cfr** S. CONGR. RITUUM, ***Normae universales de Anno liturgico et de Calendario,*** **3.**

nem. Simul vero oportebit has communitates fervidum exprimere hospitalitatis sensum erga fratres aliunde accedentes, in locis praesertim ad quae plures viatores et peregrinatores alliciuntur, quorum causa necesse saepe erit peculiaria capere consilia de adiutorio religioso praestando.[89]

Laetabilis participatio et canora

50. Momento illo considerato, quod ad Christifidelium vitam inducit dominicalis Missa, necesse est praeparetur illa peculiari cura. Ad normas pastorali prudentia usibusque locorum singulorum cum liturgica norma consentientibus postulatas, providendum est ut illi celebrationi festiva tribuatur indoles quae cum commemorativo Resurrectionis Domini die congruit. Hac de re magni ponderis est ad ***cantum coetus*** mentem intendere, quandoquidem hic singulari quidem ratione provocatur ad cordis laetitiam significandam, rei sacrae extollit sollemnitatem atque unicae fidei eiusdemque amoris communicationem provehit. Quam ob rem de musicae sacrae qualitate sollicitudo habenda est, tum quod ad textus spectat tum ad melodias, ut quidquid hodie novi et ingeniosi proponatur cum praeceptis congruat liturgicis atque illa ecclesiali honestetur traditione quae, in re musica sacra, merito inaestimabilis excellentiae patrimonium ostendat.

Celebratio illigans atque participata

51. Maxima praeterea danda erit opera ut universi adstantes — iuvenes et adulti — se includi sentiant, dum eorum favetur implicationi illis in participationis actibus quos suadet commendatque liturgia ipsa.[90] Eorum tamen proprium sane est, qui pro fratribus sacerdotali funguntur ministerio, eucharisticum conficere sacrificium idque Deo offerre universo pro populo.[91] Inseritur penitus hic distinctio illa, quae plus quam disciplinam solam excedit, propria inter celebrantis munera atque officia diaconibus fidelibusque

[89] **Cfr S.** CONGR. PRO EPISCOPIS, **Directorium de pastorali ministerio Episcoporum** ***Ecclesiae imago*** (22 **Februarii** 1973), 86: ***Ench. Vat.*** 4, 2069-2073.

[90] **Cfr** CONC. OECUM. VAT. II, **Const. de sacra Liturgia** ***Sacrosanctum Concilium,*** 14.26; IOANNES PAULUS II, **Litt. Ap.** ***Vicesimus quintus annus*** (4 **Decembris** 1988), 4.6.12: ***AAS*** 81 (1989), 900-901; 902; 909-910.

[91] **Cfr** CONC. OECUM. VAT. II, **Const. dogm. de Ecclesia** ***Lumen gentium,*** 10.

non ordinatis tributa.[92] Debent tamen novisse Christifideles quod, propter receptum in baptismate commune sacerdotium, « in oblatione Eucharistiae concurrunt ».[93] Ipsi enim, munerum habita distinctione, « divinam Victimam Deo offerunt atque seipsos cum Ea; ita tum oblatione tum sacra communione... omnes in liturgica actione partem propriam agunt»,[94] cum inde lucem hauriunt ac vim unde baptismale suum sacerdotium per orationem vitaeque sanctae testificationem compleant.

Christianae dominicae alia tempora

52. Eucharistiae participatio habetur quidem Dominicae cor, attamen officium eam « sanctificandi » nimis coartatur ad illam unam participationem. Dies Domini bene agitur, cum integer grata operosaque memoria salvificorum Dei gestorum notatur. Hoc quemque Christi discipulum obstringit ut etiam aliis diei momentis, extra liturgicum contextum transactis — quae sunt: vita familiae, sociales necessitudines, oblectandi occasiones — tribuat modum quendam qui adiuvet ad extollendam pacem Resuscitati laetitiamque in communibus vitae adiunctis. Parentum filiorumque admodum tranquilla conveniendi ratio, exempli gratia, opportunitas esse potest non solum ad mutuam auditionem sese aperiendi, sed etiam ad tempus quoddam institutorium maiorisque meditationis simul vivendum. Et cur, deinde, in rerum ordinem inseruntur, etiam in Christifidelium laicorum vitam, si quidem fieri potest, peculiaria ***precum proposita*** — ut sunt praesertim, sollemnis Vesperarum celebratio —, vel etiam quaedam ***catechesis momenta,*** quae in Dominicae vigilia vel Dominicae vespera in animo christiano proprium Eucharistiae donum praeparent et compleant? Haec satis traditionalis « diei dominicae sanctificandae » ratio forsitan multis in locis difficilior est facta; Ecclesia tamen suam declarat fidem in Resuscitati virtute atque in Spiritus Sancti potentia, dum demonstrat, hodie magis quam umquam, se non satiari minimis vel mediocribus consiliis in fidei ambitu, atque Christianos adiuvat ad implendum quod perfectissimum est Dominoque gratum. Ceterum, prope difficultates, non desunt bona signa et adhortationis plena. Spiritus dono intercedente, multis in ecclesiasticis locis nova animadvertitur

[92] **Cfr Instructio interdicasterialis de quibusdam quaestionibus circa fidelium laicorum cooperationem ad sacerdotum ministerium spectantem** ***Ecclesiae de mysterio*** (15 **Augusti** 1997), 6.8: *AAS* 89 (1997), 869.870-872.

[93] CONC. OECUM. VAT. **II, Const. dogm. de Ecclesia** ***Lumen gentium,*** 10.

[94] ***Ibid.,*** 11.

precis necessitas in multiplicibus eius formis. Religiositatis etiam antiqui modi denuo deteguntur, sicut peregrinatio, atque saepe Christifideles otio dominico utuntur ut sanctuaria adeant ad transigendum, interdum tota cum familia, altioris fidei experientiae tempus quoddam. Haec gratiae tempora apta evangelizatione sunt nutrienda veraque pastorali sapientia dirigenda.

Dominici conventus absente sacerdote

53. Quaestio superest in paroeciarum quae frui non possunt sacerdotis ministerio qui Eucharistiam celebret dominica die. Saepius hoc apud iuniores Ecclesias accidit, ubi unicus sacerdos pastoralem gerit fidelium curam latissima per loca disseminatorum. Urgentiores condiciones intercedere possunt etiam in Nationibus antiquae traditionis christianae, quotiens cleri penuria impedit ne in omni paroeciali communitate adsit sacerdos. Ecclesia, prae oculis habita impossibilitate celebrandi Eucharistiam, suadet ut etiam absente sacerdote dominici coetus congregentur,[95] secundum significationes et normas a Sede Apostolica editas atque Conferentiis Episcopalibus concreditas ut ad effectum deducantur.[96] Nihilominus propositum esse debet ipsa sacrificii Missae celebratio quae sola est vera commemoratio Paschatis Domini, quae sola omnino constituit coetum eucharisticum cui sacerdos ***in persona Christi*** praeest, panem Verbi nec non Eucharistiae frangens. In re pastorali omnia itaque necessaria capientur consilia ut fideles, qui plerumque iis privantur, valeant percipere quam saepissime eorum beneficia sive fovendo sacerdotis statis temporibus praesentiam sive auctoritatem tribuendo opportunitatibus omnibus ut congregatio ipsa aliquo medio loco instituatur ad quod diversi coetus aditum habent.

Difusiones radiophonicae et televisificae

54. Fideles tandem, qui impediuntur ob aegrotationem vel infirmitatem vel quamlibet aliam rationem, operam dabunt ut ex longinquo quo meliore possunt modo se cum Missae dominicalis celebratione coniungant, praesertim per lectiones ac precationes a Missali eo die praestitutas, sicut etiam

[95] Cfr *Codex Iuris Canonici,* can. 1248 § 2.

[96] Cfr S. CONGR. DE CULTU DIVINO, Directorium de celebrationibus dominicis absente presbytero *Christi Ecclesia* (2 Iunii 1988): *Ench. Vat.* 11,442-468; Instructio interdicasterialis de quibusdam quaestionibus circa fidelium laicorum cooperationem ad sacerdotum ministerium spectantem *Ecclesiae de mysterio* (15 Augusti 1997): *AAS* 89 (1997), 852-877.

per spiritale Eucharistiae desiderium.[97] Pluribus in Nationibus facultatem praebent televisio ipsa et radiophonium ut eo ipso momento aliquis cum eucharistica celebratione consocietur, quo ipsa in aliquo loco sacro peragitur.[98] Ut patet, ex se hoc emissionum genus non permittit ut praecepto diei dominicae satisfiat, utpote quod participationem ipsius coetus fratrum postulet per congregationem eodem in loco atque facultatem deinde recipiendi Eucharisticam communionem. Iis autem qui prohibentur ne Eucharistiam communicent proindeque a praecepto implendo liberantur, emissio televisifica aut radiophonica adiumentum magni momenti praebet, praesertim si magno animo completur officio ministrorum extraordinariorum qui ad infirmos Eucharistiam deferunt, quibus etiam salutationem et totius communitatis solidarietatem adierunt. Hoc quidem modo his Christianis etiam uberes fructus importat dominicalis Missa, ipsique propterea transigere possunt dominicam ipsam uti « diem Domini » et « diem Ecclesiae ».

CAPUT IV

DIES HOMINIS

DIES DOMINICUS: TEMPUS GAUDII, QUIETIS ET SOLIDARIETATIS

Christi « gaudium impletum »

55. « Benedictus qui magnum diem dominicum supra ceteros dies extulit. Caeli et terra, angeli et homines gaudio indulgent ».[99] Verba haec Maronitae liturgiae recte ostendunt vehementes gaudii conclamationes, quae constanter per saecula, sive in occidentali sive in orientali liturgia, dominicam designant diem. Ceterum, ut memoriae proditum est, priusquam requietis dies haberetur — praesertim quoniam tunc temporis in Calendario civili non praevisus erat —, Christiani vixerunt hebdomadalem diem Domini a mortuis resuscitati praesertim tamquam tempus gaudii. « Prima autem sab-

[97] Cfr *Codex Iuris Canonici,* can. 1248 § 2; CONGR. PRO DOCTRINA FIDEI, Epistula *Sacerdotium ministeriale* (6 Augusti 1983), III: *AAS* 75 (1983), 1007.

[98] Cfr PONTIFICIUM CONSILIUM INSTRUMENTIS COMMUNICATIONIS SOCIALIS PRAEPOSITUM, Instr. *Communio et progressio* (23 Maii 1971), 150-152.157: *AAS* 63 (1971), 645-646.647.

[99] Diaconalis acclamatio in honorem diei dominicae: cfr textus Syriacus in Missali secundum ritum Ecclesiae Antiochiae Maronitarum (in editione Syriaca et Arabica), Jounieh (in Libano) 1959, 38.

bati delectamini omni tempore » legimus in ***Didascalia Apostolorum.***[100] Quod quidem per idoneos gestus in actionibus quoque liturgicis evidenter ostendebatur.[101] Speciem quidem gaudii paschalis cuiusque hebdomadae sanctus Augustinus his verbis luculenter exprimit: « Propter hoc et ieiunia relaxantur, et stantes oramus, quod est signum resurrectionis. Unde etiam omnibus diebus dominicis... Alleluia canitur».[102]

56. Praeter singula signa ritualia quae procedente tempore de ecclesiali more mutari possunt, id tamen firmum manet, quod dominica die, quae primam Christi resuscitati experientiam singulis hebdomadis resonare facit, non potest non insigniri illo gaudio quo discipuli Magistrum exceperunt: « Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino » ***(Io*** 20,20). In illis adimplebatur, uti postea adimplebitur per omnes christianas generationes, illud effatum quod Iesus priusquam pateretur protulerat: « Vos contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium» ***(Io*** 16,20). Nonne Ipsemet oraverat ut discipuli «impletum gaudium» (cfr ***Io*** 17,13) haberent? Festiva Eucharistiae dominicalis indoles gaudium exhibet quod Christus per donum Spiritus Ecclesiae suae demandât. Gaudium quidem inter fructus Spiritus Sancti refertur (cfr ***Rom*** 14,17; ***Gal*** 5,22).

57. Ad diei dominicae sensum in plenitudine percipiendum, reperiatur oportet haec exsistentiae credentis mensura. Hoc gaudium profecto non tantum unum hebdomadae diem sed totam vitam involvere debet. Attamen dominica dies, ratione habita de significatione diei Domini resuscitati, qua divinum opus creationis nec non «novae creationis» celebratur, peculiarem ob notam dies est gaudii, immo dies opportunus ad gaudium ediscendum, genuinos detegendo tractus altasque radices. Quod quidem gaudium minime est confundendum cum inanibus satisfactionis vel delectationis sensibus, qui sensibilitatem affectionemque brevi tempore excitant, postea autem animum relinquunt displicentem sibi vel amaritudini obnoxium.

[100] V, 20, 11, ed. F.X. Funk, 1905, 298; cfr *Didachè* 14, 1, ed. F.X. Funk, 1901, 32; TERTULLIANUS, *Apologeticum* 16, 11: *CCL* 1, 116. Legatur praesertim *Epistola Barnabae* 15, 9: *SC* 172, 188-189: *Idcirco et diem octavum in laetitia agimus; quo et Iesus resurrexit a mortuis, et cum apparuisset, ascendit ad caelos.*

[101] Tertullianus verbi gratia nos edocet illis diebus dominicis vetitum esse genua flectere, quoniam haec positio, quae tunc temporis gestus paenitentiae habebatur, haud congruens cum die gaudii esse videbatur: cfr *De corona* 3, 4: *CCL* 2, 1043.

[102] *Ep.* 55, 28: *CSEL* 34/2, 202.

Christiano sensu perceptum, gaudium aliquid est quod diutius protrahitur et solacio repletur; vel obsistere potest, uti sancti testantur,[103] obscurae doloris noeti et, quodam modo, efficitur « virtus » colenda.

58. Nihilominus inter gaudium christianum et vera hominum gaudia non datur oppositio. Haec immo extolluntur et penitus gaudio nituntur Christi glorificati (cfr ***Act*** 2,24-31), qui, secundum Dei consilium, perfecta est imago et revelatio hominis. Sicut scripsit in Adhortatione de gaudio christiano Decessor Noster Paulus VI, « gaudium christianum essentialiter est spiritualis participatio illius gaudii inscrutabilis, divini simul et humani, quod in animo est Iesu Christi glorificati ».[104] Idem Pontifex sub finem Adhortationis adprecabatur ut Ecclesia die Domini ardenter testificaretur ipsum gaudium quo gavisi sunt Apostoli vespere Paschatis, cum Dominum suis oculis conspexerunt. Hortabatur itaque Pastores ut urgerent « baptizatorum fidelitatem ad Eucharistiam diebus dominicis festive laetanterque celebrandam. Quo enim modo hunc occursum neglegant, tantumque convivium, quod Christus suo pro amore nobis apparat? Haec igitur Eucharistiae participatio quam dignissime et cum iucunditate fiat! Ipse Christus, cruci affixus itemque glorificatus, graditur in medio discipulorum suorum, ut omnes pertrahat in renovationem resurrectione sua factam. Fastigium est hic Foederis amoris inter Deum eiusque populum: signum et fons christianae laetitiae est, itemque statio itineris ad aeternam ducentis sollemnitatem ».[105] Hoc in fidei prospectu, christiana dies dominica authentico sensu significat « festum agere », dies est a Deo homini data ad eius plenum humanum et spiritalem profectum.

Sabbati observantia

59. Haec christianae dominicae indoles peculiari modo in luce collocat mensuram impletionis sabbati Veteris Testamenti. In Domini die, quem Vetus Testamentum cum opere creationis (cfr ***Gn*** 2,1-3: ***Ex*** 20,8-11) atque cum Exodo (cfr ***Dt*** 5,12-15) nectit, Christianus vocatur ad novam creationem nuntiandam novumque foedus, quae in paschali Christi mysterio sunt impleta. Creationis celebratio, potius quam abrogetur, perspicitur sub Chris-

[103] Cfr S. TERESIA A IESU INFANTE ET A SACRO VULTU, ***Derniers entretiens,*** 5-6 **Iulii** 1897, **in:** ***Oeuvres complètes,*** **Cerf - Desclée de Brouwer, Paris** 1992, 1024-1025.

[104] **Adhort. Ap.** ***Gaudete in Domino*** (9 **Maii** 1975), II: ***AAS*** 67 (1975), 295.

[105] ***Ibid.,*** VII, ***l.m.*** **(conclusio),** 322.

tocentrico prospectu, sub lumine nempe divini consilii, quod est « recapitulare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra, in ipso» ***(Eph*** 1,10). Vicissim, plenus quoque tribuitur sensus memorabili eventui liberationis in Exodo peractae, qui convertitur in memorabilem eventum redemptionis universalis a Christo mortuo et a mortuis resuscitato expletae. Dominica dies itaque, potius quam sabbati « substitutio », plena est eius impletio et quodam modo eius diffusio eiusque absoluta significatio, quatenus refertur ad historiae salutis iter, quod in Christo fastigium suum attingit.

60. Ad hanc rationem biblica theologia vocis « shabbat », quin ullum afferat detrimentum naturae christianae diei dominicae, in integrum restitui potest. Ea nos semper reducit, stupore minime remisso, in illud arcanum exordium, quo aeternum Dei Verbum, libero amoris consilio, ex nihilo mundum eduxit. Sigillum creatricis operae fuit benedictio et consecratio illius diei, quo Deus «requievit ab universo opere, quod patrarat» ***(Gn*** 2,3). Ex quo die Deus quievit, sensum acquirit tempus, quod, labentibus hebdomadis, non tantum chronologicum rhythmum, sed, ut ita dicamus, halitum quendam theologicum assumit. Perennis diei « shabbat » reditus tempus enim eripit a periculo sese in seipsum flectendi, ut pateat conspectui aeternitatis, per Dei receptionem eiusque xoupouç temporum, scilicet gratiae eiusque salutis interventum.

61. «Shabbat», septimus dies benedictus et a Deo consecratus, dum integrum concludit creationis opus, immediate nectitur cum opere diei sexti, quo Deus hominem fecit « ad imaginem et similitudinem suam » (cfr ***Gn*** 1,26). Haec magis immediata inter «diem Dei» et «diem hominis» necessitudo Ecclesiae Patres non latuit biblicam creationis narrationem meditantes. Ad rem S. Ambrosius asserit: « Gratias ergo Domino Deo nostro qui huiusmodi opus fecit in quo requiesceret. Fecit caelum, non lego quod requieverit; fecit terram, non lego quod requieverit; fecit solem, lunam et Stellas, nec ibi lego quod requieverit: sed lego quod fecerit hominem, et tunc requievit, habens cui peccata dimitteret ».[106] Ita « dies Dei » semper cum « die hominis » immediate coniungetur. Cum Dei praeceptum dicit: « Memento, ut diem sabbati sanctifiées» ***(Ex*** 20,8), requies praescripta ad diem Ipsi dicatum honorandum habenda non est quidem veluti onerosa iniunctio homini facta, sed potius subsidium quo ille vitalem et liberantem dependentiam a Creatore percipiat et vocari se sentiat ad eius operam participandam

[106] ***Hex.*** 6, 10, 76: ***CSEL*** 32/1, 261.

eiusque gratiam accipiendam. Homo, « requiem » Dei venerando, iterum plene seipsum invenit, itaque dies Domini exhibetur divina benedictione omnino insignitus (cfr ***Gn*** 2,3), atque praeditus eius virtute, uti animalia et homines (cfr ***Gn*** 1,22.28), quodam «fecunditatis» genere. Quae quidem exprimitur per novatum vigorem et, quodam sensu, per « multiplicationem » ipsius temporis, augescendo in homine, dum viventem Deum memorat, gaudium vivendi voluntatemque promovendi et donandi vitam.

62. Christianus ergo memoret oportet quod, quamvis sabbati Hebraici condiciones sunt deletae, per dominicam observantiam superatae, validae tamen remanent rationes essentiales quae sanctificationem « diei Domini » postulant: rationes sollemnitate Decalogi statutae, quae lectitentur necesse est sub lumine theologiae et spiritalitatis diei dominicae: « Observa diem sabbati, ut sanctifiées eum, sicut praecepit tibi Dominus Deus tuus. Sex diebus operaberis et facies omnia opera tua. Septimus dies sabbatum est Domino Deo tuo. Non facies in eo quidquam operis tu et filius tuus et filia, servus et ancilla et bos et asinus et omne iumentum tuum et peregrinus tuus, qui est intra portas tuas, ut requiescat servus tuus et ancilla tua sicut et tu. Memento quod et ipse serviens in Aegypto, et eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti et brachio extento: idcirco praecepit tibi, ut observares diem sabbati» ***(Dt*** 5,12-15). Observantia sabbati hic arte coniuncta videtur cum opere liberationis quod Deus pro populo suo patravit.

63. Christus venit ad novam « Exodum » agendam, ad libertatem captivis obtinendam. Innumeras Ille patravit sanationes die sabbati (cfr ***Mt*** 12,9-14 et textus paralleli), non quidem ut diem Domini violaret, sed ut eidem plenum tribueret sensum: « Sabbatum propter hominem factum est, et non homo propter sabbatum» ***(Me*** 2,27). Sese opponens interpretationi nimis legali quorundam suorum aequalium, et explicans authenticum sensum sabbati biblici, Iesus, « Dominus sabbati » ***(Me*** 2,28), observantiam huius diei redigit ad eius indolem liberatricem, quae ponitur ad iura Dei simulque et hominis vindicanda. Ita intellegitur quam aequum fuerit ut Christiani, praecones liberationis Christi sanguine consummatae, perciperent se facultatem habere sensum sabbati in diem resurrectionis transferendi. Etenim Christi Pascha hominem eripuit ab illa servitute quae altius radices agit quam servitus populum oppressum comprimens: a servitute nempe peccati, quae hominem seiungit a Deo, a semet ipso quoque et a ceteris, et quae, saeculorum decursu, semper nova nequitiae et violentiae germina gignit.

Quietis dies

64. Aliquot per saecula Christiani vixerunt dominicam diem tamquam diem cultui dumtaxat dicatam, quin peculiarem quieti sabbaticae sensum adderent. Tantummodo saeculo IV, lex civilis Imperii Romani agnovit requiem hebdomadalem statuitque ut « die solis » iudices, incolae urbium et collegia variorum operis ordinum ab operibus désistèrent.[107] Christiani laetati sunt de impedimentis remotis quae ad illud usque tempus observantiam diei Domini interdum heroicam reddiderant. Iam sine turbatione communibus precibus illi incumbere poterant.[108]

Erroneum igitur est legem quietem hebdomadalem reverentem considerare uti rem mere historicam sine sensu pro Ecclesia quamque ipsa relinquere potest. Concilia, nulla interposita intermissione post lapsum etiam Imperium, normas observaverunt ad festivam quietem spectantes. In nationibus autem ubi Christiani numero sunt exigui et ubi Calendarii dies festi non respondent diei dominicae, haec dies tamen semper perstat Domino dicata qua fideles congregantur ad Eucharisticum coetum. Quod tamen fit non parvis interiectis incommodis. Pro Christianis insuetum est ut dies dominica, dies festivitatis et gaudii, non sit quoque dies quietis, iisdemque utcumque facile non est « sanctificare » diem Domini, quin simul sufficiens detur relaxationis tempus.

65. Ceterum, vinculum inter diem dominicam diemque relaxationis apud civilem societatem non caret eo pondere illoque sensu, quae prospectum proprie christianum longe praetergrediuntur. Successionem, in natura hominis insitam, quae inter opus et quietem datur, ipse Deus statuit, ut erui potest e narratione creationis in libro Genesis (cfr 2,2-3; ***Ex*** 20,8-11): quies aliquid sacrum est, quia per eam homo a terrestrium operum serie, aliquando nimis opprimente, sese liberat atque conscium iterum se reddit omnia opus Dei esse. Mira facultas, quam Deus homini fecit super creationem, periculum constituit ne homo obliviscatur Deum esse Creatorem a quo omnia pendent. Conscientia haec instantior nostra fit aetate, qua scientiae et artes amplificaverunt facultatem, quam homo per opus suum exercet.

66. Tandem, prae oculis habeatur oportet, nostro quoque tempore, opus fieri multis acerbam servitutem, sive ob infrahumanas condiciones quibus

[107] Cfr Edictum Constantini, 3 Iulii 321, *Codex Theodosianus* II, tit. 8, 1, ed. Th. Mommsen, 1/2, 87; *Codex Iustiniani* 3, 12, 2, ed. P. Krüger, 248.

[108] Cfr EUSEBIUS A CAESAREA, *Vita Constantini* 4, 18: *PG* 20, 1165.

exercetur, sive ob nimiam horarum copiam impositam, praesertim in pauperioribus mundi regionibus, sive quia in ipsis societatibus oeconomice opulentioribus innumerae exstant condiciones iniustae et abusus hominum adversus homines. Cum Ecclesia, labentibus saeculis, leges de quiete dominica edidit,[109] operi servorum et operariorum praesertim prospexit, non vero quia agebatur de opere minus digno quoad spiritales obligationes observantiae dominicalis, sed potius quia quaedam urgebat disciplina quae onus eius levaret et permitteret ut omnes dominicam diem sanctificarent. Hoc sub prospectu Decessor Noster Leo XIII Litteris Encyclicis ***Rerum novarum*** docuit quietem festivam ius esse operariorum proprium quod Status praestare tenetur.[110]

Nostris quoque in rerum adiunctis officium perstat curandi ut omnes cognoscant libertatem, quietem et relaxationem quae pertinent ad hominis dignitatem, iisque adiunguntur postulationes, religio, familia, cultura, mutuae relationes, quae non facile expleri possunt, nisi reservetur unus saltem dies, quo omnes ***simul*** gaudeant facultate quiescendi et festum agendi. Ut patet, hoc operariorum ius ad quiescendum praesumit eorum ius ad operandum, atque, dum de hac ratione cogitamus cum christiana dominicae ratione coniuncta, recolere debemus, intima quidem solidarietate, perangustas condiciones tot virorum mulierumque utpote qui operis expertes, diebus quoque pro festis, ad inertiam cogantur.

67. Per dominicam quietem, sollicitudines vitaeque cotidianae munera aequam mensuram reperire possunt: terrena, de quibus solliciti sumus, spiritalibus divitiis spatium relinquunt; personae quibuscum vivimus, per conventus et magis serenum colloquium, verum vultum recipiunt. Ipsae naturae pulchritudines — nimis saepe corruptae ratione dominatus qui contra hominem retorquetur — iterum detegi intimeque degustari possunt. Dies pacis hominis cum Deo, secum et cum similibus suis, dominica dies ita fit etiam tempus quo homo invitatur ut contuitum iniciat renovatum in rerum naturae mirabilia, tradens semet ipsum implicandum mira arcanaque illa harmonia quae, ad sancti Ambrosii sententiam, ob « concordiae amorisque inviolabilem legem », nectit diversa mundi elementa « in unitatis et pacis

[109] **Vetustissimum omnium de re documentum est canon 29 Concilii Laodicensis (altero dimidio saeculi IV): Mansi, Conc. II, col. 569-570. A VI ad IX saeculum plura Concilia *« opera ruralia »* vetuerunt. Legis latio de vetitis operibus, quam leges quoque civiles confirmaverunt, paulatim per singula est explicata.**

[110] **Cfr Litt. Enc, *Rerum novarum* (15 Maii 1891): *Acta Leonis XIII* 11 (1891), 127-128.**

vinculum, velut individua compactione ».[111] Tunc homo magis conscius fit secundum verba Apostoli, « quia omnis creatura Dei bona, et nihil reiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei et orationem» ***(1 Tim*** 4,4-5). Si vero, post sex laboris dies — qui revera pro multis ad quinque sunt redacti —, homo tempus quaerit ad sese relaxandum et ad alios suae vitae aspectus curandos, hoc verae necessitati debetur, quae cum nuntio evangelico plane congruit. Vir credens ideo explere tenetur hanc postulationem, quin detrimentum afferat praecipuis signis personalis et communis fidei suae, quae palam ostenditur in celebratione et sanctificatione diei Domini.

Idcirco, aequum est ut Christiani operam dent ut, peculiaribus quoque in adiunctis nostri temporis, leges civiles rationem habeant de obligatione diem dominicam sanctificandi. Nihilominus ipsi Christiani ex conscientia ordinare tenentur quietem dominicam ita ut Eucharistiam participent et ideo sese abstineant ab operibus et negotiis quae diei Domini sanctificationem, laetitiam illius diei propriam, aut debitam mentis et corporis relaxationem impediant.[112]

68. Quandoquidem ipsa quies, ne inanis evadat vel fons taedii efficiatur, spiritalem divitiarum auctum secum ferre debet, maiorem libertatem, occasionem contemplationis et fraternae communionis, fideles seligant, inter humani cultus instrumenta delectationesque a societate oblata, ea quae cum vita ad praecepta evangelica aptata magis conveniant. Hoc sub prospectu, dominica et festiva relaxatio mensuram « propheticam » comparat, solidando non primatum Dei dumtaxat, verum etiam primatum et dignitatem personae coram obligationibus vitae socialis et oeconomicae, ac veluti anticipando « caelum novum » et « terram novam », ubi liberatio a necessitudinum servitute definitiva erit et absoluta. Ut breviter dicamus, dies Domini ita fit, optima ratione, etiam ***dies hominis.***

Dies solidarietatis

69. Dominica dies Christifidelibus opportunitatem tribuat oportet se vovendi operibus misericordiae, caritatis et apostolatus. Spiritalis gaudii Christi resuscitati participatio involvit plenam communicationem amoris qui in

[111] ***Hex.*** **2, 1, 1:** ***CSEL*** **32/1, 41.**

[112] **Cfr** ***Codex Iuris Canonici,*** **can. 1247;** ***Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium,*** **can. 881 § 1.4.**

illius corde ardet: non datur gaudium sine amore! Quod ipse Christus dilucidai dum comparat « mandatum novum » cum dono gaudii: « Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut ego Patris mei praecepta servavi et maneo in eius dilectione. Haec locutus sum vobis, ut gaudium meum ,in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur. Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos» ***(Io*** 15,10-12).

Eucharistia igitur dominicalis non solum a caritatis officiis non avertit, sed contra fideles magis allicit « ad omnia opera caritatis, pietatis et apostolatus, quibus manifestum fiat Christifideles de hoc mundo quidem non esse, sed tamen esse lucem mundi eosdemque Patrem glorificare coram hominibus ».[113]

70. Reapse, ab Apostolorum inde tempore, dominicalis Christianorum conventus fuit tempus fraternae communicationis quod attinet ad indigentiores. « Per primam sabbati unusquisque vestrum apud se ponat recondens, quod ei beneplacuerit » ***(1 Cor*** 16,2). Hic agitur de collectis quae pro pauperibus ecclesiis Iudaeae Paulus instituit: in dominica Eucharistia cor credentium ad Ecclesiae mensuras dilatatur. Penitus tamen percipiatur oportet adhortatio Apostoli, qui, potius quam austeram « oboli » conscientiam promoveat, provocat ad severum ***solidarietatis cultum,*** quae peragenda est sive apud sodales communitatis, sive apud universam societatem. Quam maxime graves exaudiendae sunt admonitiones quibus ipse Apostolus Corinthiam alloquitur communitatem, in culpa versantem ob contumeliam illatam in pauperes agapem fraternam post « cenam Domini » participantes: « Convenientibus ergo vobis in unum, non est dominicam cenam manducare; unusquisque enim suam cenam praesumit in manducando, et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? Aut ecclesiam Dei contemnitis et confunditis eos, qui non habent? » ***(1 Cor*** 11,20-22).[114] Iacobus simili vehementia clamat: « Etenim si introierit in synagogam vestram vir aureum anulum habens in veste candida, introierit autem et pauper in sordido habitu, et intendatis in eum, qui indutus est veste praeclara, et dixeritis: 'Tu sede hic bene', pauperi autem dicatis: 'Tu sta illic aut sede sub scabello meo', nonne iudicatis apud vosmetipsos et facti estis iudices cogitationum iniquarum? » (2,2-4).

[113] CONC. OECUM. VAT. II, **Const. de sacra Liturgia** ***Sacrosanctum Concilium,*** **9.**

[114] **Cfr etiam S.** IUSTINUS, ***Apologia*** I, **67, 6:** ***Qui abundant et volunt, suo arbitrio, quod quisque vult, largiuntur, et quod colligitur apud eum, qui praeest, deponitur, ac ipse subvenit pupillis et viduis, et iis qui vel ob mortem, vel aliam ob causam egent, tum etiam iis qui in vinculis sunt et advenientibus peregre hospitibus; uno verbo omnium indigentium curam suscipit: PC*** **6, 430.**

71. Significationes Apostolorum inde a primis saeculis bene resonuerunt atque ardentes vocis notas excitarunt in Patrum Ecclesiae contionibus. Sanctus Ambrosius concitatis verbis divites allocutus est qui sese arbitrabantur religiosa adimplere officia templum frequentando, quin propria bona cum pauperibus communicarent, immo contra eos opprimendo: « Audi, dives, quid Dominus Deus dicat? Et tu ad ecclesiam venis, non ut aliquid largiaris pauperi, sed ut auferas ».[115] Non minus severe sanctus Ioannes Chrysostomus: « Vis corpus Christi honorare? Non despicias ipsum nudum: neque hic sericis vestibus honores, foris autem frigore ac nuditate afflictum neglegas. Nam is qui dixit 'Hoc est corpus meum', et verbo rem firmavit, idem ipse dixit: 'Esurientem me vidistis, et non nutrivistis'; et, Tn quantum non fecistis uni horum minimorum, nec mihi fecistis' [...]. Quae enim utilitas si mensa Christi sit aureis poculis onusta, ipse vero fame pereat? Primo esurientem imple, et tunc ex superabundanti mensam eius exorna».[116]

Verba sunt quae vehementer communitatem christianam monent de officio curandi ut Eucharistia sedes fiat ubi fraternitas concreta fiat solidarietas, ubi novissimi sint primi in fratrum existimatione et dilectione, ubi Ipse Christus, per munificum donum a divitibus pauperioribus tributum, quodam modo, temporum decursu, miraculum multiplicationis panum iterare possit.[117]

72. Eucharistia est eventus et propositum fraternitatis. Ex Missa dominicali caritatis unda prorumpit, cuius est totam fidelium vitam pervadere, animum addens ipsi eorum rationi vivendi reliquum diei dominicae tempus. Si dies dominica tempus est gaudii, Christianus per peculiares actiones suas fateatur oportet se ipsum « solum » felicem esse non posse. Ille circum contueri debet, ut reperiat proximos qui eius solidarietate indigere possunt. Fieri potest ut in vicinis locis vel inter proximos sint aegroti, aetate provecti, infantes, migrantes qui praecipue ipsa dominica die solitudinem, proprias necessitates, suam doloris condicionem vehementius patiantur. At, praehabito hoc responsalitatis magis diffusae proposito, curnam diei Domini non tribuitur maior participationis sensus, diversa cogitando incepta quae christiana caritas exsequi potest? Personam quandam unam ad cenam invi-

[115] *De Nabuthae* 10, 45: *CSEL* 32/2, 492.

[116] *In Matthaeum homiliae* 50, 3-4: *PG* 58, 508.509.

[117] Cfr S. PAULINUS NOLANUS, *Ep.* 13, 11-12 ad Pammachium: *CSEL* 29, 92-93. Senator Romanus laudibus effertur quoniam evangelicum miraculum renovare visus est, communicationem eucharisticam cum distributione panis pauperum sociando.

tare, infirmos invisere, cuipiam familiae indigenti aliquid edendum largiri, quoddam diei momentum consumere in praecipuis et voluntariis solidarietatis inceptis: haec omnia iter constituent ad ferendam in cuiusque vitam caritatem Christi, ex mensa eucharistica haustam.

— Cathedrali Ecclesiae Vasaiensi, noviter conditae in India et suffraganeae metropolitanae Ecclesiae Bombayensis, Exc.mum Thomam P.D. Dabre, hactenus Episcopum titularem Arensem in Numidia et Auxiliarem praefatae archidioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Sululitanae R.D. Ioannem Baptistam Tseng Chien-tsi, paroeciae in oppido vulgo Chipen curionem, quem deputavit Auxiliarem dioecesis Hvaliensis. ®

— Titulari episcopali Ecclesiae Sitipensi R.D. Mariam Danielem Dadiet, e clero archidioecesis Abidianensis, curionem paroeciae Sanctae Teresiae in oppido vulgo Marcory, quem deputavit Auxiliarem dioecesis Korhogoënsis.

die 27 Iunii. — Metropolitanae Ecclesiae Bamakoènsi Exc.mum P.D. Ioannem Zerbo, hactenus Episcopum Moptiensem.

— Metropolitanae Ecclesiae Antibarensi, Sanctae Sedi immediate subiectae, R.D. Zef Gashi, S.D.B., Directorem nationalem institutionis catholicae in urbe Scodra.

— Cathedrali Ecclesiae Bungomaënsi R.D. Normannum King'oo Wambua, e clero dioecesis Loduarinae, Seminarii theologici in oppido vulgo dicto Tindinyo directorem spiritus atque professorem.

— Cathedrali Ecclesiae Caiennensi R.D. Ludovicum Sankalé, hactenus in urbe Massiliensi Gallicae regionis paroeciae « Sacré Cœur » curionem.

— Cathedrali Ecclesiae Faisalabadensi Exc.mum P.D. Iosephum Coutts, hactenus Episcopum Hyderabadensem in Pakistan.

— Cathedrali Ecclesiae Molegbensi Exc.mum P.D. Ignatium Matondo Kwa Nzambi, C.I.C.M., hactenus Episcopum Basankuensem.

die 27 Iunii 1998. — Cathedrali Ecclesiae Sekondiensi-Takoradiensi R.D. Ioannem Martinum Darko, hactenus eiusdem circumscriptionis Administratorem dioecesanum.

— Cathedrali Ecclesiae Banforensi, noviter statutae in Burkina Faso et suffraganeae archidioecesis Uagaduguensis, R.D. Lucam Kalfas Sanon, Seminarii maioris regionalis in oppido vulgo dicto Koumi sacrae Scripturae professorem.

— Cathedrali Ecclesiae Bettiahensi, noviter conditae in India et suffraganeae archidioecesis Ránchiensis, R.D. Victorem Henricum Thakur, e clero dioecesis Raipurensis.

— Cathedrali Ecclesiae Purneaënsi, noviter constitutae in Indiana regione et suffraganeae metropolitanae Ecclesiae Ranchiensis, R.D. Vincentium Barwa, e clero dioecesis Gumlaënsis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Pauzerensi R.P. Franclinum Nubuasah, S.V.D., magistrum novitiorum in Gana, quem constituit Vicarium Apostolicum Francistovnensem, noviter institutum in Botsuana.

— Titulari episcopali Ecclesiae Lamphuensi R.D. Philippum Huang ChaorMing, e clero dioecesis Hvaliensis, Seminarii maioris regionalis Taipehensis pro-rectorem, quem deputavit Auxiliarem Kaohsiungensem.

NOMINATIONES

Peculiaribus datis decretis, Congregatio pro Gentium Evangelizatione ad suum beneplacitum renuntiavit:

die 1 Aprilis 1988. — R.P. Ioannem Szpilka, Societatis Divini Salvatoris sodalem, Administratorem Apostolicum « ad nutum Sanctae Sedis » Insularum Comorensium.

die 2 Maii. — Exc.mum P.D. Raimundum Mpezele, Episcopum Livingstonensem, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Monzensis.

die 6 Maii. — Rev.mum D. Emmanuelem Azuka Udeh, Vicarium generalem archidioecesis Iosensis, Administratorem Apostolicum « sede plena et ad nutum Sanctae Sedis » praefatae metropolitanae Ecclesiae.

die 6 Iunii. — Exc.mum P.D. Nicolaum Cheong Jin-suk, Archiepiscopum Seulensem, Administratorem Apostolicum « ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Pyeongyangensis.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Lunedì, 7 Settembre 1998, S.E. il Signor KARL BONUTTI, Ambasciatore di Slovenia presso la Santa Sede.

Venerdì, 11 Settembre, 1998, S.E. il Signor VLATKO KRALJEVIR, Ambasciatore di Bosnia Erzegovina presso la Santa Sede.

Lunedì, 14 Settembre 1998, S.E. la Signora LUVY SALERNI NAVAS, Ambasciatore del Nicaragua presso la Santa Sede.

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Giovedì, 10 Settembre 1998, S.E. il Signor KEITH MITCHELL, Primo Ministro di Grenada.

Giovedì, 17 Settembre 1998, S.E. il Signor HAGE G. GEINGOB, Primo Ministro della Repubblica di Namibia.

Venerdì, 18 Settembre 1998, S.E. il Signor VIKTOR ORBÁN, Primo Ministro della Repubblica di Ungheria.

Giovedì, 24 Settembre 1998, S.E. il Signor NURSULTAN ABISCEVICH NAZARBAYEV, Presidente della Repubblica del Kazakhstan.

Martedì, 29 Settembre 1998, Le Loro Maestà il Re JUAN CARLOS I e la Regina SOFIA, Sovrani di Spagna.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietto della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

21 settembre 1998. Il sig. Christoph Ludwig, ***Consultore della Congregazione delle Cause dei Santi « in aliud quinquennium ».***

NECROLOGIO

2	settembre	1998.	Mons. Vincent de Paul Pham van Du, Vescovo di Lang Són et Cao Bang *(Viêt Nam).*
4	»	»	Mons. Gerardo E. Sueldo, Vescovo di Santiago del Estero *(Argentina).*
10	»	»	Mons. Rafael Lim, Vescovo di Boac *(Filippine).*
12	»		Mons. Hendrik J.A. Börners, Vescovo di Haarlem *(Paesi Bassi).*
13	»	»	Card. Alois Grillmeier, Diacono di San Nicola in Carcere.
16	»	»	Mons. José V. Tommasi, Vescovo di Nueve de Julio *(Argentina).*
21	»	»	Mons. Domenico Ferrara, Vescovo tit. di Absasalla.
»	»	»	Mons. Clarence J. Duhart, Vescovo em. di Udon Thani *(Thailandia).*
22	»	»	Mons. Vitalis Djebarus, Vescovo di Denpasar *(Indonesia).*
26	»	»	Mons. Giovanni Sartori, Arcivescovo di Trento *(Italia).*
28	»	»	Mons. Aurelio Sorrentino, Arcivescovo em. di Reggio Calabria-Bova *(Italia).*

Recens nuntiatum est Mons. Abdul-Ahad Rabban, episcopum Akrensem, die 25 m. Iulii a. 1998 de vita decessisse.

An. et vol. XC 5 Novembris 1998 N. 11

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: **Palazzo Apostolico - Città del Vaticano -** ***Administratio*** **Libreria Editrice Vaticana**

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE DECRETALES

quibus beatae Hedvigi reginae Sanctorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Omni saeculo omnique pariter in populo plures invenimus "perfectas" (Prv 31,10) mulieres quae [...] munus Ecclesiae participaverunt [...]. Sanctae mulieres quasi quaedam corporatae personae sunt speciei muliebris optimae; verum exemplaria aequabiliter universis sunt christianis, exempla scilicet "Christi sequelae" » (AAS LXXX [1988], 1719-1720). Quae significavimus in Epistula Apostolica inscripta ***Mulieris dignitatem,*** plene effecit Hedvigis Cracoviensis, ibi inter alias beatas mulieres commemorata. Filia Ludovici d'Angiò, Hungariae et Poloniae regis, atque Elisabethae, principis dominae Bosniensis, Hedvigis nata est in Hungaria a. MCCCLXXIV. Post patris mortem, eius mater, petitionibus concedens nobilium Polonorum, Polonicae regiae sedem destinavit Hedvigi quae quidem die xvi mensis Octobris anno MCCCLXXXIV, regalem coronam accepit. Iuvenis regina nupsit, ad bonum Ecclesiae atque Polonicae et Lituanae Nationum, Lituaniae magno principi Jagello, qui ante matrimonium baptizatus est, nomine Ladislao ei imposito. Hedvigis Ecclesiam et Christi Vicarium dilexit: schismatis Occidentalis tempore, fidelis perstitit erga Apostolicam Sedem, legitimum Papam adiuvit. Peculiaris missionis a Deo sibi concreditae conscia, Evangelii disseminationi, divini cultus incremento atque Christianorum unitati studiose favit. Monasteria sustentavit, sacras aedes fundavit et, anno MCCCXCVII, Bonifatii PP. IX concessu, theologiae faculta-

tem in urbe Cracoviensi instituit atque ad renovandam Studiorum Universitatem « Jagellonica » nuncupatam valuit.

Illius aetatis documenta communi consensu Hedvigem «matrem pauperum » vocant; ipsa enim valetudinaria exstruxit, caritatis opera varia ratione fovit atque in vita sua admirabilem inter precem et actionem demonstravit conexionem. Pie obiit die XVII mensis Iulii, anno MCCCXCIX, XXV scilicet anno vitae suae, paulo post ortum mortemque unicae filiae quam ardenter desideraverat. Sanctimoniae fama, quae eam iam viventem comitata est, crevit post Hedvigis mortem tota in Polonia singularique modo in urbe Cracoviensi. Archiepiscopus Gnesnensis Adalbertus Jastrzębiec, tempore pastoralis visitationis in Cracovia anno MCDXXVI, commissionem instituit ad reginae vitam perscrutandam eiusque canonizationis causam promovendam. Patres Concilii Oecumenici Constantiensis et Basileensis de canonizatione Hedvigis tractaverunt, sed varia bella et Polonici regni dispertitiones, canonicum processum impedierunt. Post secundum bellum mundiale Adamus Stephanus SRE Cardinalis Sapieha, Archiepiscopus Cracoviensis, processum iniit informativum de sanctitate Hedvigis deque miraculis eius deprecationi adscriptis. Nos Ipsi, munus Archiepiscopi Cracoviensis exercentes, processum celebravimus annis MCMLXXII-MCMLXXIV de Confirmatione cultus ab immemorabili tempore praestiti Servae Dei Hedvigi Reginae Poloniae «beatae » vel « sanctae» nuncupatae. Congregatio de Causis Sanctorum die XXV mensis Maii, anno MCMLXXIX, casum exceptum agnovit; Congregatio deinde pro Sacramentis et Cultu Divino die XXIX mensis Maii, anno MCMLXXIX, memoriam liturgicam beatae Hedvigis decrevit celebrandam pro archidioecesi Cracoviensi die XVII mensis Iulii atque formulas approbavit, quibus Nos Ipsi usi sumus Missam celebrantes in honorem beatae die VIII mensis Iunii anno MCMLXXIX, apud eius sepulcrum.

Omnibus deinde ad canonum normam impletis, die XVII mensis Decembris, anno MCMXCVI, Nobis adstantibus, decretum promulgatum est de heroicitate virtutum. Die VIII mensis Aprilis insequentis anni decretum prodiit super miraculo deprecationi eiusdem Beatae recte adscripto. Quapropter statuimus ut canonizationis ritus proximo die VIII mensis Iunii Cracoviae perageretur, occasione Nostri pastoralis itineris in Poloniam. In Nostra igitur ad Poloniam visitatione, inter Missarum sollemnia Cracoviae, multis adstantibus Fratribus Nostris Episcopis, sacerdotibus, nec non plurimis christifidelibus, auxilio Spiritus Sancti invocato, haec verba pronuntiavimus:

«Na chwałę Świętej i Nierozdzielnej Trójcy, dla wywyższenia katolickiej wiary i wzrostu chrześcijańskiego życia, na mocy władzy naszego Pana Je-

zusa Chrystusa i Świętych Apostołów Piotra i Pawła, a także Naszej, po uprzednim dojrzałym namyśle, po licznych modlitwach i za rada wielu Naszych Braci w biskupstwie, orzekamy i stwierdzamy, że błogosławiona Jadwiga Królowa jest Święta i wpisujemy Ja do Katalogu Świętych, polecając, aby odbierała Ona cześć jako Święta w całym Kościele.

W imię Ojca i Syna, i Ducha Świętego ».

Quibus prolatis verbis, orationem pio quidem habuimus studio, qua tum eximiam vivendi viam tum singulas simul christianas virtutes laudibus extulimus huius Sanctae, quae, veluti lucerna ardens et lucens, claras dedit pietatis operumque bonorum testificationes. Item omnes qui se christianos esse profitentur hortati sumus ad illius vestigia sequenda. Denique publice cum adstantibus cunctis illam sumus venerati atque consentanea nimirum prece quasi praeeuntes Ipsi primi eam in adiutorium omnium nostrum in terra adhuc peregrinantium invocavimus.

Quae autem decrevimus volumus et nunc et in perpetuum tempus vim sortiri, contrariis rebus minime quibuslibet obstantibus.

Datum Cracoviae, die VIII mensis Iunii anno MCMXCVII, Pontificatus Nostri undevicesimo.

EGO IOANNES PAULUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, ***Protonot. Apost.***



Loco 83 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 420.498

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

BETTIAHENSIS

In India nova conditur dioecesis Bettiahensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Cum ad aeternam provehendam salutem gregis Dominici in India eiusque regimini facilius et efficacius consulendum petitum esset nuper ut in eadem Natione nova constitueretur dioecesis, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt praepositi, re mature perpensa auditoque pariter faventi voto eorum quorum interest, admotam postulationem censuerunt esse accipiendam. Nos igitur, qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris universae catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. A Muzaffarpurensi dioecesi separamus territorium occidentale districtuum civilium, qui nuncupantur West Champaran, East Champaran, Gopalganj, Sarán et Siwan; ex iisque novam condimus dioecesim *Bettiahensem,* quam metropolitanae Ecclesiae Ranchiensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe Bettiah atque templum ibidem exstans, Deo in honorem Nativitatis Beatae Mariae Dominae Nostrae dicatum, ad dignitatem cathedralis Ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Georgius Zur, Archiepiscopus titulo Sestensis et in India Apostolicus Pronuntius; qui, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis ad Congregationem, quam diximus, mittenda. Has denique Apostolicas sub plumbo Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo septimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo octavo, Pontificatus Nostri vicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr.. pro Gentium Evang. Praef.

Franciscus Chiaurri, ***Protonot. Apost.***
Tharsicius Nardi, ***Protonot. Apost. s.n.***

Loco ES Plumbi
In Secret. Status tab , n. 434.842

II

PURNEAËNSIS

Quodam detracto territorio a dioecesi Dumkaënsi, nova in Indiae finibus dioecesis constituitur Purneaënsis appellanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Optatis concedere cupientes Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt praepositi, de nova alia in Indiae finibus condenda dioecesi sollicite curamus. Ad opus enim evangelizationis in territorio septentrionali fluminis Ganges promovendum, petitum est ut dioecesis Dumkaënsis divideretur. Nos fore simul confisi ut id in animarum bonum conduceret, sequentia decernimus atque Nostra iubemus auctoritate: territorium septentrionale districtuum civilium vulgo Purnea, Katihar, Araria et Kishanganj ab eadem dioecesi Dumkaënsi abstrahimus eoque novam condimus dioecesim ***Purneaënsem*** appellandam. Eius limites iidem erunt ac fines districtuum civilium, quos diximus. Episcopi Sedem in urbe Purnea statuimus, in ecclesia Deo in honorem Sancti Petri Apostoli dicata, quam ad gradum et dignitatem Ecclesiae cathedralis pariter extulimus, omnibus additis iuribus et privilegiis quae ad dioeceses pertinent. Hanc dioecesim metropolitanae Ecclesiae Ranchiensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Cetera vero secundum leges canonicas temperentur.

Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Georgium Zur, Archiepiscopum titulo Sestensem atque Apostolicum in India Pro-Nuntium, legamus. Re tandem ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur. Hanc denique Constitutionem Apostolicam ratam esse volumus sive nunc sive in posterum, contrariis rebus quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die septima et vicesima mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo octavo, Pontificatus Nostri vicesimo.

8ü ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*
Tharsicius Nardi, *Protonot. Apost. s.n.*

Loco £8 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 434.843

III

FRANCISTAUNENSIS

In Botsuana novus conditur Vicariatus Apostolicus Francistaunensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Ad aptius consulendum evangelizationis operi in Botsuana, ubi in praesens dioecesis Gaboronensis tantum exstat, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, omnibus mature perpensis habitoque faventi voto eorum quorum interest, censuerunt ibidem novum Vicariatum Apostolicum esse condendum. Nos igitur, qui gravissimo fungimur munere Pastoris et Patris universi populi Dei, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate sequentia decernimus. A dioecesi Gaboronensi separamus territorium districtuum civilium nuncupatorum Central, Chobe, Gantsi, Ngamiland et North-East atque eo constituimus Vicariatum Apostolicum ***Franci-***

staunensem, quem sollicitis curis Societatis Verbi Divini concredimus. Haec insuper omnia perficienda committimus Venerabili Fratri Emmanueli Monteiro de Castro, Archiepiscopo titulo Beneventensi atque in memorata Natione Delegato Apostolico, onere imposito authenticum exemplar actus peractae executionis ad Congregationem, quam diximus, remittendi. Hanc denique Nostram Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus haudquaquam obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo septimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo octavo, Pontificatus Nostri vicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Franciscus Chiaurri, ***Protonot. Apost.***
Tharsicius Nardi, ***Protonot. Apost. s.n.***

Loco © Plumbi
In Secret. Status tab., n. 438.111

LITTERAE APOSTOLICAE

Templum cathedrale Colimensis dioecesis, beatae Mariae Virgini titulo « Nuestra Señora de Guadalupe » dicatum, ad Basilicae minoris gradum dignitatemque evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Inter sacras aedes Colimensis dioecesis merito celebratur cathedrale templum beatae Mariae Virginis titulo « Nuestra Señora de Guadalupe », prima prorsus cathedralis ecclesia in America Latina eidem Virgini dicata, ubi pie custodiuntur reliquiae beati Michaelis de la Mora, qui ibidem martyrium passus est. Quod quidem constat exstare fontem religiosae vitae eiusdem dioecesanae communitatis necnon centrum operum pastoralium et caritatis praesertim pro egenis senibusque. Qua re, cum Venerabilis Frater Gilbertus Valbuena Sánchez, Episcopus memoratae Sedis, litteris die xxxi mensis Maii anno MCMXCIII datis, etiam cleri populique sui nomine postulaverit ut templum idem titulo ac dignitate Basilicae minoris honestaremus, Nos, paternae benevolentiae documentum istis dilec-

tis Mexicanis filiis cupientes praebere, eius Pastoris precibus perquam libenter obsecundandum esse putamus. Ratis igitur plane habitis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, tributis a Nobis facultatibus, hac in re egit, summa Apostolica potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum templum cathedrale, quod diximus, ad Basilicae minoris gradum dignitatemque evehimus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competunt, iis tamen servatis, quae secundum Decretum « De titulo Basilicae minoris » die ix mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, servanda sunt. Has denique Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxin mensis Iunii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

£B ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco 83 Sigilli
In Secret, Status tab., n, 434 104

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI

NOTIFICATIO

circa scripta Patris Antonii de Mello, S.I.

Pater Antonius de Mello S.I., indus (1931-1987), valde notus est propter plura edita opera quae, in varias linguas conversa, magnam diffusionem in multis nationibus adepta sunt, etiamsi non semper agitur de textibus ab ipso permissis. Eius opera, quae fere semper brevium historiarum formam habent, quaedam elementa valida sapientiae orientalis continent, quae auxilio esse possunt ad dominium sui adipiscendum et ad rescindenda illa ligamina et animi affectiones, quae nos impediunt liberos esse et serene adire varia adiuncta, favorabilia et adversa quae in vita contingunt. Peculiari modo P. de Mello in primis scriptis, quamquam manifestos revelat influxus spiritualium propensionum buddhisticarum et taoisticarum, adhuc tamen intra ambitum spiritualitatis christianae se continet. In his libris ipse varia genera orationis pertractat: scilicet orationem petitionis, intercessionis et laudis, necnon contemplationis mysteriorum vitae Christi, et cetera.

At iam in quibusdam locis horum primorum operum animadvertitur progrediens discessio a capitibus essentialibus fidei christianae. In locum revelationis, quae in Christo facta est, ipse substituit quandam intuitionem Dei absque forma et imaginibus, adeo ut de Deo locutio fiat tamquam de mera vacuitate. Ut Deum videamus, nihil aliud nobis opus est, quam directe mundum conspicere. Nihil de Deo dici potest, unica cognitio est non cognitio. Disceptare de eius exsistentia, est iam quiddam absurdum. Hic radicalis apophatismus perducit quoque ad negandum in Sacris Litteris adesse assertiones validas de Deo. Verba Sacrarum Scripturarum quaedam indicationes habendae sunt, quae inservire possunt tantummodo ad ingrediendum in silentium. In aliis locis, iudicium circa libros sacros variarum religionum, sine exclusione ipsorum Bibliorum,

multo severius est; eaedem religiones personas impedient, quominus proprium communem sensum sequantur, adeo ut obtusae et crudeles evadant. Religiones, inclusa etiam religione christiana, unum ex praecipuis impedimentis sunt, quae detegendae veritati obstant. Ceterum haec veritas, quid in se ipsa praecise contineat, numquam explicatur. Opinio, qua unaquaeque religio credit suum Deum esse unicum, est simpliciter fanaticus error. « Deus » consideratur veluti realitas cosmica, vaga et ubique praesens. Eius nota personalis ignoratur et practice negatur.

Pater de Mello se aestimare Iesum ostendit, cuius « discipulum » esse se declarat. Sed ipse habet eum magistrum sicut ceteros. Unicum discrimen, quo ab aliis hominibus Iesus distinguitur, in hoc positum est, quod ille « vigilans » et prorsus liber erat, dum reliqui homines nequaquam. Non velut Filius Dei agnoscitur, sed simpliciter ut ille qui nos docet omnes homines esse filios Dei. Etiam assertiones circa definitivam hominis sortem, animum ancipitem tenent. Quandoque loquitur de nostra « dissolutione » in Deum impersonalem, tamquam de sale quod in aquam dissolvitur. In variis occasionibus declarat nullius momenti esse etiam sortem hominis post mortem. Vita praesens solum nostra intersit oportet. Ad hanc vitam quod attinet, eo quod malum tantum in ignorantia ponendum est, regulae obiectivae moralitatis non dantur. Bonum et malum sunt mentis aestimationes, quae rebus imponuntur.

Cohaerenter cum iis quae hucusque exposita sunt, facile intellegi potest, secundum Auctorem, quodvis « Credo » vel professionem fidei tam in Deum quam in Christum non posse nisi impedire quominus quis accedat ad veritatem. Ecclesia cum verbum Dei in Sacris Scripturis quasi idolum efficiat, eo pervenit, ut Deum e templo expulerit. Exinde fit, ut ipsa auctoritatem amiserit docendi in nomine Christi.

Praesente notificatione, ad bonum tutandum fidelium, haec Congregatio necessarium putat, ut positiones supra expositae declarentur pugnare cum fide catholica et gravium damnorum causam esse posse.

Summus Pontifex Ioannes Paulus II, in audientia concessa infrascripto Praefecto, approbavit praesentem Notificationem, decisam in Sessione Ordinaria huius Congregationis, eamque publici iuris fieri iussit.

Romae, e Sede Congregationis pro Doctrina Fidei, die 24 iunii 1998, in Solemnitate Nativitatis Sancti Ioannis Baptistae.

83 IOSEPHUS card. RATZINGER, ***Praefectus***

L. ffi S.

83 Tharsicius Bertone SDB
archiep. em. Vercellensis, ***a Secretis***

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Ioannes Paulus PP. II per Apostolicas sub plumbo litteras iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit praesules:

die 14 Septembris 1998. — Episcopum Coadiutorem dioecesis Victoriensis in Insula Vancouver, Exc.mum P.D. Rimondum Roussun, S.M., hactenus Episcopum Gravelburgensem.

die 16 Septembris. — Coadiutorem dioecesis Passofundensis Exc.mum P.D. Petrum Ercilium Simon, hactenus Episcopum Uruguaianensem.

die 1 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Molinensi R.D. Philippum Xaverium Ignatium Barbarin, e clero Christoliensi, hactenus in maiore Seminario archidioecesis Fianarantsoaënsis professorem.

die 10 Octobris. — Auxiliarem dioecesis Leopolitanae Latinorum, constituit Exc.mum P.D. Stanislaum Padewski, Episcopum titularem Tigensem, hactenus Auxiliarem Camanecensem Latinorum.

COLLATIO DIGNITATIS ARCHIEPISCOPALIS

die 24 Septembris 1998. — Decreto Congregationis pro Episcopis Exc.mo P.D. Carolo Otcenásek, Episcopo emerito Reginae Gradecensis, dignitas archiepiscopalis collata est.

CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA

CONGREGATIO PRO CLERICIS

De diaconatu permanenti

DECLARATIO CONIUNCTA

Diaconatus permanens, a Concilio Vaticano II restitutus apteque conveniens cum universa et continua Traditione necnon cum peculiaribus votis Concilii Oecumenici Tridentini, his decenniis proxime praeteritis valida im-

pulsione est promotus et fructus tulit spem bonam afferentes; quod quidem magno emolumento fuit urgenti operi missionali, quod ad novam evangelizationem spectat. Apostolica Sedes et haud pauci Episcopatus non omiserunt normas praebere atque elementa ad vitam et ad formationem diaconalem pertinentia impertire. Haec profuerunt experientiae ecclesiali, quae ad incrementum suum nunc indiget uniformitate normarum, ulterioribus elementis illuminantibus et, in rebus agendis stimulis et accuratis explicationibus pastoralibus. Tota veritas diaconalis (visio doctrinalis fundamentalis, consequens discretio in vocationibus aestimandis, praeparatio, vita, ministerium, spiritualitas et formatio permanens) nunc facultatem postulat iter usque adhuc emensum recognoscendi, ut omnia in uno lumine illustrante poni possint; quae res pernecessaria est ut hic gradus Ordinis sacri nova impulsione, consequenter votis ac propositis Concilii Oecumenici Vaticani II provehatur.

Congregationes de Institutione Catholica ac pro Clericis, postquam ***Ratio fundamentalis institutionis sacerdotalis,*** ad formationem ad sacerdotium spectans et ***Directorium pro presbyterorum ministerio et vita*** edita sunt, necessarium putaverunt peculiares curas in argumentum diaconatus intendere, etiam ad complendum tractatum eorum, quae ad priores duos gradus Ordinis sacri attinent et ad earum competentiam pertinent. Consequenter, postquam Episcopatum universalem et permultos peritos illae sunt percontatae, utraque Congregatio hoc argumentum mense novembri anno 1995 Coetui Plenario suo proposuit. In iis, quae sunt audita et in permultis experientiis quae sunt allatae, Em.mi et Exc.mi Sodales aere studium collocaverant. Exinde utraque Congregatio compositionem finalem ***Rationis fundamentalis institutionis diaconorum permanentium*** ac ***Directorii ministerii et vitae diaconorum permanentium*** confecit, quae fideliter exprimit postulationes, suasiones ac propositiones ex omnibus regionibus orbis terrae allatas et a coetibus tam illustribus propositas. Labores utriusque Coetus Plenarii effecerunt, ut multa elementa eodem spectantia et necessitas illa, aetate nostra magis magisque percepta, consensionis comparatae patefierent; quibus iuvetur uniformitas formationis et pastoralis efficacia sacri ministerii, instante Tertio Millennio, iam proximo, cum postulationibus eius. Quapropter Patres ipsi petierunt ut ambae Congregationes compositionem suorum documentorum simul curarent simulque ea ederent, quibus, una tantum Introductio praeponeretur, elementa fundamentalia complectens.

Ratio fundamentalis institutionis diaconorum permanentium a Congregatione de Institutione Catholica apparata, non solum quaedam principia di-

rigentia praebet circa formationem diaconorum permanentium, sed etiam quasdam exhibet normas quarum rationem Episcoporum conferentiae debent habere in conficiendis Rationibus nationalibus. Congregationi fuit propositum hoc subsidium suppeditare, simile « Rationi fundamentali institutionis sacerdotalis » ut eas modo aequo adiuvaret ad servandas praescriptiones can. 236 C.I.C. et ut in Ecclesia in tuto collocarentur unitas, gravitas et integritas formationis diaconorum permanentium.

Quod vero ad ***Directorium ministerii et vitae diaconorum permanentium*** attinet, id non solum est exhortativum, sed, ut ante dictum documentum de presbyteris, vim habet iuridice obligantem, ubi eius normae « ad pares normas disciplinares Codicis Canonici revocantur, aut modos statuunt exequendi leges universales Ecclesiae, magis definitas earum rationes doctrinales exponunt earumque executionem inculcant aut incitant ad accuratam observationem.[1] In iis casibus, id existimandum est verum decretum generale executorium (cf. can. 32) ».

Duo documenta, quae nunc eduntur, utrumque auctoritate Dicasterii, ad quod pertinet, quamvis utrumque identitatem sibi propriam et peculiarem vim iuridicam servat ad se vicissim revocant et sese complent propter logicam eorum continuationem. Exoptatur vehementer, ut ubique in tota sua integritate exhibeantur, accipiantur et in vitae usum traducantur. Introductio, quo se referat oportet et unde inspirationem haurit totus normarum complexus qui hic coniunctim vulgatur, modo indissolubili cum singulis documentis conectitur.

Introductio aspectus históricos et pastorales diaconatus permanentis respicit, speciatim se referens ad rationem practicam formationis et ministerii. Elementa doctrinalia, quibus argumentationes fulciuntur, sunt eadem quae expressa sunt in documentis Concilii Vaticani II et subsequentis Magisterii Pontificii.

Documenta necessitati a permultis perceptae respondent, ut explicetur et ad regulam dirigatur diversitas experimentorum usque adhuc susceptorum, sive quod ad discretionem et ad praeparationem sive ad exequendum ministerium et formationem permanentem attinet. Hoc modo in tuto collocari poterit illa stabilitas itinerariorum, quae legitimae multiplicitati pernecessariam unitatem conferet una cum fecunditate illius ministerii quod iam

[1] Cf. PONTIFICIUM CONSILIUM DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS, « **Chiarimenti circa il valore vincolante dell'art. 66 del Direttorio per il ministero e la vita dei presbiteri** » (22 **octobris** 1994), **in *Ephemeride*** « **Sacrum Ministerium** » 295, **p**, 263.

bonos fructus edidit atque validum incrementum promittit novae evangelizationi, in limine Tertii Millennii.

Normae in utroque documento contentae diaconos permanentes dioecesani cleri respiciunt, etiamsi plures earum, opportune accommodatae, etiam a diaconis permanentibus, Institutorum vitae consecratae et Societatum vitae apostolicae sodalibus, prae oculis haberi debent.

INTRODUCTIO [1]

/. De ministerio ordinato

1. «Christus Dominus, ad Populum Dei pascendum semperque augendum, in Ecclesia sua varia ministeria instituit, quae ad bonum totius corporis tendunt. Ministri, enim, qui sacra potestate pollent, fratribus suis inserviunt ut omnes qui de Populo Dei sunt, ideoque vera dignitate gaudent, ad eundem finem libere et ordinatim conspirantes, ad salutem perveniant ».[2] Sacramentum Ordinis « ordinandum Christo per gratiam Spiritus Sancti configurat specialem, ut sit instrumentum Christi pro Eius Ecclesia. Per ordinationem recipitur capacitas agendi tamquam Christi legatus, Capitis Ecclesiae, in Eius triplici munere sacerdotis, prophetae et regis».[3]

Vi sacramenti Ordinis, missio a Christo Apostolis suis concredita, permanenter in Ecclesia exercetur usque ad temporum finem; ipsa est sacramentum ministerii apostolici.[4] Actus sacramentalis ordinationis ultra progreditur, quam simplex electio, designatio, delegatio aut institutio communitatis operari potest, quia confert Spiritus Sancti donum, quod sinit ut potestas sacra exerceatur, quae tantummodo a Christo per Ecclesiam suam proficisci potest.[5] « Missus a Domino non auctoritate propria loquitur et agit, sed virtute auctoritatis Christi; non tamquam communitatis membrum, sed eidem nomine Christi loquens. Nemo potest sibi ipsi conferre gratiam, haec debet donari et offerri. Hoc supponit ministros gratiae, auctoritate et aptitudine a Christo ornatos ».[9]

[1] Haec introductoria pars est « Rationi » et « Directorio » communis. In casu duorum documentorum editionum separatarum ea ipsis utcumque praemittenda est.

[2] CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 18,

[3] *Catechismus Catholicae Ecclesiae,* n. 1581.

[4] *Ibid.,* n. 1536.

[5] *Ibid.,* n. 1538.

[6] *Ibid.,* n 875.

Sacramentum ministerii apostolici tres infert gradus. Etenim « ministerium ecclesiasticum divinitus diversis ordinibus exercetur ab illis qui iam ab antiquo Episcopi, Presbyteri, Diaconi vocantur».[7] Una cum presbyteris et diaconis qui suum auxilium praestant, Episcopi receperunt ministerium pastorale communitatis et loco Dei praesident gregi, cuius sunt pastores, et doctrinae magistri, sacri cultus sacerdotes et gubernationis ministri.[8]

Natura sacramentalis ministerii ecclesialis efficit ut eidem intrinsece coniuncta sit « ***indoles servitii.*** Ministri etenim, prorsus dependentes a Christo qui missionem praebet et auctoritatem, vere sunt "servi Christi" (cf. ***Rom*** 1, 1) ad imaginem Christi qui libere propter nos "formam servi" ***(Phil*** 2, 7) accepit ».[9] Sacro ministerio inest praeterea ***nota collegialis***[10] et ***nota personalis,***[11] quarum vi « ministerium sacramentale in Ecclesia est igitur servitium in nomine Christi exercitum. Hoc indolem habet personalem et formam collegialem ».[12]

77. *Ordo diaconatus*

In Sacra Scriptura et in Traditione

2. Ministerium diaconorum in Ecclesia inde a temporibus apostolicis documentis comprobatur. Secundum firmam Traditionem cuius testis est Sanctus Irenaeus, quaeque in liturgiam ordinationis est recepta, initium diaconatus in eventu ponitur institutionis « septem virorum », de quibus in ***Actis*** 6, 1-6 agitur. Itaque in primo sacrae hierarchiae initio diaconi sunt constituti, quorum ministerium in Ecclesia magno in honore est habitum.[13] Sanctus Paulus eos et una cum iis Episcopos salutat in ***Epistula ad Philippenses*** (cf. ***Phil*** 1, 1), et in prima ***Epistula ad Timotheum*** qualitates et virtutes exponit, quibus ornentur oportet ut ministerio suo digne fungantur (cf. ***1 Tim*** 3, 8-13).[14]

In scriptis Patrum Ecclesiae inde a primordiis haec compages hierarchica et ministerialis Ecclesiae, etiam diaconatum continens, asseritur. Secun-

[7] CONC. OECUM. VAT. II, **Const. dogm.** ***Lumen gentium,*** 28

[8] ***Ibid.,*** 20; ***C.I.C.,*** **can.** 373, § 1.

[9] ***Catechismus Catholicae Ecclesiae,*** **n.** 876

[10] **Cf.** ***ibid.,*** **n.** 879.

[11] ***Ibid.,*** **n.** 878.

[12] ***Ibid.,*** **n.** 879..

[13] **Cf.** CONC. OECUM. VAT. II, **Const. dogm.,** ***Lumen gentium,*** 29; PAULUS VI, **Litt. ap.** ***Ad pascendum*** (15 **Augusti** 1972): ***AAS*** 64 (1972), **p..** 534.

[14] **Praeterea, inter** 60 **operis socios qui in eius epistulis nominantur quidam ut diaconi memorantur:** ***Timotheus (1 Thes*** 3, 2), ***Epaphra (Col*** 1, 7), ***Tychicus (Col*** 4, 7; ***Eph*** 6, 2).

dum Sanctum Ignatium Antiochenum[15] Ecclesia particularis sine Episcopo, presbytero et diacono ne cogitari quidem posse videtur. Ipse affirmat ministerium diaconi aliud non esse quam « ministerium Iesu Christi, qui ante saecula erat apud Patrem et apparuit in consummatione saeculorum ». « Non enim in cibo et potu sunt ministri, sed ministri Ecclesiae Dei ». *Didascalia Apostolorum*[16] ac Patres saeculis subsequentibus necnon varia Concilia[17] et praxis ecclesiastica[18] continuitatem et progressum huis rei revelatae testantur.

Institutio diaconalis in Ecclesia occidentali usque ad V saeculum floruit, exinde variis de causis paulatim declinavit donec facta est tantum interiectio quaedam intermedia pro candidatis ad sacerdotium.

Concilium Tridentinum statuit ut diaconatus permanens in pristinum restitueretur sicut temporibus antiquis, secundum propriam naturam, scilicet ut originarium ministerium in Ecclesia.[19] Sed huiusmodi praescriptio in praxim reapse non fuit deducta.

Concilio Vaticano II tribuendum est ut diaconatus possit « in futurum tamquam proprius ac permanens gradus hierarchiae restitui... (et) viris maturioris aetatis etiam in matrimonio viventibus conferre poterit, necnon iuvenibus idoneis, pro quibus tamen lex caelibatus firma remanere debet » iuxta constantem traditionem.[20] Tres sunt causae praecipuae quae ad hoc constituendum induxerunt: *a)* desiderium Ecclesiam muneribus ministerii diaconalis locupletando quae aliter, multis in regionibus difficile exerceri possent; *b)* voluntas gratia ordinationis diaconalis eos roborandi, qui iam muneribus diaconalibus fungebantur; c) sollicitudo eo pertinens ut regionibus penuria cleri laborantibus, per sacros ministros prospiceretur. Hae causae in luce ponunt quomodo restauratio diaconatus permanentis minime imminuere velit significationem, momentum et prosperitatem sacerdotii mi-

[15] Cf Epist. *Ad Philadelphenses,* 4; Epist. *Ad Smyrnaeos,* 12.2; Epist. *Ad Magnesios,* 6.1: J A. Fischer (ed.), Darmstadt 1986.

[16] Cf III: A Voobus (ed.) C.S.C.O. 402.29-30; XI: A Vööbus (ed.) C.S.C.O. 408.120.

[17] Cf. CONCILII ILLIBERITANI (303), cann 32-33; CONCILII ARELATENSIS I (314), can. 5; CONCILII NICAENI (325), can. 18

[18] Prioribus temporibus christianitatis unaquaeque Ecclesia localis suos habebat diaconos numero accommodato membris Ecclesiae, ut possint unumquemque cognoscere et adiuvare (cf. *Didascalia XII Apostolorum,* 16) Fabianus, Papa romanus, Urbem in septem regiones divisit, quae postmodo « diaconiae » appellabantur, quarum singulis diaconus « regionarius » nuncupatus praeerat ad promovendam caritatem et auxilia indigentibus ferenda. Similis temperatio « diaconalis » in urbibus orientalibus et occidentalibus saeculis III et IV inveniebatur.

[19] CONCILIUM OECUM. TRIDENTINUM, Sessio XXIII, *Decretum de reformatione* can. 17.

[20] CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm, *Lumen gentium,* 29.

materialis, quae semper generoso animo enitenda est, etiam eo quod ei nihil substitui potest.

Paulus VI, ut Concilii praeceptiones ad effectum adduceret, per Epistulam apostolicam ***Sacrum diaconatus ordinem*** (18 iunii 1967)[21] regulas generales ad restitutionem diaconatus permanentis in Ecclesia latina spectantes sanxit. Postero anno, per Constitutionem apostolicam ***Pontificalis romani recognitio*** (18 iunii 1968)[22] novum ritum conferendi sacros ordines Episcopatus presbyteratus ac diaconatus approbavit atque etiam materiam et formam earundem ordinationum definivit; denique per Epistulam apostolicam ***Ad pascendum*** (15 augusti 1972)[23] condiciones circumscripsit, quibus candidati ad diaconatum rite admitterentur et ordinarentur. Elementa essentialia harum legum inter praescriptiones Codicis Iuris Canonici sunt recepta a Ioanne Paulo II promulgati (25 ianuarii 1983).[24]

Multae Episcoporum conferentiae, ad exemplum legislationis universalis respicientes, approbatione a Sede Apostolica accepta, ad diaconatum permanentem in propriis nationibus instituendum atque ad normas complementares redigendas processerunt et adhuc procedunt.

III. Diaconatus permanens

Restaurationis rationes

Plurium saeculorum experientia Ecclesiae normam suggessit, secundum quam ordo presbyteratus non confertur nisi ei qui primum diaconatum receperit illudque opportune exercuerit.[25] Attamen ordo diaconatus « non tamquam merus gradus ad sacerdotium existimandus est ».[26]

« Unum ex Concilii Vaticani II fructibus fuit voluntas diaconatum tamquam proprium et permanentem gradum hierarchiae restituendi ».[27] Etenim in fundamento « rationum in circumstantiis historicis et in pastoralibus prospectibus innixorum necnon a Concilii Patribus receptorum, revera Spiritus

[21] ***AAS*** 59 (1967) 697-704.

[22] ***Ibid.,*** 60 (1968) 369-373..

[23] ***Ibid.,*** 64 (1973) 534-540.

[24] **Canones in quibus explicite de diaconis permanentibus agitur, sunt circiter decem:** 236; 276, § 2, 3°; 281, § 3; 288; 1031, § 2-3; 1035, § 1; 1037; 1042, I°; 1050, 3°

[25] **Cf, *CIC,* can.** 1031, § 1.

[26] PAULUS **VI, Litt. Apost.** ***Sacrum diaconatus ordinem*** (18 **Iunii** 1967): ***AAS*** 59 (1967), **p.** 698,

[27] **Cf,** CONC. OECUM. VAT. **II, Const. Dogm.** ***Lumen gentium,*** 29; **Decr.** ***Ad gentes,*** 16; **Decr.** ***Orientalium Ecclesiarum,*** 17; IOANNES PAULUS **II, Allocutio** (16 **Martii** 1985), **n.** 1: ***Insegnamenti,*** **VIII,** 1 (1985), **p.** 648,

Sanctus occulte operabatur, vitae Ecclesiae artifex, ad novam integrae compagis hierarchicae restaurationem incitando, compositae translaticio more ex episcopis, sacerdotibus et diaconis. Hoc modo christianae communitates promovebantur nova vitali vi augendae atque illis magis conformandae, quae ex Apostolorum manibus prodierunt et primis saeculis florebant semper sub Paracliti impulsu, sicuti ***Acta*** testantur ».[28]

Diaconatus permanens incrementum magni momenti affert missioni Ecclesiae.[29] Cum ***munera*** diaconis competentia ad vitam Ecclesiae sint necessaria,[30] convenit et iuvat praesertim in regionibus missionis[31] viros qui ad ministerium vere diaconale vocati sunt sive in vita liturgica vel pastorali, sive in operibus socialibus vel caritativis, « per impositionem manuum inde ab Apostolis traditam corroborari et altari arctius coniungi, ut ministerium suum per gratiam sacramentalem diaconatus efficacius expleant ».[32]

E Civitate Vaticana, die 22 februarii, anno 1998, in festo Cathedrae S. Petri, Apostoli.

Congregatio de Institutione Catholica
Pius card. LAGHI
Praefectus

£8 Iosephus Saraiva Martins
archiepisc. tit. Thuburnicensis
A secretis

Congregatio pro Clericis
DARIUS card. CASTRILLÓN HOYOS
Praefectus

£8 Csaba Ternyák
archiepisc. tit. Eminentianensis
A secretis

[28] IOANNES PAULUS II, **Catechesis in audientia generali habita (6 Octobris 1993), n. 5:** ***Insegnamenti,*** XVI, **2 (1993), p. 954.**

[29] **« Cum restitutio diaconatus permanentis decerneretur, peculiari modo necesse esse sentiebatur et sentitur ut ministri Ecclesiae variis sedibus familiaris convictus, laboris, scholarum hisque similibus praesentes adessent praeterquam in constitutis structuris pastoralibus »** (IOANNES PAULUS II, **Catechesis in audientia generali habita [6 Octobris 1993], n. 6,** ***Insegnamenti,*** XVI, **2 [1993], p. 954).**

[30] **Cf.** CONC. OECUM. VAT. II, **Const. dogm.** ***Lumen gentium,*** **29b.**

[31] **Cf.** CONC. OECUM. VAT. II, **Decr.** ***Ad gentes,*** **16.**

[32] ***Ibid.;*** **cf.** ***Catechismus Catholicae Ecclesiae,*** **n. 1571.**

CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA

Ratio fundamentalis institutionis diaconorum permanentium

PROOEMIUM

1. De itinerariis institutionis

Litterae apostolicae « Sacrum diaconatus ordinem »

1. Institutio diaconorum permanentium imprimis adumbrata est in Litteris apostolicis, quae incipiunt Sacrum diaconatus ordinem.[1]

Litterae circulares « Come è a conoscenza » (« Ut notum est »)

Quae prima praescripta postea recepta et accuratius definita sunt in Litteris ***Come è a conoscenza,*** a Congregatione de Institutione Catholica die 16 Iulii anno 1969 emanatis, quibus « variae institutionis formae » proponuntur adhibendae, secundum « varias formas diaconatus », (pro hominibus status caelibis vel matrimonialis, « destinatis ad obeunda munera in terra missionis et inter gentes ad altiorem progressionis gradum aspirantes, vel in nationibus magis evolutis et cultu civili satis elevato signatis»). Ad doctrinalem institutionem vero quod attinet, necessitas declarata est eam ita excolendi ut communis catechistae praeparationem exuperet atque sacerdo-

[1] **Cf.** PAULUS **VI, Litterae apostolicae *Sacrum diaconatus ordinem* (die 18 Iunii anno 1967): *AAS* 59 (1967), pp. 697-704. Litterae apostolicae, in cap. II, candidatis iuvenibus dedicato praecipiunt: « 6. Iuvenes, ad munus diaconale instituendi, in peculiare recipiantur Collegium, ubi probentur, ad vitam vere evangelicam vivendam informentur, ad propria et sua officia utiliter exsequenda instruantur. 9. Proprium diaconatus tirocinium per tres saltem annos producatur; disciplinarum autem series ita digeratur, ut candidati ad varia diaconatus munera scite salutariterque obeunda ordinatim et gradatim adducantur,, Tota praeterea studiorum ratio ita poterit componi, ut extremo anno praecipua tradatur institutio pro diversis muneribus, quae diaconi potissimum exsequentur. 10. Huc insuper addantur usus atque exercitationes edocendi pueros aliosque fideles christianae religionis elementa, cantum sacrum evulgandi et moderandi, divinos Scripturae libros in fidelium coetibus perlegendi, populum alloquendi et adhortandi, Sacramenta, quae ad diaconos spectant, ministrandi, aegrotos invisendi, eaque in universum implendi ministeria, quae ipsis committi possunt ». Eaedem Litterae apostolicae in capite tertio candidatis grandioris aetatis dedicato praecipiunt: « 14. Optandum est, ut tales etiam diaconi haud mediocri sint ornati doctrina, de qua nn. 8, 9, 10 supra diximus, vel illa saltem polleant scientia, quae Episcopalis Conferentiae iudicio iisdem necessaria erit ad propria et sua munera implenda. Quam ob rem in peculiare Collegium aliquamdiu admittantur, ubi ea omnia addiscant, quae ad munus diaconale digne exsequendum opus erunt. 15. Quodsi forte id fieri nequit, candidatus educandus tradatur spectatissimo sacerdoti, qui de eo curam agat, eumque doceat, deque eius prudentia ac maturitate testimonium afferre valeat ».**

tali formationi quodammodo assimiletur. Deinde disciplinae enumerantur in curricula studiorum includendae.[2]

Litterae apostolicae « Ad pascendum »

In subsequentibus Litteris apostolicis ***Ad pascendum*** distincte declaratur: « Quod spectat ad theologicorum studiorum cursum, ordinationi Diaconorum permanentium praeponendum, Episcoporum Conferentiae, attentis locorum adiunctis, congruas normas tradant easque Sacrae Congregationi pro Institutione Catholica approbationi subiciant ».[3]

Codex Iuris Canonici

Novus ***Codex Iuris Canonici*** horum praeceptorum elementa praecipua in canone 236 exhibet.

2. Elapsis circiter triginta annis a primis praescriptionibus emanatis, opportunum visum est, etiam in luce experientiarum habitarum, hanc praesentem ***Rationem fundamentalem institutionis diaconorum permanentium*** apparare eo fine, ut idoneum instrumentum evadat ad ordinandas atque harmonice componendas, legitimis differentiis servatis, rationes institutionis a Conferentiis Episcopalibus vel a dioecesibus concinnatas, interdum autem inter se valde diversas.

2. Certae theologiae diaconatus necessitudo

3. Institutionis diaconorum permanentium efficientia magna ex parte pendet ex doctrina de diaconatu, cui est innixa. Etenim haec lineas directrices praebet ad institutionis iter definiendum et regendum atque simul finem praestituendum ad quem tendere debet.

Cum diaconatus permanens in Ecclesia occidentali per spatium plus quam mille annorum in desuetudinem cecidisset, germana huius ministerii natura haud dubie difficilior intellectu evasit. Attamen propterea minime affirmari potest doctrinam de diaconatu firmo fundamento carere atque libero diversarum sententiarum theologicarum arbitrio traditam esse. De doctrinalibus elementis hac in re enimvero constat et quidem clarissime, etiam-

[2] **Litteris circularibus Congregationis commendabatur ut magni haberentur studia Sacrae Scripturae, Theologiae Dogmaticae et Moralis, Iuris canonici et Liturgiae necnon instructio indolis technicae candidatos ad quaedam pastoralia munera praeparantis, prout e.g. psychologia, paedagogia catechetica, ars dicendi, cantus sacer, modus catholica opera moderandi, bonorum ecclesiasticorum administratio, tabularum baptismi, confirmationis, matrimonii et defunctorum tempestiva ac ordinata cura, etc. ».**

[3] PAULUS **VI, Litterae apostolicae** *Ad pascendum* **(die** 15 **Augusti anno** 1972), **VII b):** *AAS* 64 (1972), **p.** 540

si ulterioribus enucleationibus et studiis opus est. Hic subsequenter quaedam eorum, quae maioris momenti esse videntur, in memoriam revocantur sine ambitione argumentum istud plene exhauriendi.

Ecclesiologicus et christologicus prospectus

4. Diaconatum imprimis considerare oportet prout quodlibet aliud institutum intrinsecum Ecclesiae, contemplatae tamquam mysterium communionis trinitariae ad missionem protensae. Hoc enim est indicium ad cuiusque ministri ordinati identitatem definiendam necessarium quidem licet non primarium, quia ad eius plenam veritatem pertinet esse participatio specifica et repraesentatio ministerii Christi.[4] Quo pacto intellegitur cur diacono manus imponantur atque peculiaris gratia sacramentalis conferatur, qua sacramento ordinis inseritur.[5]

Specifica ad Christum conformatio

5. Diaconatus confertur per peculiarem effusionem Spiritus *(ordinatio),* quae in recipientis persona specificam efficit configurationem cum Christo, Domino et Servo omnium. In constitutione ***Lumen gentium*** (n. 29) explicatur, textu ***Constitutionum Ecclesiae Aegyptiacae*** allato, quod manuum impositio diacono non est « ad sacerdotium sed ad ministerium »,[6] id est non ad celebrationem eucharisticam sed ad servitium. Quae animadversio una cum monitu Sancti Polycarpi in constitutione ***Lumen gentium*** (n. 29) pariter commemorato,[7] specificam diaconi identitatem exhibet: is enim, prout unici ministerii ecclesiastici particeps, est in Ecclesia specificum signum sacramentale Christi servi. Vi sui muneris debet esse « interpres necessitatum ac

[4] Cf. IOANNES PAULUS II, Exhortatio apostolica postsynodalis *Pastores dabo vobis* (die 25 Martii anno 1992), 12:-*AAS* 84 (1992), pp. 675-676..

[5] Cf. CONCILIUM OECUMENICUM VATICANUM II, Constitutio dogmatica *Lumen gentium,* 28; 29.

[6] *Pontificale Romanum - De Ordinatione Episcopi, presbyterorum et diaconorum,* Editio typica altera, Typis Polyglottis Vaticanis 1990, p. 101, in numero 179 « Praenotandorum » ad ordinationem diaconorum pertinentium locutionem « in ministerio Episcopi ordinantur » exhibet ex *Traditione apostolica,* 8 *(SCh,* 1 Ibis, pp. 58-59) excerptam atque a *Constitutionibus Ecclesiae Aegyptiacae* III, 2 receptam: F. X. Funk (ed.), *Didascalia et Constitutiones Apostolorum,* II, Paderbornae 1905, p 103.

[7] « Sint continentes in omnibus, misericordes, seduli, incedentes iuxta veritatem Domini, qui omnium minister factus est » (Sanctus Polycarpus, *Epistula ad Philippenses,* 5, 2: F. X. Funk [ed..], *Patres Apostolici,* I, Tubingae 1901, pp. 300-302).

votorum christianarum communitatum » atque « instimulator famulatus seu *diaconiae »,*[8] quae est pars essentialis missionis Ecclesiae.

« Materia » et « forma » sacramenti

6. *Materia* ordinationis diaconalis est impositio manuum Episcopi; *forma* in verbis orationis ordinationis consistit, quae tribus momentis, anamnesi nempe, epiclesi et intercessione signatur.[9] Anamnesis (quae historiam salutis recenset in Christo recapitulatam), ad «levitas» se referens, cultum innuit necnon « septem » *Actorum Apostolorum* viros denotat, ad caritatem revocans. Epiclesis « septem » donorum Spiritus Sancti virtutem invocat, ut ordinandus Christum tamquam « diaconum » imitare valeat. Inter cessio vero ad vitam generosam et castam hortatur.

Forma essentialis sacramenti est epiclesis quae his in verbis consistit: « Emitte in eum, Domine, quaesumus, Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii fideliter exsequendi munere septiformis tuae gratiae roboretur ». Septem dona autem ex *Isaiae* 11, 2 originem suam trahunt, et quidem in ampliata forma a *Septuaginta* mutuata. Haec sunt dona Spiritus in Messiam effusa, quae ordini initiatis participantur.

Character et specifica gratia sacramentalis

7. Prout gradus Ordinis sacri, diaconatus characterem imprimit et specificam gratiam sacramentalem communicat. Character diaconalis est signum configurativum-distinctivum animae modo indelebili impressum, quod sacro Ordine auctos configurat Christo, qui diaconus, ideoque servus omnium, factus est.[10] Ipse secum fert specificam gratiam sacramentalem, id est vim, vigorem specialem, donum ad novam condicionem rerum vivendam per sacramentum operatam. « Diaconi vero gratia sacramentali roborati, in diaconia liturgiae, verbi et caritatis Populo Dei, in communione cum Episcopo eiusque presbyterio, inserviunt ».[11] Sicut in omnibus sacramentis characterem imprimentibus, gratia permanentem virtualem vim continet. Eo gradu floret et reflorescit quo in fide accipitur atque iterum iterumque recipi solet.

[8] PAULUS VI, Litterae apostolicae *Ad pascendum,* Prooemium: *l. c,* pp. 534-538.

[9] Cf. *Pontificale Romanum - De Ordinatione Episcopi, presbyterorum et diaconorum,* n. 207: *ed. cit,,* pp. 115-122.

[10] Cf. *Catechismus Ecclesiae Catholicae,* n. 1570.

[11] *Ibidem,* n. 1588.

Necessitudo cum Episcopis et presbyteris

8. Diaconi, cum ecclesiasticum ministerium in inferiore gradu participent, in sua potestate exercenda necessario ex Episcopis pendent prout plenitudinem sacramenti ordinis habentibus. Praeterea, necessitudinem peculiarem cum presbyteris ineunt, quippe in communione quorum ad populum Dei serviendum sint vocati.[12]

Incardinatio

Sub disciplinan respectu diaconus ordinatione diaconali incardinatur vel Ecclesiae particulari vel Praelaturae personali ad cuius servitium admissus est, vel tamquam clericus alicui Instituto religioso vitae consecratae vel Societati clericali vitae apostolicae.[13] Incardinationis institutum non est plus minusve secundarii momenti habendum in quantum characterem vinculi constantis servitii induit pro determinata portione populi Dei. Quod quidem ecclesialem adhaesionem implicat sub respectu iuridico, affectivo et spirituali atque obligationem servitium ministeriale praestandi.

3. Ministerium diaconi in variis pastoralibus contextibus

9. Ministerium diaconale distinctum est exercitio trium munerum, ministerio ordinato propriorum, in specifica luce diaconiae.

Munus docendi

Ad ***munus docendi*** quod attinet, diaconus deputatus est ad proclamandam Scripturam atque ad populum instruendum et exhortandum.[14] Quod quidem elucet ex libri Evangelii traditione, in ipso ordinationis ritu praescripta.[15]

Munus sanctificandi

Diaconi ***munus sanctificandi*** impletur orationi assidue insistendo, baptisma sollemniter administrando, matrimonio adsistendo idemque benedicendo, Eucharistiam servando et distribuendo, ritui funeris et sepulturae prae-

[12] Cf. CONCILIUM OECUMENICUM VATICANUM II, **Decretum *Christus Dominus,* 15.**

[13] **Cf. *C.I.C.,* can. 266.**

[14] Cf. CONCILIUM OECUMENICUM VATICANUM II, **Constitutio dogmatica *Lumen gentium,* 29.**

[15] **Cf. *Pontificale Romanum - De Ordinatione Episcopi, presbyterorum et diaconorum,* n. 210: *ed. cit.,* p. 125.**

sidendo necnon sacramentalia dispensando.[16] Quo pacto apparet, quomodo ministerium diaconale ex Eucharistia procedat ad eandemque redeat, nec in mero servitio sociali exhauriri possit.

Munus regendi

Munus regendi denique exercetur per deditionem operibus caritatis, per auxilia ferenda,[17] per religiosam vitam in communitate vel in particularibus eius coetibus fovendam, peculiari respectu habito ad caritatem, quae praeeminentem diaconalis ministerii notam constituit.

10. Lineamenta genuini ministerii diaconatus, sicuti ex antiqua diaconali praxi et ex conciliorum statutis evincitur, sunt ergo clarissime definita. Attamen, si hoc ministerii genus sua natura unum est, nihilominus diversas sui exercitii formas concretas induit, quae pro peculiaritate casuum a diversis circumstantiis pastoralibus singularum Ecclesiarum subinde suggerendae erunt. Quae indicia certo ignorari non licet in itinerario formationis definiendo.

4. Spiritualitas diaconalis

11. Ex identitate theologica diaconi lineamenta spiritualitatis propriae perspicue efflorescunt, quae quidem ut spiritualitas servitii potissimum exhibetur.

Spiritualitas servitii

Spiritualis vitae exemplar propter excellentiam est Christus servus qui suam vitam totus in servitium Dei et in bonum hominum impendit. Ille in servo primi cantus ***Libri Isaiae*** (cf. ***Lc*** 4, 18-19) se agnoscens, navitatem suam expresse diaconiam appellavit (cf. ***Mt*** 20, 28; ***Lc*** 22, 27; ***Io*** 13, 1-17; ***Phil*** 2, 7-8; ***1 Pt*** 2, 21-25) necnon discipulis suis commendavit ut tantumdem facerent (cf. ***Io*** 13, 34-35; ***Lc*** 12, 37).

Spiritualis forma servitii spiritualitas est totius Ecclesiae, quippe quae tota instar Mariae «ancillae Domini» ***(Lc*** 1, 28) sit in servitium pro mundi salute. Ea autem ratione ut hanc servitii spiritualitatem tota Ecclesia melius vivere possit, Dominus semetipsum tamquam vivum et personale servi signum ei donat. Quapropter haec spiritualis vitae forma ad diaconum particulari modo pertinet, eumque sacra ordinatione « iconam » viventem Christi servi in Ecclesia constituit. Linea directrix eius spiritualis vitae igitur

[16] **Cf.** CONCILIUM OECUMENICUM VATICANUM II, **Constitutio dogmatica** ***Lumen gentium,*** 29.

[17] **Cf.** ***ibidem.***

servitium erit; sanctitas eius autem expostulabit ut servus magnanimus et fidelis Dei et hominum, pauperrimorum praesertim et dolore afflictorum, evadat; ipsius ascetici nisus ideo ad illas virtutes acquirendas tendent, quae ad eiusdem ministerium exercendum requiruntur.

Peculiaris statuum vitae distinctio

12. Talis spiritualis vitae forma, sicuti patet, deinde harmonice componenda erit cum spiritualitate statui vitae consona. Ideoque ea ipsa spiritualitas diaconalis diversas notas acquiret secundum quod ab homine matrimonio coniuncto, caelibi, religioso vel in mundo consecrato in praxim deducenda sit. Oportet igitur ut formationis itinerarium hos diversos modos prae oculis habeat atque spiritualia tirocinia praescribat secundum peculiare candidatorum genus qualitate distincta.

5. Officium Conferentiarum episcopalium

13. « Est officium legitimorum episcopalium Coetuum seu Conferentiarum, Summo Pontifice assentiente, deliberare, utrum et ubinam diaconatus, tamquam proprius ac permanens Hierarchiae gradus, in fidelium bonum sit instituendus, necne ».[18]

Conferentiarum episcopalium competentiae

Conferentiis episcopalibus ***Codex Iuris Canonici*** competentiam etiam attribuit addititiis normis definiendi disciplinam ad Liturgiae Horas persolvendas,[19] ad aetatem requisitam pro admissione[20] et formatione, de qua in can. 236, spectantem. Quo canone statuitur ad Conferentias episcopales pertinere opportunas, secundum circumstantias loci, leges ferre eo fine, ut candidati ad diaconatum permanentem sive iuvenes sive grandioris aetatis, sive caelibes sive uxorati « ad vitam spiritualem alendam informentur atque ad officia eidem ordini propria rite adimplenda instruantur ».

« Rationis fundamentalis institutionis diaconorum permanentium » adiumentum

14. Ad Conferentias episcopales in itinerariis institutoriis apparandis adiuvandas ita ut, dum ad particularia locorum adiuncta respiciant, cum

[18] PAULUS VI, **Litterae apostolicae** ***Sacrum diaconatus ordinem,*** I, 1: ***l.c,*** **p.** 699.

[19] **Cf.** ***C.I.C.,*** **can.** 276, § 2, 3°.

[20] **Cf.** ***ibidem,*** **can.** 1031, § **3.**

universali Ecclesiae linea tamen concordent, Congregatio de Institutione Catholica hanc praesentem ***Rationem fundamentalem institutionis diaconorum permanentium*** redigendam curavit, qua firma iudicii elementa praebeantur ad criteria pro vocationibus et variis formationis aspectibus definienda. Quae Ratio — prout ex sua ipsius natura liquet — nonnisi quaedam fundamentalia lineamenta indolis generalis statuit regulam exhibentia, ad quam Conferentiis episcopalibus se referre oportet in suis propriis ***rationibus*** nationalibus elaborandis vel, si casus ferat, perficiendis. Illa igitur, particularium Ecclesiarum ingenium et novitatis studium non cohibens, fundamentum praebet quo diaconorum permanentium institutio innixa, tuto praestita et cum aliarum Ecclesiarum programmatibus concinne componi queat.

15. Modo analogo relative ad praescripta ab ipso Concilio Vaticano II pro ***rationibus institutionis sacerdotalis***[21] statuta, hoc praesenti documento a Conferentiis episcopalibus, quae diaconatum permanentem restauraverunt, requiritur ut suas proprias ***rationes institutionis diaconorum permanentium*** Sanctae Sedi examinanda submittant ad approbationem obtinendam. Quae quidem approbationem concedet primum ***ad experimentum,*** ita ut periodica documentorum recognitio locum habere possit.

6. Officia Episcoporum

De rerum adiunctis discernendis

16. Diaconatus permanentis in aliqua natione restauratio non implicat ipsius restaurationem in omnibus dioecesibus. Etenim ad Episcopum dioecesanum spectabit, audita prudenter sententia Consilii presbyteralis et Consilii pastoralis, si existat, hac in re procedere vel non, consideratis necessitatibus concretis simul cum specifica condicione rerum suae Ecclesiae particularis.

Catechesis opportunitas

Quodsi pro diaconatus permanentis restauratione optionem fecerit, opportunam catechesim promovendam hac de re curabit sive inter laicos sive inter sacerdotes et religiosos, ita ut ministerium diaconale integre et penitus intellegatur. Providebit insuper de erigendis structuris necessariis pro formationis opera atque de idoneis cooperatoribus nominandis, qui eum qua

[21] CONCILIUM OECUMENICUM VATICANUM **II, Decretum *Optatam totius,* 1.**

directi institutionis moderatores adiuvent vel, secundum circumstantias, recurret ad aliarum dioecesium paedagogicas structuras aut ad regionalia vel nationalia instituta.

Congruae Regulae

Deinde Episcopus sollicitas curas geret ut, Ratione nationali et propriis experientiis rite consideratis, congruae Regulae dioecesanae redigantur et certis temporis intervallis recognoscantur.

7. Diaconatus permanens in Institutis vitae consecratae et in Societatibus vitae apostolicae

Capitulorum Generalium decreta

17. Institutio diaconatus permanentis inter membra Institutorum vitae consecratae et Societatum vitae apostolicae regitur normis Litterarum Apostolicarum ***Sacrum diaconatus ordinem.*** Ibi statuitur quod « diaconatum permanentem constituere apud religiosos iusproprium Sanctae Sedis est, ad quam unice pertinet Capitulorum Generalium hac de re vota expendere atque probare ».[22] Quae — iuxta praefatum documentum — etiam « de sodalibus ceterorum institutorum, evangelica consilia profitentium, sunt pariter intellegenda ».[23]

Auctoritates formationi praepositae

Quodlibet Institutum vel quaelibet Societas quae obtinuerit ius in suo sinu diaconatum permanentem restaurandi officium assumit suorum candidatorum formationem humanam, spiritualem, intellectualem et pastoralem in tuto collocandi. Quapropter huiusmodi Institutum vel Societas impensam operam navabit ad proprium formationis programma apparandum, quod Instituti vel Societatis nativum charisma et peculiarem spiritualitatem recipiat et simul cum praesenti ***Ratione fundamentali*** concordet, praesertim in materia ad intellectualem et pastoralem institutionem pertinenti.

Programmata uniuscuiusque Instituti vel Societatis examinanda et approbanda subicientur Congregationi pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, vel Congregationi pro Gentium Evangelizatione

[22] PAULUS VI, **Litterae apostolicae *Sacrum diaconatus ordinem,*** VII, 32: ***l.c,*** **p.** 703.

[23] ***Ibidem,*** VII, 35: ***l.c,*** **p.** 704,

et Congregationi pro Ecclesiis Orientalibus secundum territoria earum competentiae. Congregatio competens eadem approbabit, audita Congregatione de Institutione Catholica in materia intellectualem formationem respicienti, primum ***ad experimentum*** et postea ad definitum temporis spatium, ita ut periodicae recognitiones institui possint.

I
INSTITUTIONIS DIACONORUM PERMANENTIUM ACTORES

1. Ecclesia et Episcopus

18. Institutio diaconorum, sicuti et ceterorum ministrorum et omnium baptizatorum, est officium universam Ecclesiam implicans. Ipsa ab apostolo Paulo « Ierusalem superna » et « nostra mater » *(Gal* 4, 26) appellata, ad Mariae similitudinem, «praedicatione enim ac baptismo filios, de Spiritu Sancto conceptos et ex Deo natos, ad vitam novam et immortalem generat ».[24] Nec tamen satis: maternitatem enim Mariae imitans, filios suos materno prosequitur amore et providet ut omnes ad plenitudinem suae vocationis perveniant.

Spiritus Christi, primus formationis artifex

Ecclesiae cura de suis filiis in Verbi et sacramentorum celebratione, in amore et mutuo auxilio, in oratione et in variorum ministrorum sollicitudine manifestatur. Attamen in hac visibili, ut ita dicatur, cura praesens fit cura Spiritus Christi. Etenim « socialis compago Ecclesiae Spiritui Christi, eam vivificanti, ad augmentum corporis inservit »[25] sive totaliter sumpti sive in eius singulis membris.

In sollicitudine Ecclesiae de suis filiis primus actor est ergo Spiritus Christi. Ille est, qui eos convocat, comitatur atque corda eorum plasmat, ut eius gratiam agnoscere eique magno animo respondere valeant. Ecclesia conscia sit oportet istius ponderis, quod gratiae oeconomia in sua opera paedagogica habet.

Episcopus (vel Superior maior), supremus institutionis praeses

19. In diaconorum permanentium institutione primum signum et instrumentum Spiritus Christi est Episcopus proprius (vel Superior maior compe-

[24] CONCILIUM OECUMENICUM VATICANUM II, **Constitutio dogmatica *Lumen gentium,*** 64.
[25] ***Ibidem,*** **8.**

tens).[26] Ille enim eis discernendis et formandis praeest.[27] Etiamsi officium istud per cooperatores a se electos plerumque exercet, diligenter tamen studebit omnes ad diaconatum se praeparantes in persona pro posse cognoscere.

2. *Ad operam institutoriam deputati*

20. Personae, quae dependenter ab Episcopo (vel a Superiore maiore competenti) et in arcta cooperatione cum communitate diaconali peculiare munus in candidatis ad diaconatum permanentem formandis exercent, sunt: rector institutionis, tutor (ubi numerus id exigat), moderator spiritus et parochus (vel minister, cui candidatus commissus est ad tirocinium diaconale explendum).

Rector institutionis

21. Rectoris institutionis ab Episcopo (vel a Superiore maiore competenti) nominati est varias personas institutioni addictas coordinare, integrae educationis operae praeesse eamque in singulis aspectibus suis animare, cum familiis aspirantium et candidatorum uxoratorum eorumque communitatibus amicalem consuetudinem fovere. Praeterea, officium ei incumbit Episcopo (vel Superiori maiori competenti) iudicium exprimendi, audita sententia ceterorum formatorum,[28] moderatore spiritus excluso, de idoneitate aspirantium ad admissionem inter candidatos et candidatorum promovendorum ad diaconatus ordinem.

Propter sua haud facilia et magni momenti onera, rector institutionis summa cura eligendus est. Oportet sit homo vivae fidei et fortis sensus Ecclesiae, ampla experientia pastorali ornatus, necnon per prudentiam, aequum animum et communionis capacitatem probatus; solida insuper scientia theologica et paedagogica pollere debet.

[26] Episcopo dioecesano merito aequiparantur ii quibus concredita sunt praelatura territorialis, abbatia territorialis, vicariatus apostolicus, praefectura apostolica et administratio apostolica stabiliter erecta (cf. *C.I.C.,* cann. 368; 381, § 2) necnon praelatura personalis (cf. *C.I.C,* cann. 266, § 1; 295) atque ordinariatus militaris (cf. IOANNES PAULUS II, Constitutio apostolica *Spirituali militum curae* [die 21 Aprilis anno 1986], art. I, § 1; art. II, § 1: *AAS* 78 [1986], pp. 482; 483).

[27] Cf *C.I.C.,* cann, 1025; 1029..

[28] Subauditur etiam rector institutionis domus institutoriae propriae, quotiens exstet (cf *C.I.C.,* can.. 236, 1°),

Presbyter aut diaconus esse poterit, at desiderandum est ne apud diaconos ordinatos auctoritatem exerceat. Immo exoptandum esset ut hoc officium in formatione aspirantium et candidatorum distinctum remaneat.

Tutor

22. Tutor, designatus a rectore institutionis inter diaconos vel presbyteros experientiae probatae et nominatus ab Episcopo (vel a Superiore maiore competenti), est uniuscuiusque aspirantis et candidati maxime proximus comes. Eius est cuiusque itinerario propius adesse atque suum auxilium et consilium praestare ad obvenientes, si quae sint, difficultates solvendas necnon ad varia formationis momenta personali nisu intimius sibi adsciscenda. Requiritur etiam ut cum institutionis rectore cooperet in diversis paedagogicis inceptis praedisponendis atque in iudicio de idoneitate efformando et exhibendo Episcopo (vel Superiori maiori competenti). Secundum circumstantias officium ei tradetur pro una sola persona aut pro parvo coetu curam gerendi.

Moderator spiritus

23. Moderator spiritus ab unoquoque aspiranti vel candidato eligitur atque ab Episcopo vel Superiore maiore approbandus est. Eius est operam interiorem quam Spiritus in anima vocatorum efficit discernere, simulque continuae conversioni assistere eamque fovere; praeterea suggestiones proponere debet idoneas ad genuinae spiritualitatis diaconalis maiorem maturationem obtinendam atque incitamenta efficacia dare ad virtutes acquirendas cum eadem conexas. Hac de causa, aspirantes et candidati invitentur ut spirituali directioni se committant nonnisi sacerdotum probatae virtutis, optima theologica scientia, profunda experientia spirituali, exquisito sensu paedagogico, necnon fervido animo in ministerium intento ornatorum.

Parochus

24. Parochus (vel alius minister) a rectore institutionis eligitur communi consilio coetus educatorum atque prae oculis habitis diversis loci et vitae adiunctis, in quibus candidati versantur. Eius est candidatum sibi commissum in vivam ministerii communionem assumere atque, sub suo personali ductu, actionibus pastoralibus initiare, quae sibi aptiores visae fuerint; operam insuper dabit labori expleto periodice una cum ipso candidato expen-

dendo atque curabit rectori de progressione formationis in tirocinio notitias referre.

3. Professores

Competentia scientifica et testimonium vitae

25. Professores ad futuros diaconos efformandos maxime conferunt. Illi enim, sacrum depositum ab Ecclesia custoditum tradentes, fidem candidatorum nutriunt eosque ad officium magistrorum populi Dei idoneos reddunt. Quam ob rem ipsi solliciti esse debent non solum necessariam competentiam scientificam et sufficientem artem paedagogicam sibi acquirere, sed etiam veritatem quam docent per testimonium vitae confirmare.

Unitatis paedagogicae studium

Ut eorum specifica opera cum ceteris formationis dimensionibus harmonice componi possit, haud parum interest ut parati sint, secundum circumstantias, cum aliis personis formationi addictis cooperare et communes omnium nisus collegialiter expendere. Quo pacto efficient ut candidatis formatio ad unitatem redacta tradatur et eos efficaciter adiuvent in necessaria synthesi sibi comparanda.

4. Communitas institutionis diaconorum permanentium

Specificae communitatis ecclesialis specimen

26. Aspirantes et candidati ad diaconatum permanentem singularem ambitum necessario constituunt: specificam nempe communitatem ecclesialem, quae stimulatricem vim formationis funditus afficit.

Personae ad formationem deputatae eniti debent ut communitas genuina spirituali vita, sensu mutuae adhaesionis, spiritu servitii et missionali fervore emineat atque programma praestitutum possideat periodicarum occursationum et orationis.

Magni pretii adminiculum

Quo modo communitas institutionis diaconorum permanentium aspirantibus et candidatis ad diaconatum pretioso auxilio esse poterit in eorum vocatione discernenda, in maturitate humana promovenda, in introductione in spiritualem vitam, in studio theologiae et in praxi pastorali.

5. Communitas originis

27. Communitates, e quibus aspirantes et candidati ad diaconatum proveniunt, in eorum formationem vim haud mediocrem exercere possunt.

Familia

Aspirantibus et candidatis iunioribus familiae magni pretii auxilium praestare debent. Ipsae hortandae sunt, ut «formationis itinerarium orationibus, debito respectu, recto virtutum domesticarum exemplo, spirituali et materiali auxilio, praesertim in difficilioribus adiunctis persequi » sciant. Immo etiam « si forte genitores et familiares indifferentes sese ostendant vel adversos vocationis delectui, comparatio quaedam clara et serena cum eorum positione et consequentes stimuli magno auxilio esse possunt, ut... vocatio consultius ac firmius maturet ».[29] Ad aspirantes et candidatos uxoratos quod attinet, maxime enitendum erit ut coniugalis vitae communio efficaciter conferat ad eorum formationis itinerarium versus diaconatus metam corroborandum.

Communitas paroecialis

A communitate paroeciali exspectatur, ut itinerarium cuiusque sui membri ad diaconatum orationis auxilio et congruo catechesis tirocinio prosequatur quod, dum fidelium mentes erga ministerium istud aperit, candidato validum auxilium ad vocationem suam discernendam praestat.

Aggregationes ecclesiales

Etiam illae aggregationes ecclesiales, e quibus aspirantes et candidati ad diaconatum proveniunt, continuatim iisdem fons esse poterunt auxilii, praesidii, lucis et humanitatis. Pariter tamen ministerialem suorum membrorum vocationem magni aestimare debent, ita ut maturationem spiritualitatis et operosae alacritatis specifice diaconalis in iis nedum impediant, eam efficaciter iuvent.

6. Aspirans et candidatus

Sui ipsius educatio

28. Postremo prae oculis habendum est quemlibet ad diaconatum se praeparantem « primum auctorem esse dicendum adeo necessarium, ut suffi-

[29] IOANNES PAULUS II, **Exhortatio apostolica postsynodalis** ***Pastores dabo vobis,*** **68:** ***l.c,*** **pp 775-776.**

ei omnino nequeat in suapte formatione ducenda: nam quodcumque educandi opus... est, denique, sui ipsius educatio».[30]

Quae sui ipsius formatio minime tamen separationem, segregationem vel inconsultam libertatem significat, sed potius officii conscientiam et promptam alacritatem ad divinam vocationem generose sequendam, maximo momento tributo personarum dotibus atque mediis a Providentia suppeditatis.

Quod formationis genus radicitus consistit in firma voluntate in vita secundum Spiritum proiiciendi modo congruo vocationi susceptae, alimentum suum trahens ex animo humili et proclivo ad suos proprios limites suasque proprias dotes agnoscenda.

II
CANDIDATORUM AD DIACONATUM PERMANENTEM DOTES

Ecclesiae pars in vocatione discernenda

29. « Historia cuiusvis vocationis presbyteralis, sicut ceterum cuiusvis fere vocationis christianae, historia est ***ineffabilis dialogi inter Deum et hominem,*** inter amorem Dei vocantis et libertatem hominis Deo respondentis ».[31] Sed una cum appellatione Dei et responsione hominis aliud elementum constitutivum vocationis et praesertim vocationis ministerialis habetur: publica nempe appellatio Ecclesiae. « Vocari a Deo dicuntur qui a legitimis Ecclesiae ministris vocantur ».[32] Qui terminus intelligi debet non sensu stricte iuridico, quasi auctoritas appellans sola vocationem efficeret, sed sensu ***sacramentali,*** quo auctoritas appellationem enuntians signum et instrumentum personalis interventus Dei consideratur, qui per manuum impositionem completur. Re ita considerata, quaecumque electio regularis inspirationem innuit atque electionem Dei repraesentat. Ecclesiae sententia de vocatione ultimum iudicium constituit in vocatione eligenda; et hoc eo vel magis, cum de ecclesiali momento agatur in electione vocationis ad ministerium ordinatum.

Huiusmodi vocationis discernendae opera criteriis obiectivis fulciri debet, quae Ecclesiae traditionem magni habeant atque ad hodiernas necessi-

[30] *Ibidem,* 69: *lc,* p„ 778.
[31] *Ibidem,* 36: *l.c,* pp„ 715-716.
[32] *Catechismus ex decreto Concilii Tridentini ad Parochos,* pars II, c. 7, n. 3, Augustae Taurinorum 1914, p. 288.

tates pastorales respiciant. In vocationibus ad diaconatum permanentem discernendis requisita quaedam prae oculis habenda sunt indolis generalis et alia quae peculiari vocatorum statui vitae respondeant.

1. Requisita indolis generalis

Lineamenta a Sancto Paulo adumbrata

30. Prima figura diaconi in ***Prima Epistola sancti Pauli ad Timotheum*** prostat: « Diaconos similiter púdicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primum, deinde ministrent nullum crimen habentes... Diaconi sint unius uxoris viri, qui filiis suis bene praesint et suis domibus; qui enim bene ministraverint, gradum sibi bonum acquirent et multam fiduciam in fide, quae est in Christo Iesu» ***(1 Tim*** 3, 8-10.12-13).

Indicia Patrum Ecclesiae

Qualitates a Paulo enumeratae potissimum humanae sunt, quasi — ut ita dicatur — diaconi munere suo fungi non possint nisi exemplar etiam sub respectu humano existimatum sese exhibeant. Pauli doctrinae resonantia in aliis Patrum Apostolicorum scriptis, praesertim in ***Didachè*** et apud Sanctum Polycarpum reperitur. ***Didachè*** hortatur: « Constituite igitur vobis episcopos et diaconos dignos Domino, viros mansuetos et argenti non cupidos et veraces et probatos »;[33] Sanctus Polycarpus vero admonet: « Similiter diaconi in conspectu iustitiae eius inculpati esse debent, sicut ministri Dei et Christi, non hominum; ne calumniatores sint, ne bilingues, nec avari; sed continentes in omnibus, misericordes, seduli, incedentes secundum veritatem Domini, qui omnium minister factus est ».[34]

Requisita Codicis Iuris Canonici

31. Postea traditio Ecclesiae ulterius complevit atque definivit requisita, quae vocationis ad diaconatum authenticam naturam suffragantur. Ea in primis sunt quae ordines in genere respiciunt: « Ad ordines ii soli promoveantur qui... integram habent fidem, recta moventur intentione, debita pollent scientia, bona gaudent existimatione, integris moribus probatisque

[33] ***Didachè,*** **15, 1: F. X. Funk (ed.),** ***Patres Apostolici,*** **I,** ***o.c,*** **pp. 32-35.**

[34] **S.** POLYCARPUS, ***Epistula ad Philippenses,*** **5, 1-2: F. X. Funk (ed.),** ***Patres Apostolici,*** **I, o.c, pp. 300-302**

virtutibus atque aliis qualitatibus physicis et psychicis ordini recipiendo congruentibus sunt praediti ».[35]

Qualitates humanae et virtutes evangelicae a « diaconia » requisitae

32. Candidatorum figura deinde completur quibusdam specificis qualitatibus humanis et virtutibus evangelicis a diaconia postulatis. Inter qualitates humanas nominandae sunt: maturitas psychica, facultas dialogi et communicationis, conscientia officii, industria, animi aequilibrium et prudentia. Inter virtutes evangélicas peculiaris momenti sunt: oratio, pietas eucharistica et mariana, ***sensus Ecclesiae*** humilis et conspicuus, amor Ecclesiae eiusque missionis, spiritus paupertatis, facultas oboedientiae et communionis fraternae, alacritas apostolica, animus ad servitium proclivus,[36] caritas erga fratres.

In communitatem christianam insertio

33. Praeterea candidatos ad diaconatum oportet alicui communitati christianae vitaliter esse insertos atque exercuisse iam magna cum cura quaedam apostolatus opera.

Exercitium laboris aut professionis

34. Candidati ex omnibus societatis coetibus provenire atque quemlibet laborem vel professionem exercere possunt, dummodo non sit, secundum normas Ecclesiae et prudens iudicium Episcopi, statum diaconalem dedecens.[37] Praeterea huiusmodi operositas practice componi debet cum oneribus formationis et exercitii activi ministerii.

Aetas minima

35. Quoad aetatem minimam, ***Codex Iuris Canonici*** statuit quod « candidatus ad diaconatum permanentem qui non sit uxoratus ad eundem diaconatum ne admittatur, nisi post expletum vigesimum quintum saltem aeta-

[35] ***CIC.,* can,** 1029. **Cf. can.** 1051, 1°..

[36] **Cf.** PAULUS **VI, Litterae apostolicae** *Sacrum diaconatus ordinem,* **II,** 8: *l.c,* **p.** 700.

[37] **Cf** ***C.I.C,*** **cann,** 285, §§ 1-2; 289; PAULUS **VI, Litterae apostolicae** *Sacrum diaconatus ordinem,* **III,** 17: *l.c,* **p.** 701,

tis annum; qui matrimonio coniunctus est, nonnisi post expletum trigesimum quintum saltem aetatis annum, atque de uxoris consensu ».[38]

Irregularitates et impedimenta

Oportet vero candidatos liberos esse ab irregularitatibus atque ab impedimentis.[39]

2. Requisita candidatorum statui vitae respondentia

a) ***Caelibes***

« Cor indivisum »

36. « Ex Ecclesiae instituto, ipso Oecumenico Concilio comprobante, ii, qui ad diaconatum iuvenes vocantur, lege caelibatus servandi astringuntur ».[40] Quae lex, quam ii qui hoc charismate donati sunt libere amplectuntur, potissimum cum sacro ministerio congruit.

Diaconatus permanens in caelibatu peractus peculiares quasdam notas ministerio imprimit. Etenim identificatio sacramentalis cum Christo in ***cordis indivisi*** contextum inseritur, optionis scilicet sponsalis, exclusivae, perennis et integrae unici et summi Amoris; quo pacto servitium Ecclesiae plena deditione perfungi poterit atque proclamatio Regni generoso testimonio vitae confirmabitur eius, qui talis ministerii causa bona etiam maxime cara reliquit.

b) ***Uxorati***

Positiva experientia vitae familiaris

37. « Cum de viris matrimonio iunctis agitur, cavendum est, ut ii tantum ad diaconatum provehantur, qui, plures iam annos in matrimonio vi-

[38] ***C.I.C.,*** **can.** 1031, § 2. **Cf.** PAULUS **VI, Litterae apostolicae** ***Sacrum diaconatus ordinem,*** **II,** 5; **III,** 12: ***l.c,*** **pp.** 699; 700. **Canon** 1031, § 3 **praecipit: «Integrum est Episcoporum conferentiis normam statuere, qua provectior ad presbyteratum et ad diaconatum permanentem requiratur aetas »..**

[39] **Cf.** ***C.I.C.,*** **cann.** 1040-1042. **Irregularitates (seu impedimenta perpetua) a can.** 1041 **enumeratae hae sunt:** 1) **aliqua forma** ***amentiae*** **aliusve** ***psychicae infirmitatis,*** **qua, consultis peritis, inhabilis indicatur ad ministerium rite implendum;** 2) **delicta** ***apostasiae, haeresis*** **aut** ***schismatis;*** 3) ***attentatum matrimonium,*** **etiam civile tantum;** 4) ***voluntarium homicidium perpetratum aut abortus procuratus,*** **effectu secuto;** 5) ***graviter mutilare*** **se ipsum vel alium, et** ***sibi vitam adimere tentare;*** 6) ***actum ordinis illicite ponere.*** **Impedimenta simplicia a can.** 1042 **enumerata haec sunt:** 1) ***officium vel administrationem indecoram vel a clericali statu alienam gerere;*** 2) ***status neophytae*** **(nisi iudicium Ordinarii aliter sonat).**

[40] PAULUS **VI, Litterae apostolicae** ***Sacrum diaconatus ordinem,*** **II,** 4: ***l.c,*** **p.** 699. **Cf.** CONCILIUM OECUMENICUM VATICANUM **II, Constitutio dogmatica** ***Lumen gentium,*** 29.

ventes, se domui suae bene praeesse ostenderint, quippe quibus et uxor et filii sint vitam vere christianam agentes et integra fama praestantes »."

Consensus et indoles mulieris

Nec solum hoc. Etenim praeter candidati stabilem condicionem vitae familiaris statuitur candidatos uxoratos admitti non posse « nisi constet non solum de uxoris consensu, sed de eiusdem etiam christiana morum probitate illisque dotibus, quae viri ministerium nec impediant nec dedecorent ».[42]

c) ***Vidui***

Probitas humana et spiritualis

38. « Post ordinem receptum diaconi, grandiore etiam aetate promoti, ex tradita Ecclesiae disciplina ad ineundum matrimonium inhabiles sunt ».[43] Eadem lex etiam pro diaconis valet qui vidui remanserunt.[44] Eorum vocatio consistit in exemplo probitatis humanae et spiritualis in propria condicione vitae exhibendo.

Praeterea, ut candidati vidui admitti possint, demonstrare debent de suorum filiorum humana et christiana cura iam providisse aut capaces esse de ea congruo modo providendi.

d) ***Sodales Institutorum vitae consecratae et Societatum vitae apostolicae***

De charismate et ministerio harmonice componendis

39. Diaconi permanentes ad Instituta vitae consecratae vel ad Societates vitae apostolicae pertinentes[45] vocati sunt ad ministerium suum specifico charismate accepto ditandum. Licet enim eorum pastoralis actio sub iuris-

[41] PAULUS VI, Litterae apostolicae *Sacrum diaconatus ordinem,* III, 13: *l.c* , p 700.

[42] *Ibidem,* III, 11: *lc,* p. 700. Cf. *C.I.C.,* cann. 1031, § 2; 1050, 3°

[43] PAULUS VI, Litterae apostolicae *Sacrum diaconatus ordinem,* III, 16: *l.c,* p. 701; Litterae apostolicae *Ad pascendum,* VI: *l.c,* p. 539; *C.I.C.,* can 1087.

[44] Litteris circularibus (Prot. N. 26397) emanatis die 6 Iunii anno 1997 a Congregatione de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum statuitur unam solam e sequentibus causis sufficere ad dispensationem ab impedimento obtinendam, de qua in can. 1087 C.I.C.: magna et probata utilitas ministerii diaconi in dioecesi cui pertinet; praesentia filiorum tenerae aetatis, qui materna cura indigent; praesentia genitorum vel socerorum aetate provecturum et auxiliis indigentium

[45] Cf. PAULUS VI, Litterae apostolicae *Sacrum diaconatus ordinem,* VII; 32-35: *lc,* pp. 703-704.

dictione Ordinarii loci exerceatur,[46] peculiarem tamen notam eorum vitae status religiosi vel consecrati exhibet. Ideo solliciti erunt de religiosa vel consecrata vita cum ministeriali componenda atque de speciali suo tributo ad Ecclesiae missionem praestando.

III

FORMATIONIS ITINERARIUM AD DIACONATUM PERMANENTEM

1. Aspirantium praesentatio

Responsabilitates diversae

40. Voluntatis declaratio itinerarium formationis diaconalis ineundi fieri potest sive motu proprio ipsius aspirantis, sive per explicitam designationem communitatis, cuius aspirans est membrum. Utcumque sit, oportet ut huiusmodi voluntatis declaratio a communitate accepta et rata habeatur.

Parochi (vel superioris, si de religiosis agatur) est aspirantem ad diaconatum nomine communitatis Episcopo (seu Superiori maiori competenti) praesentare. Quod ille faciet petitionem commendando illustratione causarum moventium eamque suffragantium, et simul exhibendo aspirantis ***curriculum vitae*** personalis et pastoralis.

Episcopus (vel Superior maior competens) consultis rectore institutionis et coetu educatorum, decernet utrum petitor in periodum propedeuticam admittendus sit nec ne.

2. Periodus propedeutica

Fines

41. Admissione inter aspirantes ad diaconatum incipit periodus propedeutica, quae per congruum tempus protrahetur. Haec periodus est, qua aspirantes theologiae, spirituali vitae et ministerio diaconali profundius cognoscendis initientur atque invitabuntur ad suam vocationem accuratius discernendam.

[46] Cf, *Idem,* Litterae apostolicae *Ecclesiae sanctae* (die 6 Augusti anno 1966), I, 25, § 1: *AAS* 58 (1966), p. 770„

Formatores

42. Periodo propedeuticae praeest rector institutionis, qui, secundum circumstantias, aspirantes uni vel pluribus tutoribus committere poterit. Optandum est ut, circumstantiis permittentibus, aspirantes propriam suam communitatem constituant, cum proprio rhythmo occursionum et orationis, qui communia momenta etiam cum communitate candidatorum praestituat.

Rector institutionis sciscitari debet utrum unusquisque aspirans directorem spiritus approbatum habeat, atque cum cuiusque parocho (vel alio sacerdote) consultationes statuere ad tirocinii pastoralis programma definiendum. Praeterea, cum familiis aspirantium uxoratorum necessitudinem fovere curabit, ut sibi de earum voluntate constet vocationem sui familiaris acceptandi, participandi et comitandi.

Programma

43. Periodi propedeuticae programma praelectiones scholasticas generatim ne praescribat, sed potius orationis conventus, instructiones, meditationis et comparationis personalis momenta proponat, quibus vocatio obiective discerni possit secundum programma praestitutum.

Iam in hac periodo curandum est ut, pro posse, etiam aspirantium uxores ad participationem asciscantur.

Opus vocationis discernendae

44. Dotibus ad ministerium diaconale requisitis consideratis, aspirantes invitentur ad suam vocationem plena libertate et rei conscientia discernendam, exclusis suggestionibus commodi personalis vel quibusvis coërcitionibus externis.[47]

Sub periodi propedeuticae fine rector institutionis, coetu educatorum consulto et omnibus elementis in sua possessione prae oculis habitis, proprio Episcopo (vel Superiori maiori competenti) litteras testimoniales tradet, quae exhibeant personae aspirantis figuram, necnon iudicium de eius idoneitate si petitum fuerit.

Ad Episcopum (vel Superiorem maiorem competentem) quod attinet, inter candidatos ad diaconatum nonnisi eos ascribet, de quorum idoneitate sive per suam experientiam personalem sive per notitias ab educatoribus acceptas, certitudinem moralem assecutus fuerit.

[47] Cf. *C.I.C.*, can. 1026.

3. Ritus liturgicus admissionis inter candidatos ad ordinem diaconatus

Ritus significatio

45. Candidatorum ad ordinem diaconatus admissio fit per proprium ritum liturgicum, « quo is, qui ad Diaconatum vel Presbyteratum adspirat, publice manifestat suam voluntatem se Deo et Ecclesiae offerendi, ut sacrum ordinem exerceat; Ecclesia vero, hanc oblationem accipiens, eum eligit et vocat, ut ad sacrum ordinem recipiendum se praeparet, et hac ratione inter candidatos ad Diaconatum et Presbyteratum rite cooptetur ».[48]

Superior competens

46. Superior pro hac acceptione competens est Episcopus proprius vel Superior maior pro sodalibus Institutorum religiosorum clericalium iuris pontificii vel Societatum clericalis vitae apostolicae iuris pontificii.[49]

Celebratio die festo

47. Propter suum characterem publicum et suam significationem ecclesialem, ritus magnae gravitatis existimetur atque die festo potissimum celebretur. Ad eum aspirans recollectione spirituali se praeparet.

Petitio adscriptionis inter candidatos

48. Ritum liturgicum admissionis inter candidatos petitio praecedat, propria manu ipsius aspirantis exarata ac subscripta necnon scripto accepta a proprio Episcopo vel Superiore maiore ad quem directa est.[50]

Inter candidatos ad diaconatum adscriptio non constituit ius ad ordinationem diaconalem necessario obtinendam, sed habenda est tamquam prima agnitio publica positivorum signorum vocationis ad diaconatum, quae subsequentibus formationis annis confirmari debet.

4. Tempus formationis

Saltem per triennium

49. Programma formationis, praeter periodum propedeuticam, saltem tres annos pro omnibus candidatis complecti debet.[51]

[48] PAULUS VI, **Litterae apostolicae** ***Ad pascendum,*** **Prooemium; cf.** I **a):** ***l.c,*** **pp. 537-538. Cf.** ***C.I.C.,*** **can. 1034, § 1. Ritus admissionis inter candidatos ad Ordinem sacrum in** ***Pontificale Romanum - De Ordinatione Episcopi, presbyterorum et diaconorum,*** **Appendix,** II: ***ed. cit.,*** **pp. 232ss. invenitur.**

[49] **Cf.** ***C.I.C.,*** **cann. 1016; 1019.**

[50] **Cf.** ***ibidem,*** **can. 1034, § 1;** PAULUS VI, **Litterae apostolicae** ***Ad pascendum,*** I **a):** ***l.c,*** **p. 538.**

[51] **Cf** ***C.I.C.,*** **can.. 236 et articuli 41-44 huius** ***Rationis.***

Candidati iuvenes

50. ***Codex Iuris Canonici*** praescribit ut candidati iuvenes suam formationem accipiant « per tres saltem annos in aliqua domo peculiari degentes, nisi graves ob rationes Episcopus dioecesanus aliter statuerit ».[52] Ad huiusmodi institutum erigendum « Episcopi eiusdem regionis, vel, si usus fuerit, plurium quoque regionum eiusdemve nationis, pro variis locorum adiunctis suam consocient operam. Eidem autem moderando praepositos peridoneos eligant, legesque tum de morum disciplina, tum de studiorum ratione accuratissime faciant ».[53] Curandum est ut candidati isti necessitudinem foveant cum diaconis suae propriae dioecesis cui adscripti sunt.

Candidati grandioris aetatis

51. Pro candidatis grandioris aetatis, status sive caelibis sive matrimonialis, ***Codex Iuris Canonici*** praescribit ut suam formationem percipiant « ratione ad tres annos protracta et ab eadem Conferentia Episcopali definita ».[54] Ubi circumstantiae id permittunt, huiusmodi programma ad effectum deducendum est in contextu vivae participationis in communitate candidatorum, quaesuum calendarium conventuum, orationis et formationis habebit atque communia quoque momenta cum communitate aspirantium praestituet.

Candidatis istis diversa formationis ordinandae specimina proponi possunt. Onerum laboris et familiae causa, formae communiores in occursionibus instructoriis et scholasticis consistunt, horis vespertinis in hebdomadae fine, tempore vacationum vel secundum alias varias possibilitates dispositis. Ubi condicio admodum difficilem se ostenderit, ad alia specimina recurrendum erit per longius temporis spatium protracta vel recentia communicationis instrumenta adhibentia.

Candidati Institutorum vitae consecratae

52. Candidatorum ad Instituta vitae consecratae seu ad Societates vitae apostolicae pertinentium formatio fieri debet iuxta ***rationem,*** si exstet, proprii Instituti vel propriae Societatis, aut structuris utendo dioecesis, ubi candidati commorantur.

[52] ***C.I.C.,* can. 236, 1°. Cf.** PAULUS VI, **Litterae apostolicae *Sacrum diaconatus ordinem,*** II, **6: *l.c,* p. 699.**

[53] ***Ibidem,*** II, **7: *l.c,* p. 699..**

[54] ***C.I.C.,* can. 236, 2°,**

Viae particulares

53. In casibus, ubi specimina supra indicata ad effectum deducta non fuerint vel difficilia actu evaserint, « candidatus educandus tradatur spectatissimo sacerdoti, qui de eo curam agat, eumque doceat, deque eius prudentia ac maturitate testimonium afferre valeat. Semper autem ac sedulo cavendum est, ut tantummodo idonei peritique viri in sacrum ordinem ascribantur ».[55]

54. In omni casu, rector institutionis (vel sacerdos ad hoc deputatus) integro formationis tempore certior fieri debet utrum unusquisque candidatus directionem spiritualem percipere pergat a proprio directore spirituali approbato. Praeterea, provideat de cuiusque tirocinio pastorali comitando, expendendo et, si casus ferat, commutando.

55. Institutionis programma, cuius in proximo capite lineamentum quoddam generale proponetur, diversas formationis dimensiones (humanam, spiritualem, theologicam et pastoralem) harmonice componendas curabit; ipsum debet esse theologice bene fundatum, ad specificum pastoralem finem probe ordinatum atque necessitatibus et rationibus pastoralibus loci aptatum.

Uxorum et filiorum implicatio

56. In hoc programma uxores et filii candidatorum uxoratorum sicuti et communitates quibus adhaerent, modis qui magis opportuni visi fuerint, implicentur. Expresse vero etiam de ratione formationis uxorum candidatorum provideatur, qua ad suam futuram missionem praeparentur coniugem suum in ministerio sequendi et coadiuvandi.

5. Collatio ministeriorum Lectoratus et Acolythatus

Ministeriorum significatio

57. «Antequam quis ad diaconatum sive permanentem sive transeuntem promoveatur, requiritur ut ministeria lectoris et acolythi receperit et per congruum tempus exercuerit»[56] ...«quo melius disponantur ad futura mu-

[55] PAULUS VI, **Litterae apostolicae** ***Sacrum diaconatus ordinem,*** III, 15: ***l.c,*** **p.** 701.
[56] ***C.I.C.,*** **can.** 1035, § 1.

nera Verbi et Altaris».[57] Ecclesia enim «valde opportunum existimat, ut sacrorum ordinum candidati tum studio tum exercitio, quod gradatim fíat, ministerii Verbi et Altaris, duplicem hunc sacerdotalis muneris aspectum familiari consuetudine perspiciant atque meditentur. Ex quo fit, ut veritas ministerii maxima eniteat efficacitate. Candidati, enim, ad sacros ordines accedant, suae vocationis plene conscii, "spiritu ferventes, Domino servientes... orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes" ***(Rom*** 12, 11-13) ».[58]

Horum ministeriorum specifica natura atque momentum pastorale in Litteris apostolicis Motu Proprio datis ***Ministeria quaedam*** explanata reperiuntur, ad quas igitur respiciendum erit.

Petitio admissionis

58. Aspirantes ad lectoratum et acolythatum, a rectore institutionis invitati, petitionem admissionis, libere exaratam et subscriptam, Ordinario (Episcopo seu Superiori maiori), penes quem est acceptio, exhibeant.[59] Acceptatione consecuta, Episcopus vel Superior Maior ad ministeriorum collationem procedet, secundum ritum ***Pontificalis Romani,***[60]

Interstitia

59. Inter collationem lectoratus et acolythatus oportet ut certum temporis spatium transcurrat, ita ut candidatus ministerium receptum exercere queat.[61] « Inter acolythatus et diaconatus collationem intervallum intercedat sex saltem mensium ».[62]

6. Ordinatio diaconalis

Declaratio et petitio admissionis

60. Itinerario formationis expleto, candidatus qui, rectore institutionis annuente, censeat se requisita necessaria ad ordinationem possidere, Episco-

[57] PAULUS **VI, Litterae apostolicae** ***Ad pascendum,*** **II:** ***l.c,*** **p. 539; Litterae apostolicae** ***Ministeria quaedam*** **(die 15 Augusti anno 1972), XI:** ***AAS*** **64 (1972), p. 533.**

[58] ***Idem,*** **Litterae apostolicae** ***Ad pascendum,*** **Prooemium:** ***l.c,*** **p. 538,**

[59] **Cf.** ***Idem,*** **Litterae apostolicae** ***Ministeria quaedam,*** **VIII a):** ***l.c,*** **p. 533.**

[60] **Cf.** ***Pontificale Romanum - De Institutione Lectorum et Acolythorum,*** **Editio typica, Typis Polyglottis Vaticanis 1972.**

[61] **Cf.** PAULUS **VI, Litterae apostolicae** ***Ministeria quaedam,*** **X:** ***l.c,*** **p. 533; Litterae apostolicae** ***Ad pascendum,*** **IV:** ***l.c,*** **p. 539,**

[62] ***C.I.C.,*** **can. 1035, § 2.**

po proprio vel Superiori maiori competenti « declarationem tradat propria manu exaratam et subscriptam, qua testificetur se sponte ac libere sacrum ordinem suscepturum atque se ministerio ecclesiastico perpetuo mancipaturum esse, insimul petens ut ad ordinem recipiendum admittatur ».[63]

Documenta adnectenda

61. Huic petitioni candidatus adnectere debet testimonium baptismi, confirmationis, ministeriorum receptorum, de quibus in can. 1035, necnon studiorum rite expletorum ad normam can. 1032.[64] Si ordinandus matrimonio coniunctus est, oportet quoque testimonium matrimonii atque consensum uxoris scriptum exhibere.[65]

Scrutinium et promotio

62. Petitione ordinandi accepta, Episcopus (vel Superior maior competens), idoneitatem eius accurato scrutinio expendet. Peculiariter perpendet testimonium a rectore institutionis sibi exhibendum « de qualitatibus ad ordinem recipiendum requisitis, scilicet de candidati recta doctrina, genuina pietate, bonis moribus, aptitudine ad ministerium exercendum; itemque rite peracta inquisitione, de eius statu valetudinis physicae et psychicae ».[66] Episcopus dioecesanus seu Superior maior « ut scrutinium rite peragatur, potest alia adhibere media quae sibi, pro temporis et loci adiunctis, utilia videantur, uti sunt litterae testimoniales, publicationes vel aliae informationes ».[67]

Cum Episcopus vel Superior maior competens idoneitatem candidati probaverit atque certitudinem acquisierit eum novorum onerum suscipiendorum conscium esse,[68] eundem ad ordinem diaconatus promovebit.

Caelibatus obligatio quoad candidatos caelibes

63. Ante ordinationem candidatus caelebs obligationem caelibatus publice assumere debet speciali ritu praescripto;[69] qua obligatione tenetur etiam candidatus ad Institutum vitae consecratae vel ad Societatem vitae aposto-

[63] *Ibidem,* can., 1036. Cf. PAULUS VI, Litterae apostolicae *Ad pascendum,* V: *l.c,* p. 539.
[64] Cf, *C.I.C.,* can. 1050.
[65] Cf *ibidem,* cann. 1050, 3°; 1031, § 2.
[66] *Ibidem,* can. 1051, I°.
[67] *Ibidem,* can. 1051, 2°.
[68] Cf. *ibidem,* can., 1028. De officiis cum diaconatu suscipiendis cf. canones 273-289. Quod ad diaconos uxoratos, addendum est impedimentum novi matrimonii ineundi (cf. can., 1087).
[69] Cf. *ibidem,* can. 1037; PAULUS VI, Litterae apostolicae *Ad pascendum,* VI: *l.c,* p. 539.

licae, qui vota perpetua vel alias formas vinculi definitivi emisit in suo Instituto aut Societate.[70] Omnes candidati ante ordinationem fidei professionem et iuramentum fidelitatis personaliter emittere tenentur coram Ordinario loci vel suo delegato, secundum formulam a Sede Apostolica probatam.[71]

Ordinatio

64. « Unusquisque ad presbyteratum et ad diaconatum a proprio Episcopo ordinetur aut cum legitimis eiusdem litteris dimissoriis ».[72] Si autem promovendus ad Institutum religiosum clericalem iuris pontificii vel ad Societatem clericalem vitae apostolicae iuris pontificii pertinet, Superiori maiori competit litteras dimissorias ei concedere.[73]

65. Ordinatio, secundum ritum ***Pontificalis Romani***[74] peragenda, intra Missarum sollemnia potissimum die dominico vel festo de praecepto et communiter in Ecclesia cathedrali celebretur.[75] Ad quam ordinandi se praeparent exercitiis spiritualibus « per quinque saltem dies, loco et modo ab Ordinario determinatis ».[76] In ritu celebrando in peculiari luce ponatur participatio uxorum et filiorum ordinandi matrimonio coniuncti.

IV
DIMENSIONES FORMATIONIS DIACONORUM PERMANENTIUM

1. Institutio humana

66. Institutionis humanae finis est personam ministrorum sacrorum ita plasmare, ut in ea « homines non obstaculum sed pontem reperiant quo brevius pervenire valeant ad Christum Iesum, hominis Redemptorem ».[77] Ii igitur formandi sunt ad seriem humanarum qualitatum acquirendam ac

[70] Cf. *Pontificale Romanum - De Ordinatione Episcopi, presbyterorum et diaconorum,* n, 177: *ed. cit.,* p.. 101.

[71] Cf. *C.I.C.,* can, 833, 6°; Congregatio pro Doctrina Fidei, *Professio fidei et Iusiurandum fidelitatis in suscipiendo officio nomine Ecclesiae exercendo: AAS* 81 (1989), pp. 104-106; 1169.

[72] *C.I.C* , can. 1015, § 1.

[73] Cf. *ibidem,* can. 1019

[74] *Pontificale Romanum - De Ordinatione Episcopi, presbyterorum et diaconorum,* cap. III, *De Ordinatione Diaconorum: ed. cit.,* pp. 100-142.

[75] Cf *C I.C,* cann. 1010-1011,.

[76] *Ibidem,* can 1039,

[77] IOANNES PAULUS II, Exhortatio apostolica postsynodalis *Pastores dabo vobis,* 43: *l.c,* p. 732.

perficiendam, quibus possint communitatis fiducia gaudere, onera servitii pastoralis animo sereno assumere atque consuetudinem et dialogum cum proximo facilius fovere.

Formatio ad virtutes humanas

Simili modo ac Adhortatio apostolica ***Pastores dabo vobis*** relative ad formationem presbyterorum praescribit, etiam candidati ad diaconatum ita instruantur « ut veritatem ac fidelitatem ament, ut quemvis revereantur, ut iustitiae ductu in omnibus regantur, ut dato verbo fideles perstare noverint, ut compati addiscant, ut sibi ipsis constent seu cohaerentes perstare sciant, ut denique recte de rebus et hominibus iudicent, ut nobilia dumtaxat placita eligere optent ».[78]

Capacitas relationis cum aliis

67. Diaconis vocatis ut homines communionis et servitii fiant, peculiaris momenti est capacitas relationis cum aliis. Id secumfert ut sint affabiles, hospitales, verbo et corde sinceri, prudentes et moderati, benevoli et ad servitium prompti, capaces suscitandi inter omnes incorruptas et fraternas relationes, indulgentiae, veniae et consolationi faciles.[79] Candidatus, qui nimis sibimetipsi intentum, litigiosum, atque ad solidas et serenas relationes ineundas cum aliis ineptum se ostenderit, profundae conversioni instare deberet, prius quam viam servitii ministerialis amplectatur.

Maturitas affectiva

68. Capacitas relationis cum aliis in maturitate affectiva radicatur, quae altum securitatis gradum assequi debet in candidato sive caelibi sive uxorato. Talis maturitas praesupponit utriusque generis candidatos clare perspexisse caritatem et victoriosam luctam contra egoismum quoddammodo humanae exsistentiae centrum habendas esse. Nam, sicuti in encyclicis Litteris ***Redemptor hominis*** Summi Pontificis Ioannis Pauli II declaratur, « homo sine amore vivere nequit. Sibimet manet quiddam, quod incomprehensibile est, eiusque vita sensu privatur, nisi amor ei praebetur, nisi invenit amorem, nisi amorem experitur suumque efficit, nisi penitus amorem partici-

[78] *Ibidem: l.c,* pp 732-733.
[79] Cf. *ibidem: l.c,* p. 733.

pat ».[80] Qui amor — prout idem Summus Pontifex in Adhortatione apostolica ***Pastores dabo vobis,*** enucleat — omnes dimensiones personae, physicam, psychicam et spiritualem attingit ac proinde plenum sexualitatis dominium exigit, quo illa vere et plene personalis fiat.[81]

Candidatis caelibibus amorem vivere idem est ac totum suum esse, totas vires ac sollicitudines suas Christo et Ecclesiae dicare. Agitur de vocatione magnae strenuitatis, quae inclinationibus affectivitatis et instinctus pulsionibus occurrere debet et ideo abnegatione et vigilantia, oratione et fidelitate erga firmam regulam vitae indiget. Magni pretii adiutorium verae amicitiae afferre possunt, quae providentissimum praesidium constituunt in vocatione vivenda.[82]

Candidatis autem uxoratis vivere amorem significat seipsos propriis mulieribus tradere in mutua donatione cum vinculo exclusivo, fideli et indissolubili, ad imaginem amoris Christi erga suam Ecclesiam; pariter significat filios acceptare, amare et educare atque communionem familiarem in universam Ecclesiam et societatem transmittere. Haec est vocatio, quae hodie in gravi discrimine versatur propter immanem defectionem quorundam fundamentalium valorum, effrenatam voluptatis cupidinem atque iustae libertatis perversam notionem. Ad suam plenitudinem attingendam, vocatio ad vitam familiarem postulat ut oratione, liturgia et quotidiana sui ipsius oblatione alatur.[83]

Educatio ad libertatem

69. Condicio ad genuinam maturitatem humanam assequendam est educatio ad libertatem, quae oboedientiae erga proprii « esse » veritatem adaequatur. Hoc sensu igitur libertas intellecta diaconum « ducet ut sui ipsius dominium perpetuo exerceat, paratumque se continuo testetur ad vincenda ea egoismi ac individualismi certamina quae in uniuscuiusque vitam insidias nectunt »; diaconum « brevi, "hominem ad alteros" efficient, deditioni et servitio proximorum totum traditum ».[84] Formatio ad libertatem etiam educationem conscientiae moralis implicat, quae assuefacit vocem Dei in proprii cordis intimis audire et Eius voluntati firmiter adhaerere.

[80] ***Idem,*** **Litterae encyclicae *Redemptor hominis* (die 4 Martii anno 1979), 10: *AAS* 71 (1979), p. 274.**

[81] **Cf. *Idem,* Exhortatio apostolica postsynodalis *Pastores dabo vobis,* 44: *l.c,* p. 734.**

[82] **Cf. *ibidem: lc,* pp. 734-735.**

[83] **Cf, *Idem,* Exhortatio apostolica *Familiaris consortio* (die 22 Novembris anno 1981): *AAS* 74 (1982), pp. 81-191,**

[84] ***Idem,*** **Exhortatio apostolica postsynodalis *Pastores dabo vobis,* 44: *l.c,* p. 735.**

Programmata et subsidia

70. Qui multiplices maturitatis humanae aspectus — qualitates humanae, capacitas relationis, maturitas affectiva, educatio ad libertatem et educatio conscientiae moralis — considerandi sunt prae oculis habita aetate et praecedenti formatione candidati atque praemeditati sint oportet iuxta programmata ad personarum necessitates accommodata. Rector institutionis et tutor operam suam dabunt pro parte cuiusque competentiae; moderator spiritus vero non omittet hos aspectus praesentes tenere atque in colloquiis directionis spiritualis perpendere. Verae utilitatis habendi sunt insuper conventus et collationes, qui revisioni faveant atque quoddam incitamentum ad maturationem afferant. Vita communis — in variis formis quibus concipi poterit — praecellentes condiciones praestabit ad veritatis rerum inquisitionem atque ad correctionem fraternam efficiendas. In casibus, qui iudicio formatorum necessitatem denotant, ad consultationem psychologicam, candidato consentiente, recurri poterit.

2. *Institutio spiritualis*

71. Formatio humana incipitur atque completur in formatione spirituali, quae omnis formationis christianae tamquam cor et unitatis centrum habenda est. Tendit ad novam vitam incrementis augendam in Baptismo receptam.

Cum candidatus institutionis diaconalis itinerarium ingreditur, generatim quandam experientiam spiritualis vitae iam possidet, v. gr., actionis Spiritus perceptionem, auscultationem et meditationem verbi Dei, orationis saporem, servitio fratrum deditionem, ad sacrificium promptitudinem, sensum Ecclesiae, alacritatem apostolicam. Item, secundum suum proprium statum vitae, quandam spiritualitatem definitam iam profundius excoluit: familiarem, ad consecrationem in mundo aut ad consecrationem in vita religiosa intentam. Itaque futuri diaconi formatio spiritualis hanc experientiam iam acquisitam ignorare non poterit, sed e contra profundius explorare atque corroborare eam debet, ut sibi specifica spiritualitatis diaconalis elementa inserantur.

Amoris Christi servi revelatio et communicatio

72. Elementum spiritualitatem diaconalem magis denotans est revelatio et participatio amoris Christi servi, qui venit non ministrari sed ministrare.

Candidatus proinde adiuvandus est ut illas aptitudines gradatim adipiscatur quae, etiamsi non exclusive, specifice tamen diaconales censendae sunt, prout simplicitas cordis, sui ipsius donatio tota et proprii commodi immemor; amor humilis et ad servitium fratrum, praesertim pauperrimorum, dolore et egestate afflictorum proclivus, partitionis et paupertatis forma vitae libenter electa. Maria, ***ancilla Domini,*** itinerario isti praesideat atque quotidiano Rosario recitando tamquam mater et auxiliatrix invocetur.

Eucharistia

73. Huiusmodi novae capacitatis amandi fons est Eucharistia, quae haud fortuito ministerium diaconi peculiari nota obsignat. Pauperum servitio nempe servitium altaris cohaerenter continuatur. Itaque candidatus invitetur ut quotidie, aut frequenter saltem, propriis familiae et professionis oneribus permittentibus, celebrationi eucharisticae intersit atque adiuvetur ut mysterium eius profundius in dies perspiciat. Huius spiritualitatis eucharisticae respectu curandum est, ut sacramento Paenitentiae congruum momentum tribuatur.

Verbum Dei

74. Aliud elementum specificum spiritualitatis diaconalis est verbum Dei, ad quod diaconus ex officio praedicandum vocatus est et quidem ita, ut quod proclamat credat, doceat quod credit atque vivat quod docet.[85] Ideoque necesse erit ut candidatus verbum Dei semper profundius discat et cognoscat atque inibi suae spiritualis vitae alimentum incessanter quaerat assiduo et ardenti studio necnon quotidiano exercitio lectionis divinae.

Oratio Ecclesiae

75. Neque omittenda erit introductio in orationis Ecclesiae significationem. Etenim oratio nomine Ecclesiae et pro Ecclesia ad ministerium diaconi pertinet. Quod quidem meditationem exigit de christianae orationis propria natura, de sensu Liturgiae Horarum ac praesertim manuductionem ad eius praxim. Quem ad finem maxime interest, ut in omnibus conventibus futurorum diaconorum congruum tempus huic orationi dedicetur.

[85] **Cf traditio libri Evangeliorum, in *Pontificale Romanum - De Ordinatione Episcopi, presbyterorum et diaconorum,* n. 210: *ed.. cit.,* p, 125.**

Oboedientia

76. Diaconus demum in sua persona repraesentat charisma servitii prout participatio in ministerio ecclesiastico considerati. Quod spiritualem eius vitam peculiari modo afficit atque postulat ut nota oboedientiae et communionis fraternae signetur. Authentica formatio ad oboedientiam dona per gratiam ordinationis accepta nedum cohibeat, apostolicae operositati ecclesialem auctoritatem confert. Confratrum ordinatorum, presbyterorum et diaconorum communio autem ex parte sua est balsamum quod eos adiuvat atque ad alacritatem exstimulat in ministerio obeundo. Candidatus igitur formandus erit ad adhaesionem suam compagini ministrorum ordinatorum magis persentiendam, necnon ad mutuam cooperationem cum eis atque ad partitionem spiritualem excolendas.

Subsidia

77. Huius formationis subsidia sunt recollectiones mensiles et exercitia spiritualia annua; instructiones, quae praefiniendae sunt secundum programma organicum et progressivum, quod ad varias formationis metas respiciat; spiritualis directio, quae ita disponenda est ut assidua esse possit. Directoris spiritus est candidatum adiuvare in signis vocationis suae discernendis, in dispositione continuae conversionis induenda, in aspectibus diaconali spiritualitati propriis maturandis (ex operibus spiritualitatis classicae et sanctorum exemplis depromendo), in harmonica synthesi inter statum vitae, professionem et ministerium efficienda.

Uxorum et filiorum implicatio

78. Provideatur insuper ut uxores candidatorum matrimonio iunctorum proficiant in intellegentia acquirenda vocationis coniugis et suae propriae missionis ad eius latus. Ideo invitentur ut in congressibus institutionis spiritualis regulariter participent.

Etiam filiis opportuna incepta proponantur ut ministerium diaconale profundius agnoscere discant.

3. Institutio doctrinalis

79. Formatio intellectualis est institutionis diaconalis dimensio necessaria, utpote quae diacono validum spiritualis vitae nutrimentum et pretiosum ministerii subsidium praestet. Quae institutio hodiernis praesertim

temporibus urget, in hoc difficili millennii transitu nova evangelizatione instimulante. Etenim religionis neglectio, spiritualium valorum obscurata perceptio, rectae conscientiae moralis deperditio atque pluralitas culturae expostulant ut ii qui ministerio ordinato dant operam, seriam et completam formationem possideant.

Congregatio de Institutione Catholica circularibus Litteris *Come è a conoscenza* a. 1969 Conferentias Episcopales invitavit ut candidatorum ad diaconatum permanentem institutionem doctrinalem definiendam curarent, diversis personarum et Ecclesiae circumstantiis spectatis, simulque absolute excluderent « formationem festinanter et parum accurate factam, cum, sicut in Constitutione *Lumen gentium* (n. 29) et in *Motu proprio* (n. 22) [86] declaratum est, officia diaconorum tanti momenti sint, ut solidam et efficacem praeparationem exigant ».

Criteria

80. Criteria, quae in huiusmodi formatione adumbranda adhiberi debent, haec sunt:

a) necessitas, ut diaconus capax sit suae fidei rationem reddere atque studeat vivae conscientiae ecclesialis maturitatem fovere;

b) attendendum est, ut ad specifica sui ministerii munera formetur;

c) multum interest, ut capacitatem acquirat rerum adiuncta recte interpretandi et congruam Evangelii inculturationem curandi;

d) magni habeatur utilitas formationis ad addiscendas technicas communicationem et artem conventus animandi respicientes, necnon ad capacitatem publice loquendi atque directionem et consilia impertiendi.

Argumenta

81. Criteriis istis consideratis, argumenta quae seligantur oportet haec sunt:[87]

a) introductio in Sacram Scripturam et in rectam interpretationem; theologia Antiqui et Novi Testamenti; mutua relatio inter Scripturam et Traditionem; usus Scripturae in praedicatione, in catechesi et in actione pastorali in genere;

[86] **Agitur de Litteris apostolicis** PAULI **VI,** ***Sacrum diaconatus ordinem,*** **n.** 22: ***l.c,*** **pp.** 701-702.

[87] **Cf.** CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA, **Litterae circulares** ***Come è a conoscenza*** **(die** 16 **Iulii anno** 1969), **p.** 2.

b) initiatio studio Patrum Ecclesiae et prima elementa historiae ecclesiasticae;

c) theologia fundamentalis complectens explanationem fontium, argumentorum et methodorum theologiae, expositionem quaestionum ad Revelationem atque ad relationes inter fidem et intellectum pertinentium, qua futuri diaconi habiles evadant demonstrare fidem rationis argumentis defendi posse;

d) theologia dogmatica cum variis suis tractatibus: Trinitas, creatio, christologia, ecclesiologia et oecumenismus, mariologia, anthropologia christiana, sacramenta (praesertim theologia ministerii ordinati), eschatologia;

e) doctrina moralis christiana quoad suas dimensiones personales et sociales, cum peculiari respectu ad doctrinam socialem Ecclesiae;

f) theologia spiritualis;

g) liturgia;

h) ius canonicum.

Secundum circumstantias et necessitates, addendae erunt aliae disciplinae ad programma complendum, prout studium aliarum religionum, quaestiones philosophicae selectae, quorundam oeconomicorum et politicorum problematum profundior explanatio.[88]

Instituta scientiarum religiosarum et aliae similes scholae

82. Si possibile, pro theologica formatione recurratur ad instituta scientiarum religiosarum, ubi iam existunt, vel ad alia instituta formationis theologicae. Ubi vero propriae scholae formationis theologicae pro diaconis erigendae sunt, provideatur ne praelectiones et seminaria inferiores sint numero circiter mille horarum per triennii spatium dispositarum. Curricula, saltem illa quae maioris momenti sunt, examine terminentur atque in fine triennii examen finale de universa materia praescribatur.

Formatio fundamentalis

83. Pro admissione ad hoc programma praevia praeparatio fundamentalis exigatur, quae secundum condiciones culturales regionis determinanda erit.

Formatio permanens

84. Candidati prompti sint ad formationem etiam post ordinationem prosequendam. Quapropter invitentur ut parvam bibliothecam personalem

Cf. *ibidem,* p. 3,

de re theologica et pastorali sibi comparent atque formationis permanentis programma assidue frequentent.

4. Institutio pastoralis

85. Formatio pastoralis sensu lato eadem est ac institutio spiritualis, cum ad pleniorem identitatem cum diaconia Christi in dies adducat. Quae intentio universae formationis structurae cum variis suis dimensionibus praeponatur oportet, ita ut illae ad unicam visionem finis conspirent institutionis diaconalis, ad cuius naturam pertinet esse sacramentum Christi, servi Patris.

Formatio pastoralis sensu stricto specifica disciplina theologica et tirocinio practico absolvitur.

« Theologia pastoralis »

86. Quae disciplina theologica ***theologia pastoralis*** vocatur. Illa « docta esse debet consideratio Ecclesiae, prout cotidie per Spiritus vim intra historiam aedificatur; Ecclesiae itaque prout est "universale salutis sacramentum", prout est signum et vivum instrumentum salutis in Christo Iesu, in Verbo, in Sacramento, in Caritatis ministerio ».[89] Finis igitur huius disciplinae est principia, criteria et methodos tradere, quibus Ecclesiae actio apostolica et missionalis in historia explicatur.

Theologia pastoralis pro diaconis definienda peculiariter ad ***provincias*** eminenter diaconales attendet, prout sunt:

a) praxis liturgica: administratio sacramentorum et sacramentalium, ministerium altaris;

b) Verbi annuntiatio in variis contextibus servitii ministerialis: kerygma, catechesis, praeparatio ad sacramenta, homilia;

c) studium Ecclesiae iustitiam socialem et caritatem promovendi;

d) vita communis, praesertim in consociationibus familiaribus, in parvis coetibus et apostolatus inceptis, etc. stimulanda.

Verae utilitatis esse poterunt etiam quaedam instructione sindolis technicae, quae candidatos praeparent ad specificas navitates ministeriales, si-

[89] IOANNES PAULUS II, **Exhortatio apostolica postsynodalis** ***Pastores dabo vobis,*** 57: ***l.c,*** **p.** 758.

cut psychologia, paedagogia catechetica, homiletica, cantus sacer, administratio ecclesiastica, informatica, etc.[90]

Tirocinium practicum

87. Simul (et, si possibile, coniunctim) cum theologia pastorali tradenda pro unoquoque candidato tirocinium practicum praestituendum erit, quod permittat in adiunctis concretis comprobare ea quae per studium acquisita sunt. Illud peragendum est gradatim et discriminatim pro diversitate personarum et rerum atque continuo expendi debet. In navitatis provinciis eligendis collatio ministeriorum institutorum consideretur atque curandum est ut eadem reapse exerceantur.

Provideatur ut candidati dioecesanis pastoralibus inceptis active initientur atque mutuae communicationis experientiarum participes fiant cum diaconis in ministerio penitus implicatis.

Sensus missionis

88. Sollicitae curae insuper impendantur, ut futuri diaconi in forti missionali sensu maturando progrediantur. Etiam illi nempe similiter ac presbyteri in sacra ordinatione donum spirituale accipiunt, quod eos ad missionem universalem usque ad ultimum terrae (cf. *Act* 1, 8)[91] praeparat. Adiuventur igitur ut istius suae identitatis missionalis plene conscii fiant atque praeparentur ut officium suscipiant veritatis annuntiandae etiam non christianis, praesertim si ad suum populum pertinent. Nec vero desit missionis *ad gentes* prospectus, quotiescumque rerum adiuncta id exigant vel admittant.

CONCLUSIO

89. *Didascalia Apostolorum* diaconis primorum saeculorum commendant: « Sicut dicit Dominus Deus in Evangelio: *Qui vult esse inter vos maior, sit vester diaconus, et qui vult esse inter vos primus, sit vester servus, sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis:* ita ergo et vos diaconos oportet facere, ut, si necessitas vos exegerit et animam pro fratre ponere per ministerium vestrum, ponatis ».[92]

[90] Cf. CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA, Litterae circulares *Come è a conoscenza,* p. 3.

[91] Cf. CONCILIUM OECUMENICUM VATICANUM II, Decretum *Presbyterorum ordinis,* 10; Decretum *Ad gentes,* 20.

[92] *Didascalia Apostolorum,* III, 13 (19), 3: F. X. Funk (ed.), *Didascalia et Constitutiones Apostolorum, I, oc,* pp. 214-215.

Quae invitatio etiam hodie ad diaconatum vocatos instanter interpellat, eos incitans ut ad suum futurum ministerium impenso studio se praeparent.

90. Conferentiae episcopales et Ordinarii totius orbis terrarum quibus hoc documentum tradetur, provideant ut idem una cum suis presbyteris et eorum communitatibus attento animo perpendere velint. Id enim pretiosum orientamentum erit iis Ecclesiis, in quibus diaconatus permanens vitalis et operosus existit; aliis autem efficaci incitamento erit ut istud pretiosum donum Spiritus, quod est ministerium diaconale, renovent.

Summus Pontifex Ioannes Paulus II hanc « Rationem fundamentalem institutionis diaconorum permanentium » approbavit atque evulgari iussit.

Romae, ex Aedibus Congregationum, d. d. xxn m. Februarii, in festo Cathedrae Sancti Petri, a. D. MCMXCVIII.

PIUS card. LAGHI
Praefectus

83 Iosephus Saraiva Martins
archiep. tit. Thuburnicensis
A secretis

CONGREGATIO PRO CLERICIS

Directorium pro ministerio et vita diaconorum permanentium

1

DE STATUTO IURIDICO DIACONI

Diaconus minister sacer

1. Diaconatus originem suam habet in consecratione et missione Christi, ad quas participandas diaconus vocatur.[1] Per impositionem manuum et consecrationis precem ipse minister sacer et hierarchiae membrum constituitur. Haec condicio ipsius statum theologicum et iuridicum in Ecclesia determinat.

[1] **Cf.** CONC. OECUM. VAT. II, **Const. dogm..** ***Lumen gentium,*** **28, a,**

Incardinatio

Vinculum ecclesiale et ministeriale

2. Cum ad diaconatum admittuntur, omnes candidati clare exprimere debent suam intentionem scripto datam inserviendi Ecclesiae[2] per totam vitam in determinata circumpscriptione territoriali aut personali, vel in Instituto vitae consecratae, vel in Societate vitae apostolicae, qui habeant facultatem incardinandi.[3] Acceptatio scripta huius petitionis illi reservatur, qui habeat facultatem incardinandi, et derminat quis sit candidati Ordinarius.[4]

Incardinatio est vinculum iuridicum quod vim ecclesiologicam et spiritualem habet, quatenus exprimit dedicationem ministerialem diaconi Ecclesiae.

Diaconi cleri dioecesani

3. Diaconus, iam incardinatus in aliqua circumscriptione ecclesiastica, incardinari potest in alia circumscriptione ad normam iuris.[5]

Diaconus qui, iusta de causa, ministerium exercere desiderat in dioecesi diversa a dioecesi incardinationis, licentiam scripto datam ab utroque Episcopo obtinere debet.

Episcopi suae dioeceseos obsecundent diaconis, qui operam suam praestare cupiant sive definitive sive ad tempus aliis Ecclesiis paucitate cleri laborantibus, atque, peculiari modo, iis qui petant, post specificam et accuratam praeparationem, missioni ad gentes se dedicare. Necessariae relationes inter Episcopos, quorum interest, per idoneam conventionem regulentur.[6]

Episcopus obligatione tenetur diaconos suae dioecesis peculiari sollicitudine prosequendi.[7]

Ipse, per se vel per sacerdotem a se delegatum, ipsis prospiciat, ac speciali cura iis attendat, qui, ob circumstantias vitae, in peculiaribus difficultatibus versentur.

[2] **Cf.** ***C.I.C.,*** **can.** 1034, § 1; PAULUS VI, **Litt. ap.** ***Ad pascendum,*** I, **a:** ***l.c,*** 538.

[3] **Cf.** ***C.I.C.,*** **cann.** 265-266.

[4] **Cf** ***ibid.,*** **cann.** 1034, § 1; 1016, 1019 **et** 295, § 1; **Const. ap,** ***Spirituali militum curae*** (21 **apr,** 1986), VI, §§ 3-4: ***AAS*** 78 (1986), **p.** 483.

[5] **Cf.** ***C.I.C.,*** **cann** 267-268, § 1

[6] **Cf.** *ibid.,* **can..** 271.

[7] **Cf.** PAULUS VI, **Litt. ap.** ***Sacrum diaconatus ordinem,*** VI, 30: ***l.c,*** 703.

Diaconi pertinentes ad institutum vitae consecratae vel ad societatem vitae apostolicae

4. Diaconus, Instituto vitae consecratae vel Societati vitae apostolicae incardinatus, suum ministerium exercebit sub potestate Episcopi in omnibus rebus, quae ad curam pastoralem, publicum divini cultus exercitium et opera apostolatus pertinent, suis etiam propriis superioribus subiectus remanens secundum ipsorum competentiam atque fideliter observans disciplinam communitatis, cui se refert.[8] In casu translationis ad aliam communitatem diversae dioecesis, Superior diaconum Ordinario loci praesentabit, ut licentiam ad ministerium exercendum ab eo obtineat secundum modum, quem utrique sapienti conventione statuerint.

Fortuiti transitus ad presbyteratum

5. Specifica vocatio diaconi permanentis stabilitatem in hoc ordine supponit. Fortuitus igitur transitus ad presbyteratum diaconorum permanentium, non uxoratorum vel viduorum, rarissima exceptio semper erit, quae admitti non poterit, nisi graves et speciales rationes id suadeant. Decisio admittendi ad Ordinem Presbyteratus pertinet ad proprium Episcopum dioecesanum nisi alia obstent impedimenta Sanctae Sedi reservata.[9] Attamen attento charactere singulari huiusmodi casus, opportunum est ut praevie consulat Congregationem pro Institutione Catholica circa programma praeparationis intellectualis et theologicae candidati, et Congregationem pro Clericis circa programma praeparationis pastoralis necnon idoneitatem diaconis ad ministerium presbyterale.

Fraternitas sacramentalis

6. Diaconi, vi ordinis accepti, fraternitate sacramentali inter se uniti sunt. Omnes pro eadem causa adlaborant: scilicet pro aedificatione Corporis Christi sub auctoritate Episcopi in communione cum Summo Pontifice.[10] Quilibet diaconus se cum confratribus adstrictum sentiat vinculis caritatis, orationis, oboedientiae erga proprium Episcopum, alacritatis ministerialis et cooperationis. Praestat ut diaconi, consentiente Episcopo et ipso Episcopo praesente aut eius delegato, statis temporibus congregentur ad proprii ministerii exercitium

[8] **Cf.** ***C.I.C.,*** **can..** 678, §§ 1-3; 715; 738; **cf. etiam** PAULUS VI, **Litt. ap.** ***Sacrum diaconatus ordinem,*** VII, 33-35: ***l.c,*** 704.

[9] **Cf.** SECRETARIA STATUS, **Litt. ad Cardinalem Praefectum Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino, Prot. N.** 122.735, 3 **ianuarii** 1984.

[10] **Cf.** CONC. OECUM. VAT. II, **Decr.** ***Christus Dominus,*** **n.** 15; PAULUS VI, **Litt. ap.** ***Sacrum diaconatus ordinem,*** 23: ***l.c,*** 702.

expendendum, ad experientias mutuo communicandas, ad formationem prosequendam, et ad sese invicem exstimulandos in fidelitate servanda.

Praedicti conventus inter diaconos permanentes constituere possunt exemplum, ad quod etiam candidati ordinis diaconalis se referre poterunt.

Ad Episcopum loci spectat inter diaconos in dioecesi operantes spiritum communionis alere, evitando ne ille « corporativismus » efformetur, qui praeteritis saeculis tantopere ad diaconatum permanentem evanescendum influxit.

Obligationes et iura

7. Diaconi statutum summam quoque iurium et obligationum propriarum includit, ad normam cann. 273-283 Codicis Iuris Canonici, qui obligationes et iura clericorum complectuntur, cum peculiaritatibus pro diaconis ibi praevisis.

Oboedientia et disponibilitas

8. Ritus ordinationis diaconis promissionem oboedientiae erga Episcopum praevidet: « Promittis mihi et successoribus meis filialem oboedientiam et reverentiam »?[11]

Diaconus, oboedientiam Episcopo promittens, sumit ut exemplum Christum, hominem oboedientem propter excellentiam (cf. ***Phil*** 2, 5-11), ad cuius exemplum suam oboedientiam conformabit in auscultatione ***(Heb*** 10, 5ss; ***Io*** 4, 34) et in disponibilitate absoluta (cf. ***Lc*** 9, 54 ss.; 10, 1 ss.).

Ipse igitur in primis se obligat coram Deo in plena conformitate cum voluntate Patris agere; et pariter coram Ecclesia, quae personis indiget sibi plene dispositis.[12] In precatione et in spiritu orationis quo imbutus esse debet, diaconus integram sui ipsius donationem quotidie altius excolet, sicut fecit Christus Dominus « usque ad mortem, mortem autem crucis » ***(Phil*** 2, 8).

[11] ***Pontificale Romanum — De Ordinatione Episcopi, presbyterorum et. diaconorum,*** **,n.** 201, **Editio typica altera, Typis Polyglottis Vaticanis** 1990, **p.** 110; **cf. etiam *C.I.C.,* can.** 273.

[12] **«.....Chi fosse dominato da una mentalità di contestazione, o di opposizione all'autorità, non potrebbe adempiere adeguatamente alle funzioni diaconali. Il diaconato non può essere conferito che a coloro che credono al valore della missione pastorale del vescovo e del presbitero, e all'assistenza dello Spirito Santo che li guida nella loro attività e nelle loro decisioni. In particolare va ripetuto che il diacono deve "professare al vescovo riverenza ed obbedienza"... Il servizio del diacono è rivolto, poi, alla propria comunità cristiana e a tutta la Chiesa, per la quale non può non nutrire un profondo attaccamento, a motivo della sua missione e della sua istituzione divina»** (IOANNES PAULUS **II, *Catechesis* in audientia generali habita** [20 **octobris** 1993], **n.** 2: ***Insegnamenti*** **XVI,** 2 [1993], **p.** 1055).

Hic oboedientiae prospectus disponit ad acceptationem concretarum determinationum obligationis in ordinatione assumptae, sicut lex Ecclesiae praevidet: « Clerici, nisi legitimo impedimento excusentur, munus, quod ipsis a suo Ordinario commissum fuerit, suscipere ac fideliter adimplere tenentur ».[13]

Fundamentum obligationis consistit in ipsa participatione ministerii episcopalis, quae per sacramentum Ordinis et missionem canonicam confertur.

Ambitus oboedientiae et disponibilitatis ipso ministerio diaconali determinatur atque iis omnibus rebus, quae cum eo relationem obiectivam, directam et immediatam habent.

Episcopus diacono tribuet, in decreto collationis officii, munera quae respondent propriae cuiusque habilitati, condicionibus vitae caelibatariae aut familiaris, formationi, aetati, appetitionibus quae sub aspectu spirituali legitimae agnoscuntur. Definientur quoque ambitus territorii necnon personae, ad quas apostolatus servitium dirigetur; insuper declarabitur utrum suum officium ad tempus vel stabile sit, et quinam presbyter respondeat de cura animarum, quae ad officii ambitum pertineat.

Vitae ducendae ratio

9. Clericis officium incumbit vitam ducendi in vinculo fraternitatis et orationis, cooperationem fovendo inter se et cum Episcopo, agnoscendo et promovendo etiam fidelium laicorum missionem in Ecclesia et in mundo,[14] exprimendo formam vitae sobriam et simplicem, quae pateat ad « cultum donandi » et faveat generosae et fraternae participationi.[15]

Habitus ecclesiasticus

10. Diaconi permanentes gerere habitum ecclesiasticum non tenentur, sicut, ex contrario, eum deferre debent diaconi candidati ad presbyteratum,[16] pro quibus eaedem validae sunt normae, quae pro presbyteris vigent.[17]

[13] *C.I.C.,* can. 274, § 2.

[14] « ...tra i compiti del diacono vi è quello di "promuovere e sostenere le attività apostoliche dei laici". In quanto presente e inserito più del sacerdote negli ambiti e nelle strutture secolari, egli si deve sentire incoraggiato a favorire l'avvicinamento tra il ministero ordinato e le attività dei laici, nel comune servizio al Regno di Dio » (IOANNES PAULUS II, *Catechesis* in audientia generali habita [13 octobris 1993], n. 5: *Insegnamenti* XVI, 2 [1993], pp 1002-1003); cf. *C.I.C.,* can. 275.

[15] Cf, *C.I.C.,* can, 282,

[16] Cf. *ibid.,* can. 288, in relatione ad can. 284,

[17] Cf, *ibid.,* can, 284; CONGREGATIO PRO CLERICIS, Directorium pro presbyterorum ministerio et vita *Tota Ecclesia* (31 ianuarii 1994), n, 66, Libreria Editrice Vaticana, 1994, pp. 67-68; Pontificium Consilium de Legum Textibus Interpretandis, « Chiarimenti circa il valore vinco-

Institutorum vitae consecratae et Societatis vitae apostolicae sodales ea servabunt, quae in Codice Iuris Canonici pro ipsis praescribuntur.[18]

Ius associationis

11. Ecclesia in proprio iure canonico diaconorum agnoscit ius inter se consociandi, ut suam vitam spiritualem foveant, opera caritatis et pietatis exerceant aliosque fines prosequantur, qui sint suae consecrationi sacramentali et suae missioni plene conformes.[19]

Diaconis, sicut ceteris clericis, prohibetur fundatio, adhaesio et participatio consociationum vel coetuum cuiuslibet generis, etiam civilium, cum statu clericali incompatibilium vel obstantium proprio ministerio diligenter adimplendo. Vitabunt etiam omnes illas consociationes, quae ob suam naturam fines et agendi rationes plenae communioni hierarchicae cum Ecclesia noceant; eas etiam, quae nocumentum afferant identitati diaconali, necnon officiis adimplendis, quae diaconi in servitium populi Dei exercent; eas denique, quae contra Ecclesiam machinantur.[20]

Plane incompatibiles cum statu diaconali essent illae consociationes, quae diaconos congregare intendant, sub praetextu eos repraesentandi, in quodam genere corporationis vel syndacatus vel, utcumque, pressionis coetibus ipsorum sacrum ministerium reapse redigendo ad professionem aut ad artificium assimile navitatibus indolis profanae. Praeterea, incompatibiles essent associationes quae, aliquo modo, naturam dépravant relationis directae et immediatae, quam quilibet diaconus cum proprio Episcopo habere debet.

Eiusmodi consociationes vetantur, quia exercitio sacri ministerii diaconalis noxiae evadunt, quod ita periculum incurrit praestationis ad mercenariam assimilatae atque spiritum introducunt contra sacros pastores, unice habitos velut datores laboris.[21]

Prae oculis habeatur nullam christifidelium consociationem privatam agnosci posse sine praevia recognitione statutorum a competenti auctoritate facta,[22] atque eandem auctoritatem habere ius et officium vigilandi super consociationum vitam et super consecutionem finium, in statutis definitorum.[23]

lante dell'art. 66 del Direttorio per il ministero e la vita dei presbiteri », (22 octobris 1994) in *Ephemeride* « Sacrum Ministerium » 295, p. 263.

[18] Cf. *C.I.C,* can. 669.

[19] Cf. *ibid.,* can. 278, §§ 1-2, et can. 215

[20] Cf. *ibid.,* cann. 278, § 3; 1374; Deutsche Bischofskonferenz, Declaratio « Ecclesia Catholica et factio massonica», 28 februarii 1980.

[21] Cf. CONGREGATIO PRO CLERICIS, Declaratio *Quidam Episcopi* (8 martii 1982), IV: *AAS* 74 (1982), pp. 642-645.

[22] Cf. *C.I.C.,* can. 299, § 3; can 304.

[23] Cf. *ibid.,* can. 305.

Diaconi ex consociationibus et motibus ecclesialibus provenientes, non priventur spiritualibus talium aggregationum divitiis, in quibus continuatim possunt quaerere auxilium et alimentum pro sua missione in servitium Ecclesiae particularis.

Munera professionalia

12. Activitas in professione vel in labore a diacono forte exercita, significationem diversam habet ab activitate fidelis laici.[24] Etenim diaconorum permanentium labor ministerio coniunctus semper remanet; ipsi proinde prae oculis tenebunt christifideles laicos, ob suam missionem specificam, peculiariter vocatos esse, ut « praesentem et actuosam reddant Ecclesiam in iis locis et rerum adiunctis, ubi ipsa nonnisi per eos sal terrae evadere potest ».[25]

Vigens disciplina Ecclesiae minime prohibet quominus diaconi permanentes professionem suscipiant et exerceant, simul cum exercitio potestatis civilis aut dent operam in administrationem bonorum temporalium, vel officia saecularia exerceant cum obligatione rationis reddendae, derogatis iis quae pro ceteris clericis hac in re praevidentur.[26] Cum huiusmodi derogatio non opportuna evadere possit, provisum est ut ius particulare aliter determinare queat.

In mercatura et in aliis negotiis exercendis,[27] diaconis permissis nisi diversae iuris particularis praescriptiones aliter opportuneque caveant, diaconorum erit bonum testimonium honestatis et integritatis deontologicae exhibere, et quidem etiam in observandis obligationibus iustitiae et legum civilium, quae iuri naturali, magisterio, legibus Ecclesiae eiusque libertati non sint oppositae.[28]

Haec derogatio non applicatur diaconis, qui ad Instituta vitae consecratae et ad Societates vitae apostolicae pertinent.[29]

Utcumque sit, diaconis permanentibus curae erit omnia prudenter perpendere atque consilium proprii Episcopi quaerere praesertim in circum-

[24] Cf IOANNES PAULUS II, **Allocutio ad quosdam Zairenses episcopos occasione oblata « ad Limina» visitationis** (30 aprilis 1983), n 4: ***AAS*** 75 (1983), pp. 653-654; **Allocutio ad Diaconos permanentes** (16 martii 1985): ***Insegnamenti,*** VIII, 1 (1985), pp. 648-650; cf. etiam **Allocutio Kinsasae habita: de episcoporum officiis in Christi Ecclesia** (4 maii 1980), 3-5: ***AAS*** 72 (1980), pp, 450-453; ***Catechesis*** **in Audientia generali habita** (6 octobris 1993): ***Insegnamenti,*** XVI, 2 (1993), pp. 951-955

[25] CONC. OECUM. VAT. II, **Const. dogm.** ***Lumen gentium,*** 33; cf. etiam ***C I.C,*** can.. 225.

[26] Cf. ***C.I.C,*** can. 288, et can. 285, §§ 3-4

[27] Cf. ***ibid.,*** can. 288, et can,. 286.

[28] Cf ***ibid.,*** can. 222, § 2 et etiam can.. 225, § 2.

[29] Cf, ***ibid.,*** can. 672.

stantiis et casibus magis implicatis. Quaedam professiones, etsi honestae et communitati utiles, si a diacono permanenti exerceantur, in quibusdam rerum adiunctis, difficulter compatibiles evadere possunt cum officiis pastoralibus sui ministerii propriis. Quapropter auctoritas competens, prae oculis habitis exigentiis communitatis ecclesialis necnon fructibus actionis pastoralis in suum servitium exercitae, singulos casus prudenter perpendat, et hoc etiam cum permutatio professionis locum habeat post ordinationem diaconalem.

In casibus conflictus conscientiae, diaconi aliter agere non possunt, etsi cum gravi incommodo, quam congruenter cum doctrina et disciplina Ecclesiae.

Activitas socialis et politica

13. Diaconi, quatenus ministri sacri, priores partes tribuere debent ministerio et caritati pastorali, atque quam maxime fovere « pacem et concordiam iustitia innixam inter homines servandam ».[30]

Activa participatio in factionibus politicis admitti potest in rerum adiunctis peculiaris momenti ad « Ecclesiae iura tuenda aut bonum commune promovendum »,[31] iuxta normas ab Episcoporum conferentiis statutas;[32] in omni casu tamen firmiter prohibita remanet, cooperatio cum factionibus et syndacatus coetibus, qui in ideologiis, pactis et consociationibus innituntur, cum doctrina catholica repugnantibus.

Residentia

14. Diaconus de more, ut e dioecesi per notabile tempus discedat, iuxta normas a particulari iure determinatas, licentiam proprii Ordinarii vel Superioris maioris habere debet.[33]

Sustentatio et praevidentia

Remuneratio et assistentia socialis

15. Diaconi, activitatibus professionalibus addicti, sustentari debent emolumentis, quae ex illis proveniunt.[34]

Plane legitimum est eos, qui se plene addicant Deo serviendo in officiorum ecclesiasticorum adimpletione,[35] aeque remunerari, quia «dignus est... operarius mercede sua » *(Lc* 10, 7) et « Dominus ordinavit his, qui Evange-

[30] *Ibid.,* can. 287, § 1.
[31] *Ibid.,* can. 287, § 2.
[32] *Ibid.,* can. 288.
[33] Cf. *ibid.,* can. 283
[34] Cf. PAULUS VI, Litt. ap. *Sacrum diaconatus ordinem,* 21: *l.c,* 701.
[35] Cf. *C.I.C.,* can. 281.

lium annuntiant, de Evangelio vivere » *(1 Cor* 9, 14). Quod non excludit, ut iam Apostolus Paulus faciebat (cf. *1 Cor* 9, 12), aliquem huic suo iuri renuntiare posse ac suae sustentationi aliter prospicere.

Non est facile normas generales et obligatorias pro omnibus dare, quod ad sustentationem attinet, cum magna diversitas situationum vigeat inter diaconos in diversis Ecclesiis particularibus et in diversis nationibus. Praeterea prae oculis habendae sunt conventiones, quae forte initae sunt a Sancta Sede et ab Episcoporum conferentiis cum nationum moderatoribus. Pro opportunis determinationibus, ergo, remittitur ad ius particulare.

Normae canonicae

16. Clerici, quatenus modo activo et concreto ministerio ecclesiastico addicti, ius habent ad sustentationem, quae « remunerationem adaequatam »[36] et assistentiam socialem complectitur.[37]

Quod ad diaconos uxoratos spectat, Codex Iuris Canonici sic statuit: « Diaconi uxorati qui plene ministerio ecclesiastico sese devovent, remunerationem merentur qua sui suaeque familiae sustentationi providere valeant; qui vero ratione professionis civilis, quam exercent aut exercuerunt, remunerationem obtineant, ex perceptis inde reditibus sibi suaeque familiae necessitatibus consulant ».[38] In statuenda remuneratione « adaequata », enuntientur etiam paramétra, ad remunerationis mensuram determinandam et aestimandam, prout e.g. condicio personae, natura officii exerciti, circumstantiae loci et temporis, exigentiae vitae ministri (ipsius familia, si uxoratus est, comprehensa), iusta retributio personarum eius servitio forte addictarum. Agitur de criteriis generalibus ad omnes clericos applicandis.

Ad consulendum « sustentationi clericorum, qui in favorem dioecesis servitium praestant », in qualibet Ecclesia particulari constituatur speciale institutum, quod ad hunc finem « bona et oblationes colligat ».[39]

[36] « Clerici, cum ministerio ecclesiastico se dedicant, remunerationem merentur quae suae condicioni congruant, ratione habita tum ipsius muneris naturae, tum locorum temporumque condicionum, quaque ipsi possint necessitatibus vitae suae necnon aequae retributioni eorum, quorum servitio egent, providere» *(C.I.C.,* can. 281, § 1).

[37] « Item providendum est ut gaudeant illa sociali assistentia, qua eorum necessitatibus, si infirmitate, invaliditate vel senectute laborent, apte prospiciatur» *(C.I.C.,* can. 281, § 2).

[38] *C.I.C.,* can. 281, § 3. Vox remunerationis in Iure Canonico, dissimiliter a Iure civili, significat, magis quam stipendium in sensu technico, compensationem aptam ad honestam et congruam sustentationem ministri, cum talis compensatio debetur ex iustitia.

[39] *Ibid.,* can. 1274, § 1.

Assistentia socialis pro clericis, nisi aliter sit provisum, alio apposito instituto committatur.[40]

Diaconi caelibes, sine alia remuneratione

17. Diaconi caelibes, ministerio ecclesiastico pro dioecesi ad tempus plenum dediti, si alio sustentationis fonte non fruantur, et ipsi ius habent ad remunerationem, secundum principium generale.[41]

Diaconi uxorati, sine alia remuneratione

18. Diaconi uxorati, ministerio ecclesiastico ad plenum tempus dediti, qui retributionem oeconomicam non percipiant ex alio fonte, remuneran debent modo quo possint suae et familiarium suorum sustentationi prospicere,[42] iuxta praedictum principium generale.

Diaconi uxorati cum remuneratione

19. Diaconi uxorati, qui plene vel ad tempus ministerio ecclesiastico se addicunt, si pro professione civili remunerationem percipiant, quam exerceant vel exercuerunt, prospicere debent suis et familiae suae necessitatibus reditibus, qui e tali remuneratione proveniunt.[43]

Solutio expensarum

20. Ad ius particulare spectat opportunis normis alios huius difficilis materiae aspectus componere, statuendo exempli gratia, ut instituta vel paroeciae, quae ministerio diaconi fruuntur, obligentur expensas vivas refundere in ministerio exercendo ab eo contractas.

Ius particulare praeterea determinare potest quale onus dioecesis sibi assumere debeat pro diacono, cui absque sua culpa, contigerit ut labore civili privetur. Pariter opportunum erit determinare fortuitas obligationes oeconomicas dioecesis erga uxorem et filios diaconi defuncti. Ubi fieri potest, opportunum est ut diaconus, ante ordinationem, alicui instituto mutuo adhaereat, quod huiusmodi casus praevideat.

Amissio status diaconalis

21. Diaconus vocatur ad ordinem acceptum vivendum cum generosa deditione et semper renovata perseverantia, animatus fiducia in perennem Dei

[40] *Ibid.,* can. 1274, § 2.
[41] Cf. *ibid.,* can. 281, § 1.
[42] Cf *ibid.,* can. 281, § 3.
[43] Cf. *ibid*, can 281, § 3.

fidelitate. Sacra Ordinatio, semel valide recepta, numquam evanescit. Amissio tamen status clericalis fit iuxta normas iure canonico statutas.[44]

2

MINISTERIUM DIACONI

Munera diaconalia

Triplex diaconia

22. Ministerium diaconi summatim perstringitur a Concilio Vaticano II hisce tribus verbis « diaconia liturgiae, verbi et caritatis ».[45] Hoc modo exprimitur participatio diaconalis unici et triplicis muneris Christi in ministerio ordinato. Diaconus « est ***magister,*** quatenus proclamat et illustrat Verbum Dei; est ***sanctificator,*** quatenus administrat sacramentum baptismi, Eucharistiam et sacramentalia, participat celebrationem S. Missae, ut "minister sanguinis", conservat et distribuit Eucharistiam; est ***ductor,*** quatenus est incitator communitatum vel sectorum vitae ecclesialis ».[46] Sic diaconus auxiliatur et inservit Episcopis et presbyteris, qui semper praesunt liturgiae, pervigilant super doctrinam et moderantur Populum Dei.

Ministerium diaconorum in servitio christifidelium communitati exhibendum, debet « operam praestare aedificationi unitatis christianorum sine praeiudiciis et sine non opportunis inceptis »,[47] excolendo « eas qualitates humanas, quae aliquem reddunt aliis acceptum et credibilem, vigilantem super proprium sermonem et super propriam dialogi capacitatem, ut habilitatem authentice oecumenicam acquirere possit ».[48]

[44] **Cf** ***ibid.,*** **cann.** 290-293

[45] CONC. OECUM. VAT. II, **Const. dogm.** ***Lumen gentium,*** 29,

[46] IOANNES PAULUS II, **Allocutio ad Diaconos Permanentes** (16 **martii** 1985), **n.** 2: ***Insegnamenti,*** VIII, 1 (1985), **p** 649; **cf,** CONC. OECUM. VAT. II, **Const. dogm.** ***Lumen gentium,*** 29; ***C.I.C.,*** **can.** 1008,

[47] PONTIFICIUM CONSILIUM AD UNITATEM CHRISTIANORUM FOVENDAM, ***Directoire pour l'application des principes et des normes sur l'oecuménisme*** (25 **martii** 1993), 71: ***AAS*** 85 (1993), **p..** 1069; **cf. Congregatio pro Doctrina Fidei, Litt** ***Communionis notio*** (28 **maii** 1992): ***AAS*** 85 (1993), **pp.** 838 **seq,**

[48] PONTIFICIUM CONSILIUM AD UNITATEM CHRISTIANORUM FOVENDAM, ***Directoire pour l'application des principes et des normes sur l'oecuménisme*** (25 **martii** 1993), 70: ***l.c,*** 1068.

Diaconia Verbi

Praeco Evangelii

23. Episcopus, inter ordinationem, diacono tradit librum Evangelii cum his verbis: « Accipe Evangelium Christi, cuius praeco effectus es ».[49] Haud secus ac sacerdotes, diaconi omnibus hominibus sese dedicant sive bona disciplina vitae, sive aperta praedicatione ministerii Christi, sive tradendo doctrinam christianam vel incumbendo studio problematum nostri temporis. Munus igitur praecipuum diaconi est cooperare cum Episcopo et presbyteris in exercitio ministerii[50] non suae sapientiae, sed Verbi Dei, omnes ad conversionem et sanctitatem invitando.[51] Ad hanc missionem adimplendam diaconi se praeparare tenentur in primis diligenti studio Sacrae Scripturae, Traditionis, liturgiae et Ecclesiae vitae.[52] Tenentur, praeterea, quod ad sacri depositi interpretationem et applicationem pertinet, sinere se dociliter eorum Magisterio perduci, qui « sunt divinae et catholicae veritatis testes »,[53] Romanus scilicet Pontifex et Episcopi cum eo coniuncti,[54] ita ut « integre et fideliter mysterium Christi »[55] proponere possint.

Necessarium denique est, ut artem ediscant fidem modo efficaci et integro proponendi huius temporis hominibus, in variis culturae condicionibus et in diversis statibus vitae.[56]

Minister Verbi

24. Diaconi proprium officium est Evangelium proclamare et Verbum Dei praedicare.[57] Diaconi facultate fruuntur ubicumque praedicandi, condi-

[49] *Pontificale Romanum — De ordinatione Episcopi, presbyterorum et diaconorum*, n. 210: *ed. cit.*, p. 125: «Accipe Evangelium Christi, cuius praeco effectus es; et vide, ut quod legens credas, quod credideris doceas, quod docueris imiteris ».

[50] Cf. CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, 29; « diaconorum etiam est in ministerio verbi populo Dei, in communione cum Episcopo eiusque presbyterio, inservire » *(C.I.C.*, can. 757); « Nella predicazione, i diaconi partecipano al ministero dei sacerdoti » (IOANNES PAULUS II, Marianopoli, Allocutio in templo sanctuario S. Ioseph, ad presbyteros et diaconos habita [11 septembris 1984], n. 9: *AAS* 77 [1985], p. 396).

[51] Cf. CONC. OECUM. VAT. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis*, 4.

[52] Cf. *ibid.*, Const. dogm. *Dei verbum*, 25; CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA, Litt. circ. *Come è a conoscenza*, 16 iulii 1969; *CIC*, can. 760.

[53] CONC. OECUM. VAT. II, Const dogm. *Lumen gentium*, 25, a; Const.. dogm. *Dei verbum*, 10, a.

[54] Cf. *C.I.C.*, can. 753.

[55] *Ibid.*, can 760.

[56] Cf. *ibid.*, can 769.

[57] Cf. *Institutio Generalis Missalis Romani*, n. 61; *Missale Romanum*, Ordo lectionum Missae, *Praenotanda*, n. 8, 24, 50: ed. typica altera, 1981,

cionibus a iure praevisis.[58] Quae facultas oritur e sacramento atque exerceri debet de consensu saltem tacito rectoris Ecclesiae, et quidem cum humilitate eius qui est Dei Verbi minister et non dominus. Hanc ob causam semper viva remanet monitio Apostoli: « Ideo habentes administrationem, iuxta quod misericordiam consecuti sumus non deficimus sed abdicamus occulta dedecoris non ambulantes in astutia adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo » ***(2 Cor*** 4,1-2).[59]

Homilia et catechesis

25. In casibus quibus celebrationi liturgicae praesident vel si, iuxta vigentes normas,[60] ad eam celebrandam deputati fuerint, diaconi homiliae magnum momentum tribuant, quatenus est « quasi annuntiatio mirabilium Dei in historia salutis seu mysterio Christi, quod in nobis praesens semper adest et operatur, praesertim in celebrationibus liturgicis ».[61] Sciant, ergo, eam praeparare peculiari cura in oratione, in textuum sacrorum studio, in plena concordia cum Magisterio et recogitando ea quae auditores exspectant.

Solerter quoque attendant ad catecheticam christifidelium institutionem in variis christianae vitae statibus, ita ut eos adiuvare possint in fide in Christum cognoscenda, per sacramentorum receptionem roboranda atque in ipsorum vita familiari, professionali et sociali exprimenda.[62] Quae catechetica institutio hodie eo magis urget et eo plenior, fidelior, clarior et a vana sapientia remotior esse debet, quo magis societas ad saeculum se conformat et quo maiores provocationes exsurgunt homini et Evangelio a moderna vita illatae.

Nova evangelizatio

26. Huic societati nova evangelizatio destinatur. Ipsa postulat a ministris ordinatis conatum quam maximum. Ad eam promovendam diaconi,

[58] **Cf *C.I.C,* can. 764.**

[59] **Cf** CONGREGATIO PRO CLERICIS, **Directorium pro presbyterorum ministerio et vita *Tota Ecclesia* (31 ianuarii 1994), nn. 45-47: l.c, 43-48.**

[60] **Cf. *Institutio Generalis Missalis Romani,* nn. 42, 61;** CONGREGATIO PRO CLERICIS, PONTIFICIUM CONSILIUM PRO LAICIS, CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM, CONGREGATIO PRO EPISCOPIS, CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE, CONGREGATIO PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE, PONTIFICIUM CONSILIUM DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS, **Instructio de quibusdam quaestionibus circa fidelium laicorum cooperationem sacerdotum ministerium spectantem *Ecclesiae de mysterio* (15 augusti 1997), art. 3.**

[61] CONC. OECUM. VAT. **II, Const, *Sacrosanctum Concilium,* 35; cf. 52; *C.I.C.,* can 767, § 1.**

[62] **Cf. *C.I.C.,* can, 779,.**

oratione et amore Eucharistiae roborati,[63] praeter suam participationem programmatum dioecesanorum vel paroecialium, quae catechesim, evangelizationem, et praeparationem ad sacramenta spectant, Verbum in suum ambitum professionalem transmittere debent et quidem sive explicitis verbis, sive sola praesentia activa in locis ubi opinio publica efformatur vel ubi normae ethicae applicantur (verbi gratia in servitiis socialibus, servitiis pro iuribus familiae, vitae, etc.); deinde etiam magni aestiment amplas possibilitates, quas ministerio Verbi praebent institutio religiosa et moralis in scholis,[64] munus docendi in catholicis universitatibus etiam civilibus[65] et usus adaequatus hodiernorum instrumentorum communicationis socialis.[66]

Hi ***novi aeropagi*** postulant quidem, praeter necessariam sanam doctrinam, etiam diligentem praeparationem specificam; attamen instrumenta efficacissima consistunt ad Evangelium hominibus nostri temporis et ipsi societati annuntiandum.[67]

Denique, diaconi meminerint subicienda esse iudicio Ordinarii, antequam publicentur, scripta quae agunt de fide et moribus,[68] itemque necessariam esse licentiam Ordinarii loci ad scribendum in publicationibus, quae religionem catholicam aut bonos mores impugnare soleant. Ad transmissiones radio-televisivas quod attinet, normas ab Episcoporum conferentia statutas observabunt.[69]

In omni casu, ipsi prae mente semper habeant primariam et firmam exigentiam in exponenda veritate ad nullum umquam compromissum descendendi.

Munus missionarium

27. Diaconi meminerint Ecclesiam suapte natura missionariam esse,[70] sive quia originem ducit a missione Filii et a missione Spiritus Sancti secundum consilium Patris, sive etiam quia a Domino resuscitato mandatum accepit praedicandi Evangelium omni creaturae et eos baptizandi, qui crediderunt (cf. ***Mc*** 16, 15-16; ***Mt*** 28, 19). Huius Ecclesiae diaconi sunt ministri ac proinde, etsi alicui Ecclesiae particulari incardinati, nullo modo se eximere possunt ex munere missionali Ecclesiae universalis, ac debent ergo

[63] PAULUS VI, Adhort. ap. *Evangelii nuntiandi* (8 decembris 1975): *AAS* 68 (1976), pp. 5-76.
[64] Cf. *C.I.C.,* cann. 804-805.
[65] Cf. *ibid.,* can 810.
[66] Cf. *ibid..,* can 761.
[67] Cf, *ibid.,* can. 822.
[68] Cf. *ibid.,* can 823, § 1
[69] *Ibid.,* 831, §§ 1-2.
[70] CONC. OECUM. VAT. II, Decr *Ad gentes,* 2, a.

etiam ad missionem ad gentes[71] parati semper esse ratione ac mensura, quae eis sinunt obligationes familiares — si sint uxorati — ac professionales.

Ambitus servitii patet, quantum ambitus patet missionarius Ecclesiae; quapropter nisus missionarius diaconi complectitur servitium verbi, liturgiae et caritatis, quod in vita quotidiana continuatur. Missio extenditur ad testimonium Christi etiam in laicali, si exsistat, professione exercenda.

Diaconia liturgiae

Servitium in opus sanctificationis

28. Ritus ordinationis in luce ponit alium aspectum ministerii diaconalis: servitium altaris.[72]

Diaconus sacramentum Ordinis recipit, ut qua minister sanctificationi communitatis christianae inserviat, in communione hierarchica cum Episcopo et presbyteris. Ministerio Episcopi et, subordinate, ministerio presbyterorum, diaconus praestat auxilium sacramentale, ac proinde intrinsecum, organicum, a confusione alienum.

Constat eius diaconiam apud altare, quatenus a sacramento Ordinis effectam, essentialiter differre a quolibet ministerio liturgico, quod pastores committere possint christifidelibus non ordinatis. Ministerium liturgicum diaconi pariter differt ab ipso ministerio ordinato sacerdotali.[73]

Unde fit ut, in oblatione sacrificii eucharistici, diaconus mysterium non valeat complere, sed ex una parte effective Populum fidelem repraesentat eumque adiuvat ad uniendam modo sibi proprio oblationem suae vitae cum oblatione Christi; ex altera vero parte, nomine ipsius Christi, inservit ad Ecclesiam participem reddendam fructuum sacrificii sui.

Quoniam vero « liturgia est culmen ad quod actio Ecclesiae tendit et simul fons unde omnis eius virtus emanat »,[74] haec virtus consecrationis diaconalis etiam fons exstat gratiae sacramentalis quae ad fecundum reddendum tendit totum ministerium; cui gratiae respondendum est cum accurata profundaque praeparatione theologica et liturgica, ut digne participari possit in celebratione sacramentorum et sacramentalium.

Ratio celebrationis

29. In ministero celebrando diaconus bene sibi conscius erit, quod « omnis liturgica celebratio, utpote opus Christi sacerdotis eiusque Corporis,

[71] **Cf. *C.I.C,* cann. 784, 786.**

[72] **Cf,** CONC. OECUM. VAT. II, **Decr. *Ad gentes,* 16; *Pontificale Romanum — De ordinatione Episcopi, presbyterorum et diaconorum,* n 207: *ed. cit.,* p. 122 *(Prex Ordinationis).***

[73] **Cf,** CONC. OECUM. VAT. II, **Const dogm. *Lumen gentium,* 29.**

[74] ***Ibid.,* Const. *Sacrosanctum Concilium,* 10.**

quod est Ecclesia, est actio sacra praecellenter, cuius efficacitatem eodem titulo eodemque gradu nulla alia actio adaequat ».[75] Liturgia est fons gratiae et sanctificationis. Eius efficacia a Christo Redemptore proficiscitur et nullo modo a ministri sanctitate dependet. Haec certitudo humilem reddet diaconum, qui numquam Christi opus in discrimen adducere poterit, eodemque tempore eum ad vitam sanctam impellet, ut dignus illius minister existat. Actiones igitur liturgicae ad actiones privatas vel sociales minime redigi possunt, quas etiamsi quisque modo suo celebrare potest, eae tamen ad Corpus universale Ecclesiae pertinent.[76] Diaconi observare debent normas sacrorum mysteriorum proprias tali veneratione, ut christifideles secum trahant in consciam participationem, quae eorum fidem roboret, Deo cultum exhibeat et Ecclesiam santificet.[77]

Auxilium Episcopis et presbyteris in celebrationibus praestitum

30. Secundum Ecclesiae traditionem et normas iure statutas,[78] ad diaconos spectat auxilium praebere Episcopis et presbyteris in celebratione divinorum mysteriorum.[79] Ipsi igitur operam conferent in celebrationibus promovendis, quae totam congregationem implicent, adhibita cura ad interiorem omnium participationem et variorum ministeriorum exercitium.[80]

Prae oculis habeant etiam magni momenti dimensionem aestheticam, quae totum hominem sinit experiri pulchritudinem celebrationum. Musica et cantus, etiam tenues et simplices, verba praedicationis, communio christifidelium pacem et reconciliationem Christi viventium, pretiosa bona sunt, quae diaconus pro parte sua ita geret, ut incrementum accipiant.

Omnibus, quae in libris liturgicis statuuntur, sint semper obsequentes, neque aliquid sua sponte addant, tollant vel immutent.[81] Liturgiam ex arbitrio immutare idem est ac eam privare divitiis mysterii Christi in ipsa contentis atque significare posset quamdam praesumptionem circa ea, quae sapienter ab Ecclesia statuta sunt. Solum igitur et totum id agant, quod ad

[75] *Ibid.,* 7d.

[76] Cf. *ibid,* 22, 3; *C.I.C.,* cann. 841, 846

[77] Cf. *CIC,* can 840

[78] « Diaconi in divino cultu celebrando partem habent, ad normam iuris praescriptorum » *(C.I.C..,* can. 835, § 3).

[79] *Catechismus Catholicae Ecclesiae,* n. 1570; cf. *Caeremoniale Episcoporum,* nn. 23-26.

[80] CONC. OECUM. VAT. II, Const. *Sacrosanctum Concilium,* 26-27.

[81] Cf *C.I.C.,* can 846, § 1.

eorum competentiam pertinet.[82] Induant digne praescriptas vestes liturgicas.[83] Dalmatica, variis et propriis coloribus liturgicis distincta, quae super albam induitur, cingulum et stola habitum proprium diaconi constituunt.[84]

Servitium diaconi extenditur ad praeparationem christifidelium ad sacramenta, et etiam ad eorum curam pastoralem post celebrationem effectam.

Baptismus

31. Diaconus cum Episcopo et presbytero, est minister ordinarius baptismi.[85] Ad exercendam huiusmodi facultatem, requiritur aut licentia a parocho concessa, cui modo speciali competit suos paroecianos baptizare,[86] aut casus necessitatis.[87] Peculiaris momenti est ministerium diaconorum in praeparatione ad hoc sacramentum.

Eucharistia

32. In celebratione Eucharistiae, diaconus assistit et adiuvat eos qui congregationi praesident et Corpus et Sanguinem Christi consecrant, scilicet Episcopum et presbyteros,[88] secundum Institutionis generalis Missalis Romani praescripta,[89] et ita Christum Salvatorem manifestat: adstat prope sacerdotem eumque adiuvat, peculiariter in celebratione Missae assistit sacerdoti caeco vel alia infirmitate affecto;[90] in altari servitium praestat quod ad calicem et ad librum attinet; christifidelibus proponit intentiones precum eosque invitat ad signum pacis commutandum; absentibus aliis ministris,

[82] Cf. CONC. OECUM. VAT. II, Const. *Sacrosanctum Concilium,* 28.

[83] Cf. *C.I.C.,* can. 929.

[84] Cf. *Institutio generalis Missalis Romani,* nn.. 8Ib, 300, 302; *Institutio generalis de Liturgia Horarum,* n. 255; *Pontificale Romanum — Ordo dedicationis ecclesiae et altaris,* nn. 23, 24, 28, 29, Editio typica, Typis Polyglottis Vaticanis 1977, pp. 29 et 90; *Rituale Romanum — De Benedictionibus,* n. 36, Editio typica, Typis Polyglottis Vaticanis 1985, p. 18; *Ordo coronandi imaginem beatae Mariae Virginis,* n. 12, Editio Typica, Typis Polyglottis Vaticanis 1981, p. 10; CONGREGATIO DE CULTU DIVINO, Directorium de celebrationibus dominicalibus absente presbytero *Christi Ecclesia,* n, 38: *Notitiae* 24 (1988), pp. 388-389; *Pontificale Romanum - De Ordinatione Episcopi, presbyterorum et diaconorum,* nn 188: (« Immediate post Precem Ordinationis, Ordinati stola diaconali et dalmatica induuntur, quo eorum ministerium abhinc in liturgia peragendum manifestetur»); n. 190: *ed. cit.,* pp. 102,103; *Caeremoniale Episcoporum, n.* 67, Editio Typica, Libreria Editrice Vaticana 1995, pp. 28-29,

[85] *C.I.C.,* can., 861, § 1.

[86] Cf. *ibid.,* can. 530, n. I°.

[87] Cf. *ibid.,* can. 862.

[88] Cf. PAULUS VI, Litt. ap. *Sacrum diaconatus ordinem,* V, 22, 1: *l.c,* 701.

[89] Cf. *Institutio generalis Missalis Romani,* nn. 61, 127-141.

[90] Cf. *C.I.C.,* can.. 930, § 2.

ipse eorum officia, iuxta necessitates, adimplet. Non ei competit pronuntiare verba orationis eucharisticae et preces nec actiones et gestus peragere, qui unice ad eos spectant, qui praesident et consecrant.[91]

Diaconi proprium officium est proclamare libros divinae Scripturae.[92]

Qua minister ordinarius sacrae communionis[93] eam distribuit inter celebrationem, vel extra eam, eandemque defert infirmis etiam in forma viatici.[94]

Diaconus est etiam minister ordinarius expositionis Sanctissimi Sacramenti et Benedictionis eucharisticae.[95] Ad eum spectat, presbytero absente, dominicalibus, si quae praevideantur, celebrationibus praesidere.[96]

Matrimonium

33. Diaconis committi potest cura pastoralis familiaris, cuius primaria responsabilitas in Episcopum cadit. Quae responsabilitas extenditur in problemata moralia, liturgica, non exclusis problematibus indolis personalis et socialis eo fine, ut familia in suis difficultatibus et rebus adversis sustineri possit.[97] Huiusmodi responsabilitas exerceri potest in gradu dioecesano vel, sub auctoritate parochi in gradu locali, in catechesi tradenda de matrimonio christiano, in praeparatione personali futurorum coniugum, in fructuosa sacramenti celebratione et in auxiliis sponsis post matrimonium oblatis.[98]

Diaconi uxorati magnum auxilium praebere possunt, in proponendo evangelio circa amorem coniugalem et virtutes illum protegentes necnon exercitium paternitatis sub aspectu christiano et humano responsabilis.

Ad diaconum etiam competit, si quidem a parocho vel ab Ordinario loci facultatem receperit, praesidere matrimonii celebrationi extra Missam et benedictionem nuptialem impertire nomine Ecclesiae.[99] Delegatio diaconis con-

[91] **Cf.** ***ibid.*****, can.** 907; CONGREGATIO PRO CLERICIS ET ALII, **Instructio** ***Ecclesiae de mysterio*** (15 **augusti** 1997), **art.** 6.

[92] **Cf.** PAULUS **VI, Litt. ap.** ***Sacrum diaconatus ordinem,*** **V**, 22, 6: ***l.c,*** 702.

[93] **Cf.** ***C.I.C.,*** **can.** 910, § 1

[94] **Cf.** ***ibid.,*** **can.** 911, § 2.

[95] **Cf.** ***ibid.,*** **can.** 943 **et etiam** PAULUS **VI, Litt. ap.** ***Sacrum diaconatus ordinem,*** **V**, 22, 3: ***l.c,*** 702.

[96] **Cf.** CONGREGATIO DE CULTU DIVINO, **Directorium de celebrationibus dominicalibus absente presbytero** ***Christi Ecclesia,*** **n.** 38: ***l.c,*** 388-389; CONGREGATIO PRO CLERICIS ET ALII, **Instructio** ***Ecclesiae de mysterio*** (15 **augusti** 1997), **art.** 7.

[97] **Cf.** IOANNES PAULUS **II, Adh. ap.** ***Familiaris consortio,*** 73: ***AAS*** 74 (1982), **pp..** 170-171.

[98] **Cf.** ***C.I.C.,*** **can** 1063.

[99] **Cf,** CONC. OECUM. VAT. **II, Const. dogm.** ***Lumen gentium,*** 29; ***C.I.C.,*** **can..** 1108, §§ 1-2; ***Ordo celebrandi Matrimonium,*** **ed.. typica altera** 1991, 21.

cedi potest etiam forma generali et condicionibus iure praevisis,[100] eademque subdelegari item potest exclusive modis in Codice Iuris Canonici determinatis.[101]

Cura pastoralis infirmorum

34. Doctrina definita est[102] collationem sacramenti unctionis infirmorum reservatam esse Episcopis et presbyteris, cum huiusmodi sacramentum conexum sit cum venia peccatorum et digna Eucharistiae receptione.

Cura pastoralis infirmorum diaconis committi potest. Actuosum servitium ad eis in dolore succurrendum, catechesis quae praeparat ad recipiendum sacramentum unctionis, suppletio sacerdotis in praeparatione christifidelium ad mortem et administratio viatici ritu proprio, sunt media quibus diaconus christifidelibus caritatem Ecclesiae praesentem reddit.[103]

Liturgia Horarum

35. Diaconi obligatione ab Ecclesia statuta tenentur Liturgiam Horarum celebrare, qua cum toto Corpore Mystico uniuntur ad precationem, quam Christus Caput elevat ad Patrem. Conscii de huiusmodi responsabilitate, ipsi talem Liturgiam celebrabunt quotidie, iuxta liturgicos libros probatos et modos ab Episcoporum conferentia determinatos.[104] Praeterea promovere studebunt participationem communitatis christianae huic Liturgiae, quae numquam actio privata habenda est, sed semper actus totius Ecclesiae proprius,[105] etiam cum de celebratione singulari agitur.

Sacramentalia et ritus exequiales

36. Diaconus est minister sacramentalium, scilicet eorum sacrorum signorum, « quibus in aliquam Sacramentorum imitationem, effectus praesertim spirituales significantur et ex Ecclesiae impetratione obtinentur ».[106]

[100] Cf. *C.I.C.,* can. 1111, §§ 1-2.

[101] Cf. *ibid.,* can 227, §§ 3-4.

[102] Cf. CONC. OECUM. FLORENTINUM, BULLA *Exsultate Deo* (DS 1325); CONC. OECUM. TRIDENTINUM, *Doctrina de sacramento extremae unctionis,* cap. 3 (DS 1697) et can. 4 *de extrema unctione* (DS 1719).

[103] PAULUS VI, Litt., ap. *Sacrum diaconatus ordinem,* II, 10: *l.c,* 699; CONGREGATIO PRO CLERICIS ET ALII, Instructio *Ecclesiae de mysterio* (15 augusti 1997), art. 9..

[104] Cf. *C.I.C.,* can. 276, § 2, n. 3.

[105] Cf. *Institutio generalis de Liturgia Horarum,* nn., 20, 255-256.

[106] Cf. CONC. OECUM. VAT. II, Const. *Sacrosanctum Concilium,* 60; *C.I.C.,* can. 1166; 1168; *Catechismus Catholicae Ecclesiae,* n. 1667.

Diaconus igitur benedictiones impertire potest strictius cum vita ecclesiali et sacramentali colligatas, quae ei iure expresse permittuntur;[107] ad eum praeterea spectat exequiis sine Missa praesidere et ritui sepulturae.[108]

Attamen, si praesens atque expeditus sit sacerdos, officium praesidendi ei committi debet.[109]

Diaconia caritatis

Servi Populi Dei

37. Vi sacramenti Ordinis diaconus, in comunione cum Episcopo et presbyterio dioecesis, etiam ipsa munera pastoralia participat,[110] sed eadem exercet modo diverso, scilicet inserviendo et adiuvando Episcopum et presbyteros. Quae participatio, utpote per sacramentum peracta, efficit ut diaconi Populum Dei inserviant nomine Christi. Sed eadem de causa hoc ipsum munus exercere debent humili caritate et, secundum verba S. Polycarpi, semper oportet se exhibeant « misericordes, sedulos, incedentes iuxta veritatem Domini, qui omnium minister factus est ».[111]

Eorum ergo auctoritas, in communione hierarchica cum Episcopo et presbyteris exercita, quemadmodum id exigit ipsa unitas consecrationis et missionis,[112] est servitium caritatis, cuius finis est omnia membra Ecclesiae particularis iuvare et promovere, ut participare possint vitam et Ecclesiae missionem, in spiritu communionis et secundum eorum charisma.

Servitium caritatis

38. In ministerio caritatis diaconi se conformare debent Christo Servo, quem repraesentant, ac oportet eos deditos esse praesertim officiis caritatis et administrationis.[113] Quapropter Episcopus in ordinationis oratione pro ipsis a Deo Padre postulat: « Abundet in eis evangelicae forma virtutis, dilectio sine simulatione, sollicitudo infirmorum ac pauperum, auctoritas mode-

[107] Cf. *C.I.C,* can 1169, § 3.

[108] Cf. PAULUS VI, Litt. ap. *Sacrum diaconatus ordinem,* V, 22, 5: *l.c,* 702; *Ordo exsequiarum,* 19; CONGREGATIO PRO CLERICIS ET ALII, Instructio *Ecclesiae de mysterio* (15 augusti 1997), art.. 12.

[109] Cf. *Rituale Romanum — De Benedictionibus,* n. 18 c: *ed. cit.,* p. 14.

[110] Cf. *C.I.C.,* can. 129, § 1.

[111] S. Polycarpus Smyrnensis, *Epist, ad Philippenses,* 5, 2: SC 10 bis, p. 182; citatus in *Lumen gentium,* 29 a

[112] Cf. PAULUS VI, Litt. ap. *Sacrum diaconatus ordinem, l.c,* 698.

[113] CONC. OECUM. VAT. II, Const dogm. *Lumen gentium,* 29.

sta... in Christo firmi et stabiles perseverent, quatenus, Filium tuum, qui non venit ministrari sed ministrare exemplo suae vitae exprimant

Ipsi exemplo et verbo studere debent, ut christifideles omnes, formam vitae Christi imitantes, se constanter in fratrum servitium exhibeant.

Opera caritatis, dioecesana vel paroecialia, quae sunt inter primaria officia Episcopi et presbyterorum, ab his transmittuntur, secundum testimonium Traditionis Ecclesiae, servis ministerii ecclesiastici, hoc est diaconis;[115] ita etiam cum agitur de caritatis servitio in campo educationis christianae; de animatione oratoriorum, coetuum ecclesialium iuvenum et professionum laicalium; de promotione vitae in omnibus suis statibus et de mundi transformatione iuxta ordinem christianum."[116] In his campis diaconorum servitium magni pretii est habendum, quia, in praesentibus rerum adiunctis, spirituales et corporales hominum necessitates, quibus respondere Ecclesia vocatur, sunt admodum diversitate signatae. Ipsi igitur omnibus inservire studeant sine discrimine, peculiari modo ad dolore magis afflictos et ad peccatores attendendo. Ut ministri Christi et Ecclesiae, ipsi exsuperare sciant quamlibet ideologiam et partium utilitates, ne missio Ecclesiae sua vi evacuetur, quae est caritas Christi. Diaconia, enim, efficere debet, ut homo amorem Dei experiatur eumque ad conversionem inducat, eiusque animum ad gratiam patefaciat.

Munus caritativum diaconorum etiam opportunum servitium complectitur in administratione bonorum et in caritatis operibus Ecclesiae. Diaconorum in hoc campo munus est « caritatis et administrationis officiis atque socialis subsidii operibus, Hierarchiae nomine, perfungi ».[117] Quare opportune ipsi possunt deputari ad officium oeconomi dioecesani,[118] vel in consilium dioecesanum pro rebus oeconomicis cooptari.[119]

[114] ***Pontificale Romanum* — *De ordinatione Episcopi, presbyterorum et diaconorum,*** **n.** 207: ***ed., cit.,*** **p.** 122 ***{Prex Ordinationis).***

. [115] **Cf.** S. HIPPOLYTUS, ***Traditio Apostolica,*** 8, 24: ***8.Ch.*** 11 **bis, pp.** 58-63; 98-99; ***Didascalia Apostolorum*** **(Siriaca), capp. III, XI: A. Vööbus (ed.)** ***The «Didascalia Apostolorum» in Syria,*** **CSCO, vol I, n.** 402 **(tomus** 176), **pp.** 29-30; **vol. II, n.** 408 **(tomus** 180), **pp.** 120-129; ***Didascalia Apostolorum,*** **III,** 13 (19), 1-7: **F. X. Funk (ed.),** ***Didascalia et Constitutiones Apostolorum,*** **Paderbornae** 1906, **I, pp.** 212-216; CONC. OECUM. VAT. **II, Decr.** ***Christus Dominus,*** 13.

[116] CONC. OECUM. VAT. **II, Const. past** ***Gaudium et spes,*** 40-45.

[117] PAULUS **VI, Litt. ap.** ***Sacrum diaconatus ordinem,*** **V,** 22, 9: ***l.c,*** 702. **Cf.** IOANNES PAULUS **II,** ***Catechesis*** **in audientia generali habita** (13 **octobris** 1993), **n.** 5: ***Insegnamenti*** **XVI,** 2 (1993), **pp.** 1000-1004.

[118] **Cf.** ***C.I.C.,*** **can.** 494.

[119] **Cf.** ***ibid.,*** **can.** 493.

Missio canonica diaconorum permanentium

Exercitium triplicis diaconiae

39. Tres ministerii diaconalis ambitus pro rerum adiunctis, poterunt quidem absorbere magnam plus minusque partem activitatis cuiuslibet diaconi, sed simul constituunt quandam unitatem in servitio divinae oeconomiae Redemptionis: ministerium Verbi perducit ad ministerium altaris, quod, vicissim, impellit ad liturgiam traducendam in vitam, quae in caritatem efflorescit: « Si consideramus profundam huius diaconiae naturam spiritualem, tunc melius aestimare possumus mutuam relationem inter tres ambitus ministerii, qui tradito more iunguntur in diaconatu, hoc est ministerium Verbi, ministerium altaris et ministerium caritatis. Pro rerum adiunctis, ex his unum vel alterum peculiare momentum habere potest in personali activitate alicuius diaconi, sed haec tria ministeria inseparabiliter coniunguntur in servitio, quod praestant consilio Dei Redemptoris ».[120]

Collatio officii

40. Historiae decursu servitium diaconorum multiplices formas sumpsit, ut varias communitatis christianae necessitates resolvere posset, permitiendo ei suam caritatis missionem exercere. Ad Episcopos, qui ut « vicarii et legati Christi »[121] Ecclesias particulares regunt earumque curam habent, tantum competit[122] officium ecclesiasticum conferre singulis diaconis ad normam iuris. In officii collatione necesse est diligenter perpendere sive necessitates pastorales sive condicionem personalem, familiarem — si agatur de uxoratis — et professionalem diaconorum permanentium. Utcumque sit, maximi tamen momenti est, ut diaconi possint, secundum suas facultates, ministerium suum plene peragere in praedicatione, in liturgia et in caritate; neque relegentur in secundi ordinis officia, in munera supplentiae, aut in opera quae de more christifideles non ordinati adimplere possunt. Hoc solum modo diaconi permanentes in sua vera identitate ministrorum Christi apparebunt, aliter ac laici peculiari modo vitae Ecclesiae addicti.

Propter ipsius diaconi bonum atque extemporalem rationem agendi vitandam, necesse est ut ordinationi clara officii pastoralis collatio iungatur.

[120] Cf. IOANNES PAULUS II, **Allocutio ad Diaconos permanentes (19 septembris 1987), n. 3:** ***Insegnamenti,*** **X, 3 (1987), p 656.**

[121] **Cf.** ***C..LC,*** **can. 157.**

[122] CONC. OECUM. VAT. II, **Const. dogm.** ***Lumen gentium,*** **27, a.**

Ministerium paroeciale

41. Ministerium diaconale ordinarie proprium exercitii ambitum habet in variis campis pastoralis dioecesanae et in paroeciis, formas diversas induendo.

Episcopus diaconis committere potest officium cooperandi in cura pastorali alicuius paroeciae uni solo parocho commissae,[123] vel in cura pastorali plurium paroeciarum, quae in solidum pluribus sacerdotibus commissae sunt.[124]

Cum de participatione agitur in exercitio curae pastoralis alicuius paroeciae — in casibus quibus ob presbyterorum paucitatem perfrui non possit immediata cura alicuius parochi[125] — diaconi permanentes semper praecedentiam habent respectu christifidelium non ordinatorum. Quibus in casibus, declarandum est moderatorem esse sacerdotem, quia is tantum est « pastor proprius », qui recipere potest munus « curae animarum », in qua diaconus qua cooperator fungitur. Pariter diaconi destinari possunt ad regendas, nomine parochi vel Episcopi, christianas communitates dissitas.[126]

« Est munus missionarium absolvendum in territoriis, in ambitibus, in stratis socialibus, in coetibus, ubi desit aut difficile sit reperire presbyterum. Speciali modo in locis ubi nullus sacerdos praesto sit ad Eucharistiam celebrandam, diaconus communitatem cogit ac dirigit in celebratione Verbi cum distributione sacrarum specierum, quae debite conservatae sint.[127] Est ministerium supplens, quod diaconus peragit ex mandato ecclesiali ubi sacerdotum paucitati est consulendum ».[128] In huiusmodi celebrationibus numquam omitti debet oratio pro sacerdotalium vocationum incremento, quorum urgens necessitas illustranda erit. Praesente diacono, participatio in exercitio curae pastoralis committi non potest christifideli laico, neque personarum communitati; ita pariter praesidentia celebrationis dominicalis.

Utcumque competentiae diaconi scripto diligenter definiendae sunt, cum officium confertur.

Inter diaconos et alios addictos curae pastorali inducendae sunt cum generositate et persuasione formae actuosae et patientis cooperationis.

[123] Cf. *CIC.,* can., 519

[124] Cf. *ibid.,* can. 517, § 1

[125] Cf. *ibid.,* can 517, § 2

[126] Cf. PAULUS VI, Litt. ap. *Sacrum diaconatus ordinem,* V, 22, 10: *l.c,* 702.

[127] Cf. *C.I.C.,* can 1248, § 2; CONGREGATIO DE CULTU DIVINO, Directorium de celebrationibus dominicalibus absente presbytero *Christi Ecclesia,* n. 29: *l.c,* 386.

[128] IOANNES PAULUS II, *Catechesis* in audientia generali habita (13 octobris 1993), n. 4: *Insegnamenti* XVI, 2 (1993), p 1002,

Si diaconorum est semper officium parochi revereri et operari in communione eorum omnium qui ipsius parochi curam participant, ita pariter eorundem diaconorum ius est, ut ab omnibus accipiantur et plene agnoscantur. Si Episcopus istitutionem statuat consiliorum pastoralium paroecialium, diaconi, qui participationem curae pastoralis in paroecia receperint, huiusmodi consilii membra iure fiant.[129] Quocumque modo semper praevalere debet caritas sincera, quae in quolibet ministerio agnoscit donum Spiritus Sancti ad aedificationem Corporis Christi.

Ministerium dioecesanum

42. Ambitus dioecesanus plurimas praebet opportunitates pro fructuoso ministerio diaconorum.

Namque diaconi, si necessariis requisitis praediti sunt, possunt partem habere in organis dioecesanis participationi apertis; peculiari modo, in consilio pastorali[130] et, ut supra dictum est, in consilio dioecesano pro rebus oeconomicis; Synodum quoque dioecesanam[131] participare possunt.

Nequeunt tamen esse membra consilii presbyteralis, quia ipsum exclusive presbyterium repraesentat.[132]

In curiis, si requisita praescripta habeant, vocari possunt, ut perfungantur officio cancellarii,[133] iudicis,[134] assessoris,[135] auditoris,[136] promotoris iustitiae et defensoris vinculi,[137] notarii.[138]

Non possunt, contra, constitui vicarii iudiciales, nec vicarii iudiciales adiuncti, nec decani, quia haec officia sacerdotibus reservata sunt.[139]

Alii campi, qui ministerio diaconorum patent, sunt organa seu commissiones dioecesanae, cura pastoralis in specificis ambitibus socialibus, peculiari modo cura pastoralis familiae, vel in sectoribus populi, qui specialem curam pastoralem requirunt, uti sunt ex gratia coetus ethnici.

129 Q£_ PAULUS VI, **Litt. ap.** ***Sacrum diaconatus ordinem,*** V, 24: *l.c,* 702; ***C.I.C.,*** **can.** 536.

130 **Cf.** ***ibid.; C.I.C,*** **can.** 512, § 1.

131 **Cf.** ***C.I.C.,*** **can,** 463, § **2.**

132 **Cf.** CONC. OECUM. VAT. II, **Const. dogm.** ***Lumen gentium,*** 28; **Decr.** ***Christus Dominus,*** 27; **Decr.** ***Presbyterorum Ordinis,*** 7; ***C.I.C.,*** **can..** 495, § 1.

133 **Cf.** ***C.I.C,*** **can.** 482.

134 **Cf,** ***ibid.,*** **can., 1421, § 1.**

135 **Cf.** ***ibid.,*** **can.** 1424.

136 **Cf.** ***ibid.,*** **can.** 1428, § **2.**

137 **Cf.** ***ibid.,*** **can.** 1435.

138 **Cf.** ***ibid.,*** **can.** 483, § 1.

139 **Cf,** ***ibid.,*** **can.** 1420, § 4.

In praefatis officiis explendis, diaconi semper bene meminerint omnem actionem in Ecclesia uti signum caritatis et servitii pro fratribus habendam esse. In actione iudiciali, administrativa, organizativa, igitur quamlibet formam burocraticam, uti aiunt, vitare studebit, ne proprium ministerium sua vi suoque sensu pastorali privetur. Ad tutandam igitur ministerii diaconalis integritatem, quisquis ad huiusmodi implenda officia vocatus in ea condicione ponatur, quae utcumque ei ministerium diaconi peculiare et proprium persolvere sinat.

3
DE SPIRITUALITATE DIACONI

Praesens contextus historicus

Ecclesia in mundo

43. Ecclesia, a Christo adunata et perducta a Spiritu Sancto secundum consilium Dei Patris, praesens in mundo et tamen peregrina[140] in plenitudinem Regni,[141] vivit et Evangelium annuntiat in hisce historiae adiunctis. « Mundum igitur hominum prae oculis habet seu universam familiam humanam cum universitate rerum inter quas vivit; mundum theatrum historiae generis humani, eiusque industria, cladibus ac victoriis signatum; mundum quem christifideles credunt ex amore Creatoris conditum et conservatum, sub peccati quidem servitute positum, sed a Christo crucifixo et resurgente, fracta potestate maligni, liberatum ut secundum propositum Dei transformetur ut ad consummationem perveniat ».[142]

Diaconus, membrum et minister Ecclesiae, in sua vita et in suo ministerio huius realitatis rationem habere tenetur; scilicet cognoscere debet culturam, appetitiones et problemata sui temporis. Ipse, enim, in hoc historiae contextu vocatur, ut sit signum vivum Christi Servi eodemque tempore vocatur, ut Ecclesiae officium sumat « signa temporum perscrutandi et sub Evangelii luce interpretandi, ita ut, modo unicuique generationi accommodato, ad perennes hominum interrogationes, de sensu vitae praesentis et futurae deque earum mutua relatione respondere possit ».[143]

CONC. OECUM. VAT. II, **Const,** ***Sacrosanctum Concilium,*** **2.**
Ibid., **Const, dogm.** ***Lumen gentium*** **5.**
Ibid., **Const. past.** ***Gaudium et spes,*** **2b,,**
Ibid., **Const, past.** ***Gaudium et spes,*** **4a,,**

Vocatio ad sanctitatem

Radix sacramentalis

44. « Universalis vocatio ad sanctitatem radicem habet in « baptismate fidei», in quo omnes « vere filii Dei et consortes divinae naturae, ideoque reapse sancti effecti sunt ».[144]

Sacramentum Ordinis diaconis confert novam Deo consecrationem, per quam ipsi « unctione Sancti Spiritus consecrati et a Christo missi »[145] sunt in servitium Populi Dei, «in aedificationem Corporis Christi» ***(Eph*** 4, 12).

Proficiscitur exinde ***spiritualitas diaconalis*** quae fontem suum in ea habet quam Concilium Vaticanum II appellat « gratiam sacramentalem diaconatus ».[146] Praeter quam auxilium pretiosum in variis exequendis muneribus, ipsa alte imprimitur in diaconi animo, eumque impellit ad oblationem et donationem totalem sui ipsius in servitium Regni Dei in Ecclesia.

Sicut in voce ipsa diaconatus significatur, id quod distinguit intimum sensum et voluntatem eius qui recipit sacramentum, est ***spiritus servitii.*** Per diaconatum ad effectum deduci conatur, quod Christus de sua declaravit missione: « Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare suam vitam in redemptionem multorum ».[147] Sic diaconus exercet, in medio " sui ministerii et per aliud, virtutem oboedientiae: cum fideliter munera adimplet quae illi commissa sunt, ipse episcopis et presbyteris inservit in muneribus, quae ad missionem Christi pertinent. Hoc modo pastorale ipsum ministerium exequitur pro hominum bono.

Exigentia quae obligat

45. Exinde oritur necessitas, ut diaconus grato cum animo excipiat invitationem ad sequelam Christi Servi, et attente nitatur se esse ei fidelem in omnibus suae vitae adiunctis. Character in ordinatione receptus configurationem Christo producit cui diaconus adhaerere debet et omni suae vitae tempore efficere, ut crescat.

[144] ***Ibid.,*** **Const. dogm** ***Lumen gentium,*** 40.
[145] ***Ibid.,*** **Decr** ***Presbyterorum Ordinis,*** **12a.**
[146] ***Ibid.,*** **Decr,** ***Ad gentes,*** 16.
[147] IOANNES PAULUS II, **Catechesis in audientia generali habita** (20 **octobris** 1993), **n.** 1: ***Insegnamenti,*** XVI, 2 (1993), **p.** 1053.

Sanctificatio, quae vere obligat quemlibet christifidelem,[148] pro diacono ulterius fundamentum invenit in speciali recepta consecratione.[149] Quoad praxim importat trium consiliorum originis evangelicae, secundum propriae vitae statum. Diaconus ad vivendum sancte vocatur, quia Spiritus Sanctus illum sanctum effecit Baptismatis et Ordinis sacramentis eumque ministrum operis constituit, quo Ecclesia Christi hominem servit et sanctificat.[150]

Peculiari modo, pro diaconis vocatio ad sanctitatem significat « sequelam Iesu in hoc humili servitutis habitu, qui non solum operibus caritatis exprimitur, sed totam agendi et cogitandi rationem invadit et informat »[151] ac proinde, « si eorum ministerium huic spiritui cohaeret, ipsi clariore in luce ostendent illud lineamentum vulti Christi proprium: servitium »,[152] ita ut non solum «servi Dei» habeantur, sed etiam servi Dei in propriis fratribus.[153]

Relatio ordinis sacri

Ordo sua natura relationem dicit

46. Ordo sacer confert diacono, per specifica dona sacramentalia, specialem participationem consecrationis et missionis Illius, qui servus Patri factus est in redemptione hominum, atque novo ac proprio modo eum inserit in mysterium Christi, Ecclesiae et salutis omnium hominum. Hanc ob causam vita spiritualis diaconi debet altius excolere atque enucleare triplicem hanc relationem secundum principia spiritualitatis communitariae, quae protensa est ad communionalem Ecclesiae naturam attestandam.

[148] « Omnes christifideles, secundum propriam condicionem, ad sanctam vitam ducendam atque ad Ecclesiae incrementum eiusque iugem sanctificationem promovendam vires suas conferre debent» *(C.I.C.,* can. 210)..

[149] « Diaconi, qui mysteriis Christi et Ecclesiae servientes, ab omni vitio puros se custodire atque Deo placere et omne bonum coram hominibus providere debent (cf. *1 Tim* 3, 8-10 et 12-13)»: CONC. OECUM. VAT. II, Const.. dogm, *Lumen gentium,* 41. Cf. etiam PAULUS VI, Litt. ap. *Sacrum diaconatus ordinem,* VI, 25: *l.c,* 702.

[150] « In vita sua ducenda ad sanctitatem persequendam peculiari ratione tenentur clerici, quippe qui, Deo in ordinis receptione novo titulo consecrati, dispensatores sint mysteriorum Dei in servitium Eius populi» *(C.I.C.,* can. 276, § 1)

[151] IOANNES PAULUS II, *Catechesis* in audientia generali habita (20 octobris 1993), n. 2: *Insegnamenti,* XVI, 2 (1993), p. 1054.

[152] *Ibid.,* n.. 1: *Insegnamenti,* XVI, 2 (1993), p. 1054..

[153] Cf, CONC. OECUM. VAT. II, Decr. *Apostolicam Actuositatem,* 4, 8; Const. past,, *Gaudium et spes,* 27, 93.

Relatio ad Christum

47. Prima et maxime principalis est relatio ad Christum, qui sibi condicionem servi suscepit ob Patris amorem suorumque fratrum, qui sunt homines.[154] Diaconus vi suae ordinationis, revera vocatus est ut se gerat similem Christo servo. Filius aeternus Dei « semetipsum exinanivit formam servi accipiens » (*Phil* 2, 7) eandemque hanc condicionem implevit oboediendo Patri (cf. *Io* 4, 34) et humiliter serviendo fratribus (cf. *Io* 13, 4-15). Quatenus est servus Patris in opere hominis redimendi, Christus constituit viam veritatem et vitam uniuscuiusque diaconi in Ecclesia.

Omnis ministerialis opera suum habebit sensum, si diaconum adiuvabit ut Christum melius cognoscat, amet et sequatur in ipsius diaconia. Necesse propterea est, ut diaconi studeant conformare suam vitam ad Christi exemplum, qui sua oboedientia erga Patrem « usque ad mortem, mortem autem crucis » (*Phil* 2, 8) homines redemit.

Relatio ad Ecclesiam

48. Ab hac primaria relatione separari omnino non potest Ecclesia,[155] quam Christus amat, purificat, nutrit et curat (cf. *Eph* 5, 25-29). Diaconus non poterit suam conformationem cum Christo fideliter vivere, nisi participat eius amorem Ecclesiae, « erga quam ipse necessario altam devotionem alit, propter ipsius missionem divinamque institutionem ».[156]

Ritus ordinationis illuminat vinculum quod inter Episcopum et diaconum contrahitur: solus Episcopus manus imponit electo ordinando, super quem effusionem evocat Spiritus Sancti. Itaque singuli diaconi acquirunt sui ministerii relationem in hierarchica communione cum Episcopo.[157]

Ordinatio diaconalis, praeterea, alium aspectum ecclesialem in luce ponit: impertit enim ipsi ministro participationem diaconiae Christi, qua Populus Dei ductus a Successore Petri et a ceteris Episcopis cum ipso in communione viventibus atque cooperantibus simul presbyteris, operi deservire pergit ad hominum redemptionem. Ideoque diaconus vocatur, ut animum et ministerium suum nutriat fervido et actuoso amore erga Ecclesiam, necnon sincera voluntate communionis cum Sancto Patre, cum Episcopo suo et cum presbyteris suae dioecesis.

[154] Cf. IOANNES PAULUS II, Allocutio (16 martii 1985), n. 2: *Insegnamenti,* VIII, 1 (1985), p. 649; Adh. ap. *Pastores dabo vobis* 3; 21: *l.c,* 661; 688.

[155] Cf. IOANNES PAULUS II, Adh ap. *Pastores dabo vobis* 16: *l.c,* 681.

[156] IOANNES PAULUS II, *Catechesis* in audientia generali habita (20 octobris 1993), n. 2: *Insegnamenti* XVI, 2 (1993), p. 1055.

[157] Cf. PAULUS VI, Litt. ap. *Sacrum diaconatus ordinem,* V, 23: *l.c,* 702.

Relatio ad salutem hominum in Christo

49. Hoc denique reminiscendum est, quod Christi diaconia suum proprium finem habet hominem, unumquemque hominem,[158] qui suo in animo et corpore gestat vestigia peccati et qui tamen ad communionem cum Deo destinatur. « Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam » ***(Io*** 3, 16). Huius consilii amoris Christus factus est servus, cum nostram carnem sumpsit; huius autem Christi diaconiae Ecclesia est signum et instrumentum in hominum historia.

Ergo diaconus vi sacramenti designatur, ut fratribus, qui salute indigent, deserviat. Et si in Christo Servo, in ipsius verbis et factis, homo discernere potest plenitudinem amoris, quo Pater eum salvat, similiter in vita diaconi ille debet eandem hanc caritatem detegere posse. Praecipuum igitur officium vitae spiritualis diaconi hoc erit, ut crescat in imitatione amoris Christi erga hominem, qui quidem amor omnes cuiuslibet ideologiae humanae terminos excedit.

In iis proinde, qui in tirocinium diaconatus admitti cupiunt, oportet adesse « naturalem animi inclinationem ad hierarchiae et christianae communitatis servitium »,[159] quae non est intelligenda « tamquam simplex naturalium affectionum facilitas... Etenim agitur de aliqua naturae proclivitate, a gratia stimulata, addito serviendi studio, qui humanos mores cum Christi moribus conformat. Sacramentum diaconatus hanc inclinationem perficit: reddit namque diaconum multo interius participem spiritus servitii Christi, eius animum speciali gratia imbuit, atque efficit ut diaconus in omni suo actu permoveatur nova impulsione ad serviendum fratribus ».[160]

Spiritualis vitae instrumenta

Primatus vitae spiritualis

50. Memoratae relationes primatum efferunt vitae spiritualis. Diaconus ideo recordari debet, exsecutionem diaconiae Domini omnem superare naturae facultatem, indeque oportere plena cum conscientia et libertate obsequi Iesu Christo admonenti: « Manete in me, et ego in vobis. Sicut palmes non

[158] **Cf.** IOANNES PAULUS II, **Litt. enc.** ***Redemptor hominis*** **(4 martii 1979), nn. 13-17:** ***AAS*** **71 (1979), pp. 282-300.**

[159] PAULUS VI, **Litt. ap.** ***Sacrum diaconatus ordinem,*** II, **8:** ***l.c,*** **700.**

[160] IOANNES PAULUS II, ***Catechesis*** **in audientia generali habita (20 octobris 1993), n. 2:** ***Insegnamenti,*** XVI, **2 (1993), p. 1054.**

potest ferre fructum a semetipsa, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis » *(Io* 15, 4).

Christi sequela in diaconatus ministerio est opus quod sane animum rapit, sed etiam arduum, satisfactionum fructuumque plena, sed etiam obnoxia interdum difficultatibus et laboribus verorum asseclarum Domini Iesu Christi. Ad hanc sequelam implendam necesse est diaconus cum Christo ipso consistat, ut sit illi Ipse qui ministerii responsabilitatem gerat; itemque oportet ut is principatum tribuat spirituali vitae, cum generositate diaconiam vivat, ministerium et munera sua familiaria, si quidem uxoratus est, aut professionalia ita disponat et ordinet, ut progredi possit in adhaesione ad personam et missionem Christi Servi.

Ministerium

51. Fons primarius progressus in vita spirituali sine dubio ponendus est in adimpletione fideli et indefessa ministerii, quod persolvendum est intra quemdam contextum unitatis vitae, meditatum et semper persequendum.[161]

Haec agendi ratio, debito modo effecta, non tantum spiritualem vitam minime impedit, verum contra théologales fovet virtutes, dum auget in diacono studium sese donandi in fratrum servitium et promovet hierarchicam communionem. Ad diaconum enim etiam spectat congruenter accommodata monitio ad presbyteros directa: « Per ipsas enim cotidianas sacras actiones, sicut et per integrum suum ministerium... ipsi ad vitae perfectionem ordinantur. Ipsa autem sanctitas... ad proprium ministerium fructuose complendum plurimum confert ».[162]

Spiritualitas ministerii verbi

52. Diaconus semper prae oculis habeat adhortationem in ipso ordinationis ritu factam: « Accipe Evangelium Christi, cuius praeco effectus es; et vide, ut quod legeris credas, quod credideris doceas, quod docueris imiteris ».[163]

Ut vero Verbum Dei digne fructuoseque diaconus annuntiet, illum « assidua lectione sacra atque exquisito studio in Scripturis haerere necesse est, "ne quis... fiat verbi Dei inanis forinsecus praedicator, qui non est intus au-

[161] Cf CONC. OECUM. VAT. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis,* nn. 14-15; *CIC.,* can. 276, § 2, I°.

[162] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis,* n. 12.

[163] *Pontifice Romanum — De ordinatione Episcopi, presbyterorum et diaconorum,* n. 210: *ed. cit,,* p. 125.

ditor",[164] dum Verbi divini amplissimas divitias, speciatim in sacra Liturgia, cum fidelibus sibi commissis communicare debet ».[165]

Idem hoc verbum praeterea altius scrutari debebit, iis ducentibus qui in Ecclesia vere sunt Magistri veritatis divinae et catholicae,[166] ut eius invitatio et vis salvifica percipiatur (cf. ***Rom*** 1, 16). Sanctitas diaconi innititur in ipsius consecratione et missione, etiam quod attinet ad Verbum: inde quidem conscius sibi fiet se esse ministrum Verbi. Quoniam membrum hierarchiae est, eius actiones et enunciationes obstringunt ipsam Ecclesiam; quapropter necessaria pars est ipsius caritatis pastoralis, ut comprobet authenticitatem propriae doctrinae propriamque communionem effectivam et claram cum Summo Pontifice, cum episcopali ordine et cum proprio Episcopo non solum in iis quae symbolum fidei respiciunt, verum etiam quae Magisterium ordinarium necnon ecclesiasticam disciplinam tangunt, secundum significationem Professionis Fidei, diaconali ordinationi praeviae, et secundum iuramentum fidelitatis.[167] Etenim «tanta verbo Dei vis ac virtus inest, ut Ecclesiae sustentaculum ac vigor, et Ecclesiae filiis fidei robur, animae cibus, vitae spiritualis fons purus et perennis exstet ».[168] Quanto igitur diaconus saepius accesserit ad Dei verbum, tanto vehementius desiderium experietur communicandi illud cum fratribus. In Sacris Litteris est Deus qui alloquitur hominem;[169] sua autem in praedicatione minister sacer hunc fovet salutiferum occursum. Attentissime idcirco suas dedicabit curas indefessae verbi praedicationi, ne christifideles propter ipsius ministri ignorantiam vel prigritiam ea priventur; sibi pariter persuadebit exercitium ministerii Verbi, non sola praedicatione circumscribi.

Spiritualitas ministerii liturgici

53. Pariter diaconus, cum baptizat, cum Corpus et Sanguinem Domini distribuit, aut cum reliquorum Sacramentorum et sacramentalium celebrationibus assistit, suam identitatem in vita Ecclesiae experiendo dignoscit: minister est Corporis Christi, corporis mystici et corporis ecclesialis; reminiscatur has Ecclesiae actiones, si ex fide peragantur et cum reverentia, con-

[164] S. AUGUSTINUS, ***Serm.*** 179, 1: ***PL*** 38, 966.

[165] CONC. OECUM. VAT. II, **Const. dogm.** ***Dei Verbum,*** 25; **cf.** PAULUS VI, **Litt. ap.** ***Sacrum diaconatus ordinem,*** VI, 26, 1: ***l.c,*** 703; ***C.I.C.,*** **can.** 276, § 2, 2°, I°.

[166] CONC. OECUM. VAT. II, **Const. dogm.** ***Lumen gentium,*** 25, **a.**

[167] **Cf** ***C.I.C.,*** **can.** 833; CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, **Professio fidei et iusiurandum fidelitatis in suscipiendo officio nomine Ecclesiae exercendo:** ***AAS*** 81 (1989), **pp.** 104-106; 1169.

[168] CONC. OECUM. VAT. II, **Const., dogm.** ***Dei Verbum,*** 21.,

[169] **Cf.** ***ibid.,*** **Const.** ***Sacrosanctum Concilium,*** 7

ferre ad suam spiritualem vitam incrementis augendam simulque ad christianae communitatis aedificationem.[170]

Sacramenta

54. Diaconi tribuant sacramentis gratiae debitum momentum in sua vita spirituali, quae nempe « ordinantur ad sanctificationem hominum, ad aedificationem Corporis Christi, ad cultum denique Deo reddendum ».[171]

In primis vero fide singulari participent quotidianam Sacrificii Eucharistici celebrationem,[172] ubi, si fieri potest, suo fungantur munere liturgico, ac sedulo etiam Dominum in sacramento praesentem venerentur,[173] quandoquidem in Eucharistia, fonte et culmine totius evangelizationis « totum bonum spirituale Ecclesiae continetur ».[174] In Eucharistia diaconi reapse Christo obvii fient, qui ex hominum amore hostia redditur expiationis vitae aeternae cibus et amicus proximus in cunctis doloribus.

Ipsi conscii sibi suae debilitatis et plane confisi divinae misericordiae ad reconciliationis sacramentum regulari frequentia se conferant,[175] ubi homo peccator Christo redemptori obvius fit, veniam peccatorum recipit atque impellitur ad plenitudinem caritatis.

Spiritualitas ministerii caritatis *

55. Exercens tandem caritatis opera, sibi ab Episcopo commissa, diaconus sinat se erga omnes homines Christi amore dirigi, et non propriis commodis vel ideologiae principiis, quibus laeditur universalitas salutis aut vocatio trascendentalis hominis denegatur. Insuper diaconus meminerit ministerium caritatis perducere ad communionem in particulari Ecclesia provehendam. Nam anima ecclesialis communionis est ipsa caritas. Foveat igitur studiose fraternitatem, cooperationem cum presbyteris et sinceram cum Episcopo communionem.

Vita orationis

56. Diaconi omnibus in adiunctis meminerint fideles persistere Domini praecepto: « Vigilate itaque omni tempore orantes, ut possitis fugere ista

[170] **Cf.** ***ibid.***

[171] ***Ibid,,*** **Const.** ***Sacrosanctum Concilium,*** **59, a.**

[172] **Cf.** ***C.I.C,*** **can. 276, § 2, 2°;** PAULUS VI, **Litt. ap.** ***Sacrum diaconatus ordinem,*** VI, **26, 2:** ***l.c,*** **703.**

[173] **Cf.** PAULUS VI, **Litt. ap.** ***Sacrum diaconatus ordinem,*** VI, **26, 2:** ***l.c,*** **703.**

[174] CONC. OECUM. VAT. II, **Decr.** ***Presbyterorum Ordinis,*** **5b.**

[175] **Cf.** ***C.I.C.,*** **can. 276, § 2, 5°; cf.** PAULUS VI, **Litt. ap.** ***Sacrum diaconatus ordinem,*** VI, **26, 3:** ***l.c,*** **703.**

omnia, quae futura sunt et stare ante Filium hominis» (*Lc* 21, 26; cf. *Phil* 4,6-7).

Precatio, prout dialogus personalis cum Deo, diaconis conferet lucem et vires necessarias ad sequelam Christi et servitium fratribus in variis vicissitudinibus vitae. Hac certitudine confirmati, diaconi contendant ut diversis precationum formis se sinant conformari; celebratio Liturgiae Horarum, secundum modos ab Episcoporum conferentia definitos,[176] peculiari nota totam eorum orandi consuetudinem designat; tamquam ministri, pro universa Ecclesia, intercedant. Continuatur exinde talis precatio in *Lectione Divina,* in mentali oratione assidua, in frequentatione exercitiorum spiritualium secundum normas iuris particularis.[177]

Percolant aequabiliter paenitentiae virtutem aliasque sanctificationis vias, quae ad uniuscuiusque occursum cum Deo plurimum conferunt.[178]

Amor in Ecclesiam et in Beatam Virginem Mariam

57. Participatio mysterii Christi Servi necessario ordinat animum diaconi ad Ecclesiam atque ad Illam, quae ipsius sanctissima est Mater. Non enim separare licet Christum ab Ecclesia, quae est eius Corpus. Veritas unionis cum Capite verum incendet amorem in Corpus. Hic enim amor efficiet ut diaconus actuose adlaboret Ecclesiae aedificandae per deditionem suis officiis ministerialibus, per fraternitatem et communionem hierarchicam cum proprio Episcopo et Presbyterio. Universa Ecclesia in animo diaconi vivere debet: Ecclesia universalis, cuius unitatis Romanus Ponifex, qua Petri successor, est principium et fundamentum perpetuum et visibile,[179] et simul Ecclesia particularis, quae « pastori suo adhaerens ab eoque per Evangelium et Eucharistiam in Spiritu Sancto congregata[180] reddit vere praesentem et operantem Ecclesiam Christi unam, sanctam, catholicam et apostolicam ».

Amor erga Christum et Ecclesiam penitus ligatur cum Beata Virgine, humili Domini famula, quae cum singulari et admirando titulo Matris, fuit generosa socia sui divini Filii diaconiae (cf. *Io* 19, 25ss).

Amor autem in Domini Matrem, qui in fide fundatur et exprimitur cotidiana rosarii recitatione necnon ipsius virtutum imitatione fidentique illi

[176] Cf. *C.I.C.,* can. 276 § 2, 3°.
[177] Cf. *ibid.,* can. 276 § 2, 4°
[178] Cf. *ibid.,* can. 276, § 2, 5°.
[179] Cf. CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 23, a.
[180] *Ibid.,* Decr. *Christus Dominus,* 11; *C.I.C.,* can. 369.

commendatione, sensum et significationem addet signis verae filialisque devotionis.[181]

Mariam respiciet venerabundus valdeque amans quisque diaconus; namque « Maria quoque et virgo et mater, magis quam ceterae, inter creaturas, plenissimam vocationis veritatem experta est; nemo enim ut illa amori summo Dei responsum dedit cum tam grandi amore ».[182] Hic amor singularis erga Virginem, Domini servam, ex Verbo natus et in Verbo totaliter stabilitus, transibit in imitationem suae vitae. Hic modus erit, quo in Ecclesiam inducetur illa dimensio mariana, quae admodum congruit cum vocatione diaconi.[183]

Directio spiritualis

58. Maximam demum utilitatem diacono afferet constans directio spiritualis. Ex ipsa experientia constat quantum sincerus atque humilis dialogus cum sapienti directore non solum adiuvet ad dubitationes difficultatesque dissipandas, quae progrediente vita certissime oriuntur, sed ad necessariam quoque discretionem adhibendam, ad meliorem sui ipsius cognitionem assequendam, atque ad progrediendum in fideli Christi sequela.

Spiritualitas diaconi et status vitae

In diversitate unitas

59. Aliter ac pro presbyteratu requiritur, ad diaconatum permanentem admitti praeprimis possunt viri caelibes, sed etiam viri viventes in matrimonii sacramento, necnon viri vidui.[184]

Diaconi caelibes

60. Gratissimo sane animo Ecclesia agnoscit mirabile caelibatus donum quibusdam suis membris a Deo concessum, quod tam in Orientali parte quam in Occidentali multiplici modo cum ministerio ordinato coniunxit, cui

[181] Cf. *C.I.C.,* can. 276, § 2, n. 5; cf. PAULUS VI, Litt. ap. *Sacrum diaconatus ordinem,* VI, 26, 4: *l.c,* 703,

[182] IOANNES PAULUS II, Adh. ap. *Pastores dabo vobis,* 36, et *Propositio* 5: *l.c,* 718.

[183] Cf. IOANNES PAULUS II, Allocutio ad Curiam Romanam, (die 22 dec. 1987): *AAS* 80 (1988), pp. 1025-1034; Litt. ap. *Mulieris dignitatem,* 27: *AAS* 80 (1988), p. 1718.

[184] CONC. OECUM. VAT. II, Const.. dogm. *Lumen gentium,* 29, b.

insigniter semper congruit.[185] Novit enim Ecclesia hoc charisma, susceptum et propter regnum caelorum impletum ***(Mt*** 19, 12), totam dirigere personam diaconi ad Christum, qui in virginitatis statu semetipsum Patris servituti dicavit, ut homines ad regni plenitudinem perduceret. Diligere Deum fratribusque servire secundum hanc totalem electionem nedum progressioni et perfectioni personarum diaconorum obsistat, eam maxime fovet, quoniam vera cuiusque hominis perfectio est caritas. In caelibatu enim sese distinguit amor veluti signum consecrationis totalis Christo factae, corde indiviso ac deditione magis libera ad Dei hominumque ministerium,[186] ideo quod caelibatus electio haud quaquam significat contemptionem matrimonii neque fugam mundi, sed ex contrario modum eximium hominibus et societati inserviendi.

Nostrae aetatis homines, totiens in res transeuntes immersi, peculiariter aperti sunt erga eorum testificationem qui vita sua aeternum aevum nuntiant. Ideo diaconi non omittent hoc testimonium fratribus reddere per fidelitatem erga suum caelibatum, ita ut illos incitent ad ea bona quaerenda, quae manifestant hominis vocationem ad res transcendentes. « Caelibatus propter Regnum caelorum non signum dumtaxat eschatologicum est, verum prae se fert quoque non leve momentum sociale in hac vita praesenti propter servitium Populo Dei exhibendum ».[187]

Quo melius per totam vitam custodiant donum a Deo receptum in universae Ecclesiae utilitatem, diaconi ne nimium confidant suis viribus, sed sensus potius colere debent humilis prudentiae et vigilantiae, memoria illud tenentes: «spiritus quidem promptus est, caro autem infirma» ***(Mt*** 26, 41); sint fideles item vitae orationis necnon ministerii officiis.

Prudenter sese gerant quoque suo in cotidiano consortio cum iis, a quorum familiaritate quibus eorum castimonia in discrimen adduci poterit vel publicum scandalum suscitari.[188]

Diaconi sibi conscii erunt hodiernam societatem pluralismo patentem omnino imperare cautionem et discretionem in usu instrumentorum communicationis socialis.

[185] **«His rationibus in mysteriis Christi Eiusque missione fundatis, coelibatus... omnibus ad Ordinem sacrum promovendis lege impositum est»:** CONC. OECUM. VAT. II, **Decr. *Presbyterorum Ordinis,*** 16; **cf. *C.I.C,* can** 247, § 1; 277, § 1; 1037.

[186] **Cf, *C.I.C.,* can.** 277, § 1; CONC. OECUM. VAT. II, **Decr. *Optatam totius,*** 10.

[187] IOANNES PAULUS II, **Epistula *Novo incipiente* ad universos Ecclesiae sacerdotes** (8 **aprilis** 1979), 8: ***AAS*** 71 (1979), **p.** 408.

[188] **Cf. *C.I.C.,* can,** 277, § **2.**

Diaconi uxorati

61. Etiam sacramentum matrimonii, qui amorem coniugum sanctificat eumque constituit signum efficax illius amoris quo se Christus devovet Ecclesiae (cf. ***Eph*** 5, 25) Dei donum est ideoque spiritualem vitam diaconi matrimonio coniuncti alere debet. Quoniam vero coniugalis ac familiaris vita necnon opus ipsius professionis circumscribunt necessario tempus sacro ministerio dicandum, peculiaris sollertia poscitur, ut consequi possit debita vitae unitas per orationem quoque communem. In matrimonio enim amor fit donatio inter personas, fit fidelitas mutua et vitae novae origo, in laetis et in maestis eventibus sustentatio, breviter, amor fit servitium. Sub fidei lumine spectatum, hoc ***servitium*** familiare aliis christifidelibus apparet tamquam exemplar amoris Christi et diaconus uxoratus illo uti debet etiam tamquam incitamento suae diaconiae in Ecclesia.

Diaconus uxoratus peculiari se teneri officio sentiat claram reddendi testificationem sanctitatis matrimonii et familiae. Quo magis enim coniuges mutuo in amore creverint, eo amplior fiet eorum donatio filiis facta, eoque pariter erit efficacius eorum exemplum apud christianam communitatem. « Amplificatio et altior perspectio amoris sacrificalis et reciproci inter virum et uxorem fortasse maximam implicationem significat uxoris illius diaconi in publicum ministerium proprii mariti intra Ecclesiam ».[189] Hic amor crescit propter virtutem castimoniae, quae quidem semper floret etiam per exercitium paternitatis responsabilis, una cum acquisita coniugis aestimatione et cuiusdam continentiae consuetudine. Talis virtus adiuvat maturam hanc donationem, quae cito manifestatur in ministerio, effugiendo affectus res possidendi, nimiam existimationem proprii successus in navitate professionali, minorem capacitatem ordinandi diei tempora, e contrario excolendo veras inter personas relationes, animi lenitatem et capacitatem tribuendi omnibus rebus aequum suum locum.

Opportuna incepta ineantur quibus in tota familia sensus ministerii diaconalis augeatur. Coniux diaconi, quae assensum dedit electioni viri sui,[190] adiuvetur et sustentetur, ut laeto et cauto animo partes suas expleat et magni omne aestimet quod Ecclesiam tangit et praesertim officia marito concredita. Hac de causa decet eam de viri activitate certiorem fieri, quavis tamen iniusta invasione remota, ita quidem ut componatur et perficiatur aequabilis et consona relatio inter vitam familiarem, professionalem et ec-

[189] IOANNES PAULUS II, **Allocutio ad Diaconos permanentes** (19 **septembris** 1987), **n.** 5: ***Insegnamenti,*** **X,** 3 (1987), **p.** 658.

[190] **Cf.** *CIC,* **can** 1031, § 2.

clesialém. Filii quoque diaconorum, si adequate preparentur, recte aestimare poterunt ministerium patris seseque ipsos peculiari cura apostolatui dedicare in cohaerenti vitae testimonio.

Postremo, familia diaconi uxorati, quemadmodum ceterae familiae christianae, vocatur ut vivo ac responsabili modo missionem Ecclesiae participet in hodiernis circumstantiis. « Diaconus eiusque uxor fidelitatis et indissolubilitatis matrimonii christiani coram societate exemplum oportet sint, quae horum signorum alte percipit necessitatem. Cum fide animati provocationibus vitae matrimonialis atque cotidianae vitae necessitatibus respondentes, ipsi vitam familiarem non solum communitatis christianae verum et universae societatis corroborant. Ipsi quoque demonstrant quomodo officia familiae, laboris et ministerii concordari possint cum servitio misionis Ecclesiae. Diaconi eorumque uxores et filii magno hortamento esse possunt iis omnibus, qui vitae familiari promovendae se devovent ».[191]

Diaconi vidui

62. Cogitandum est de illa vitae condicione, quae alterutrius coniugis obitu inducitur. Haec hora vitae est, quae poscit ut in fide et spe christiana transigatur. Viduitas delere minime debet filiorum deditionem, si ii omnino sint, neque quemquam in tristitiam adducere sine spe. Hoc vitae spatium, quantumvis acerbum, securam affert invitationem ad interiorem purificationem atque incitamentum ad caritatis et servitutis augmentum pro suis cuiusque familiaribus ac membris Ecclesiae universae. Est etiam vocatio ad spem augendam, quia fidelis ministerii executio est via qua ad Christum perveniatur et ad dilectas personas, quae in gloria Patris versantur. Agnosci tamen oportet hoc mortis eventum in cotidianam familiae vitam inducere novum aliquem statum, qui vincula inter familiae sodales afficit et saepe numero difficultates oeconomicas importat. Hanc ob causam diaconus, qui viduus factus est, magno sane amore sustinendus erit, ut percipiat et in se recipiat novam hanc suam ipsius condicionem, neve officium proprios, si qui sint, filios educandi neglegat et novas necessitates familiae.

Peculiari modo viduus diaconus adiuvari debebit in obligatione implenda perpetuae et perfectae castitatis,[192] atque sustentari similiter debebit in gravibus illis rationibus intelligendis, quae transitum prohibent ad novas nuptias (cf. ***1 Tim*** 3, 12), iuxta constantem disciplinam Ecclesiae tam Occi-

[191] IOANNES PAULUS II, **Allocutio ad Diaconos permanentes (19 septembris 1987), n. 5:** ***Insegnamenti,*** **X, 3 (1987), pp. 658-659.**

[192] **Cf.** ***C.I.C,*** **can. 277, § 1.**

dentis quam Orientis.[193] Quod quidem fieri poterit per auctam deditionem in ministerio erga alios homines propter amorem Dei. His in casibus magnopere diaconos consolabitur fraternum reliquorum ministrorum christifideliumque adiutorium necnon proxima Episcopi praesentia.

Si vero uxor diaconi evaserit vidua, secundum rerum opportunitates, numquam a ceteris ministris et christifidelibus derelinquatur sola in suae vitae necessitatibus.

4

DE PERMANENTI DIACONI FORMATIONE

Notae propriae

63. Permanens diaconi formatio est exigentia humana quae in continuitate explicatur cum vocatione supernaturali ad inserviendum ministerialiter Ecclesiae, et primam formationem ad ministerium et quidem ita ut duo haec temporis spatia consideranda sint tamquam pertinentia ad unum organicum vitae christianae et diaconalis itinerarium.[194] Namque « qui recipit diaconatum officio tenetur doctrinalis formationis permanentis, qua perficiatur atque novis argumentis amplificetur illa quae ante ordinationem praescripta est »,[195] ita ut vocatio ***ad*** diaconatum pergat exprimi tamquam vocatio ***in*** diaconatu, per periodicam renovationem formulae « sic volo » die ordinationis pronuntiatae. Debet igitur haberi — sive ex parte Ecclesiae, quae eam impertit, sive ex parte diaconorum, qui eandem recipiunt — tamquam mutuum ius et officium, innixum in veritate obligationis vocationalis assumptae.

Necessitas adequatae formationis integralis continuatim offerendae et recipiendae pro episcopis et diaconis officium haud neglegendum constituit.

Requisita specifica huius formationis permanentis characterem obligationis, totalitatis, interdisciplinarietatis, profunditatis, serietatis scientificae et indolis propedeuticae ad vitam apostolicam prae se ferentia, in ecclesiasticis

[193] Cf PAULUS VI, Litt. ap. *Sacrum diaconatus ordinem,* III, 16: *l.c,* 701; Litt. ap. *Ad pascendum,* VI: *l.c,* 539; *C.I.C.,* can. 1087. Fortuitae exceptiones circumscribuntur Litteris circularibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum ad Ordinarios Dioecesanos et Superiores Generales Institutorum vitae consecratae et Societatum vitae apostolicae, N. 263/97, 6 iunii 1997, n. 8.

[194] IOANNES PAULUS II, Adh. ap. *Pastores dabo vobis,* n. 42.

[195] IOANNES PAULUS II, *Catechesis* in audientia generali habita 20 octobris 1993, n. 4: *Insegnamenti,* XVI, 2 (1993), p. 1056.

normis constanter inculcantur[196] atque eo magis necessaria habentur, si prima praeparatio non secundum rationem ordinariam est impertita.

Quae formatio notas assumit « fidelitatis » erga Christum et Ecclesiam necnon « conversionis continuae », quae est fructus gratiae sacramentalis operantis in dynamismo caritatis pastoralis, quae omnes ministerii ordinati aspectus informat. Ipsa se exprimit tamquam optio fundamentalis, quae postulat ut se iterate affirmet atque exprimat labentibus diaconatus permanentis annis per longam seriem responsionum cohaerentium, radicem et vim suam in illo primo « ita » habentium.[197]

Rationes

Coniunctio cum ministerio

64. Formatio permanens, indolem suam deducens ex prece ritus ordinationis, innititur in necessitate, quam diaconus habet, fovendi amorem Iesu Christi qui ad imitationem urget («Filium tuum... imitantes in terris»); tendit ad eum confirmandum in immota fidelitate erga ministerium (« opus ministerii fideliter exsequendi »); proponit sequelam Christi Servi cum radicalitate et fiducia (« Abundet in eis evangelicae forma virtutis, dilectio sine simulatione, sollicitudo... observantia... »).

Formatio igitur permanens « suum primum fundamentum suamque genuinam causam in dynamismo sacramenti recepti invenit »[198] atque suum primordialem alimentum trahit ex Eucharistia, mysterii christiani compendio, fonte inexhauribili omnis energiae spiritualis. Etiam ad diaconum quodammodo applicari potest apostoli Pauli exhortatio ad Timotheum: « Resuscita donationem Dei, quae est in te » (2 ***Tim*** 2, 6; cf. 1 ***Tim*** 4, 14-16). Exigentiae theologicae suae vocationis ad singularem missionem servitii ecclesialis, a diacono postulant augescentem amorem erga Ecclesiam et erga suos fratres, qui in fideli adimpletione propriorum munerum et officiorum manifestatur. A Deo electus ut sit sanctus, ministerialiter inserviendo Ecclesiae et omnibus hominibus, diaconus magis magisque conscius esse debet sui ministerii modo continuo, aequabili, responsabili, sollicito ac semper laetitiae pleno.

[196] **Cf.** PAULUS VI, **Litt. ap.** ***Sacrum diaconatus ordinem,*** II, **8-10;** III, **14-15:** ***l.c,*** **699-701; Litt. ap.** ***Ad pascendum,*** VII: ***lc,*** **540;** ***C.I.C.,*** **can.. 236; 1027; 1032, § 3.**

[197] **Cf.** IOANNES PAULUS II, **Adh. ap.** ***Pastores dabo vobis,*** **70:** ***l.c,*** **780.**

[198] ***Ibid.,*** **70:** ***lc,*** **779.**

Actores

Diaconi

65. Ex parte diaconi, qui primus responsabilis et auctor est, formatio permanens indicat, igitur ante omnia, iugem conversionis processum, qui afficit diaconum uti talem, hoc est totam ipsius personam consecratam per Ordinis sacramentum et traditam in servitium Ecclesiae: qui processus omnes eius facultates evolvit, ita ut ei vivere permittat dona ministerialia recepta, omni tempore et condicione vitae, et in diversis muneribus, quae ei Episcopus commiserit.[199]

Sollicitudo Ecclesiae pro diaconorum formatione permanenti igitur inefficax esset sine ipsorum assidua cura. Talis formatio proinde reduci non potest ad solam cursuum frequentationem, ad dies studiorum participandas etc., sed postulat ut unusquisque diaconus, huius necessitatis plane conscius, eam excolat cum diligentia et quadam actuosa sollertia. Diaconus curet lectionem librorum, quos iuxta iudicium ecclesialem elegerit, nec prosequi omittat aliqua commentaria periodica, quae explorata fidelitate erga magisterium praestant, atque non negleget cotidianam meditationem. Curare magis magisque propriam formationem, ut inservire melius usque possit, est pars magni momenti ministerii quae a diacono requiritur.

Educatores

66. Ex parte Episcopi,[200] et presbyterorum, ordinis episcopalis cooperatorum, qui responsabilitatem et onus pro formatione permanenti ad effectum deducenda sustinent, eadem consistit in auxilio praestito diaconis non solum ad superandam quamlibet dualitatem vel fractionem inter spiritualitatem et ministerialitatem, sed etiam antea ad quamlibet superandam fractionem inter propriam, si quae sit, professionem civilem et spiritualitatem diaconalem « ut magno animo obligationi respondeant, quam dignitas et responsabilitas imponunt a Deo illis additae per Ordinis sacramentum; ut custodiant, defendant, perficiant propriam suam identitatem ac vocationem; ut seipsos aliosque per ministerii exercitationem sanctificent ».[201] Hae duae rationes inter se complent mutuoque sese revocant quatenus innituntur, cum donorum supernaturalium auxilio, in interiore personae unitate.

[199] *Ibid.,* 76; 79: *l.c,* 793; 796.

[200] Cf. CONC. OECUM. VAT. II, Decr. *Christus Dominus,* 15; IOANNES PAULUS II, Adh. ap. *Pastores dabo vobis,* 79: *l.c,* 797.

[201] CONGREGATIO PRO CLERICIS, **Directorium pro presbyterorum ministerio et vita** ***Tota Ecclesia*** (31 ianuarii 1994), n. 71: *ed. cit,,* p. 73.

Auxilium quod praebere educatores tenentur, tanto efficacius erit quanto melius respondet necessitatibus personalibus uniuscumque diaconi, quia singuli peragunt proprium ministerium in Ecclesia, uti personae irrepetibiles et in suis rerum adiunctis constitutae.

Tale auxilium personaliter praestitum efficiet etiam, ut diaconi amorem persentiant, quo mater Ecclesia eos prosequitur in ipsorum studio ut gratiae sacramenti fideliter respondeant. Maximi momenti igitur est, ut diaconi facultatem habeant moderatorem spiritualem sibi eligendi, ab Episcopo approbatum, quocum periodica et frequentia colloquia ineant.

Praeterea tota dioecesana communitas in diaconorum formatione quadamtenus implicatur,[202] ac praesertim parochus vel alius presbyter ad hoc opus destinatus, qui quoddam adiumentum suum fraterna cum vigilantia praebebit.

Nota propria formationis

Formatio permanens pro ministerio

67. Cura et personale studium in formatione permanenti sunt haud aequivoca signa responsionis cohaerentis divinae vocationi, amoris sinceri erga Ecclesiam, et sollicitudinis pastoralis genuinae erga christianos christifideles et homines universos. Extendi possunt ad diaconos, ea quae de presbyteris affirmantur: «Formatio perennis est hodie via... necessaria ad finem consequendum suae vocationis, quae servitium est Deo praestitum eiusque Populo».[203]

Formatio permanens est vera exigentia, quae innititur in continua coniunctione cum prima formatione, cuius fines et significationem participat, et cuius respectu, munus exercet eandem complendi, custodiendi et altius excolendi.

Prompta voluntas quam diaconus erga alios habere debet, practicam repraesentat configurationem sacramentalem cum Christo servo, per Ordinem sacrum receptam et in animam ope characteris impressam: est meta et permanens monitus pro ministerio et vita diaconorum. Quae cum ita sint, formatio permanens nequit redigi ad simplicem negotium complendi culturam vel praxim, ut maiora et meliora peragantur. Neque spectare debet formatio permanens tantum ad accommodationem ad hodierna tempora tuto assequendam, sed etiam dirigenda est ad facilius reddendam progredientem practicam conformationem totius vitae diaconi cum Christo, qui omnes amat omnibusque inservit.

[202] Cf. IOANNES PAULUS II, Adh. ap. *Pastores dabo vobis,* 78: *l.c,* 795.

[203] CONGREGATIO PRO CLERICIS, Directorium pro presbyterorum ministerio et vita *Tota Ecclesia,* n. 71: *ed. cit.,* p. 72.

Ambitus

Formatio plena

68. Formatio permanens complecti et inter se componere debet omnes vitae et ministeriii adspectus. Ea igitur, sicut formatio presbyterorum, debet esse plena, bene ordinata et personali diaconorum indoli accommodata in suis diversis aspectibus: scilicet humano, spirituali, intellectuali et pastorali.[204]

Formatio humana

69. Curare diversos adspectus formationis humanae diaconorum constituit hodie, sicut praeteritis temporibus, officium magni momenti Pastorum. Diaconus, cum sciat se electum esse hominem inter homines, ut omnium hominum saluti inserviat, paratus esse debet ad acceptandum auxilium in nisibus ad suas qualitates humanas perficiendas — quae pretiosa sunt instrumenta pro servitio ecclesiali — et ad excolendos eos omnes sui ipsius adspectus, qui suum ministerium efficacius reddere possunt.

Quo utilius ergo efficiat suam ad sanctitatem vocationem suamque peculiarem missionem ecclesialem, ipse — oculis conversis ad Eum, qui est perfectus Deus et perfectus Homo — attendere debet ante omnia ad exercitium virtutum naturalium et supernaturalium, quae reddent eum similiorem Christi imagini et existimatione digniorem apud suos fratres.[205] Peculiari modo curare debet, in suo ministerio et in vita sua quotidiana animi bonitatem, patientiam, amabilitatem, animi firmitatem, amorem iustitiae, fidem verbo datam, alacritatem sui offerendi, etc.

Exercitium harum virtutum diaconis auxilium praebebunt, ut viri aequabiles fiant atque in agendo et in eventibus rerumque adiunctis aestimandis maturi.

Praeterea magni momenti est, ut diaconus, aspectus exemplaris suae rationis agendi socialis sibi conscius, recogitet de momento, quod capacitas dialogi, honestas in variis formis relationum humanarum, facultas discernendi diversas culturas, donum amicitiae et urbanitas conversationis habent.[206]

[204] Cf. IOANNES PAULUS **II, Adh. ap.** ***Pastores dabo vobis,*** **71:** ***l.c,*** **783;** CONGREGATIO PRO CLERICIS, **Directorium pro presbyterorum ministerio et vita** ***Tota Ecclesia,*** **n. 74:** ***ed. cit.,*** **p. 75.**

[205] Cf. S. IGNATII ANTIOCHENI: **« Oportet autem et diaconos, qui sunt ministri mysteriorum Iesu Christi, omni modo omnibus placere. Non enim ciborum et potuum diaconi sunt, sed Ecclesiae Dei ministri ».** ***(Epist, ad Trallianos,*** **2, 3: F. X. Funk,** ***o.c,*** **I, pp. 244-245).**

[206] Cf. IOANNES PAULUS **II, Adh. ap.** ***Pastores dabo vobis*** **72:** ***l.c,*** **783;** CONGREGATIO PRO CLERICIS, **Directorium pro presbyterorum ministerio et vita** ***Tota Ecclesia,*** **n. 75:** ***ed. cit.,*** **pp.. 75-76.**

Formatio spiritualis

70. Formatio spiritualis permanens proxime coniungitur cum spiritualitate diaconali, quam diaconus debet alere ac provehere, atque cum ipso ministerio « unde omnino personaliter Iesus conveniatur, fidens cum Patre colloquium instituatur, Spiritus alta experientia agatur ».[207] Diaconi igitur peculiariter incitari et sustineri debebunt a Pastoribus ad suam vitam spiritualem responsabiliter excolendam, e qua abunde proficiscitur caritas, quae ipsorum ministerium sustentat et frugiferum reddit, atque periculum avertit incidendi in activismum aut in habitudinem mentis « burocraticae » in diaconatus exercitio.

Peculiari modo formatio spiritualis in diaconis evolvere debebit agendi modos, qui cum triplici diaconia verbi, liturgiae et caritatis colligantur.

Assidua Sacrae Scripturae meditatio perficiet familiaritatem et dialogum adorantem cum Deo vivente, et hoc modo efficiet ut totum Verbum revelatum in vitam melius convertatur.

Profunda cognitio Traditionis librorumque liturgicorum diaconum adiuvabit ad iugiter detegendas inexhaustas divitias mysteriorum divinorum, ut digni administri efficiantur. Sollicitudo fraterna in caritate efficit, ut diaconus animator et coordinator evadat operum misericordiae spiritualis et corporalis, quasi signum vivens caritatis Ecclesiae.

Haec omnia requirunt accuratum et re innixum praestitutum consilium in seligendis instrumentis et temporibus, omni adhibita cura, ut semper extemporales modi agendi vitentur. Non solum directio spiritualis exstimulabitur, sed etiam praevideri debent cursus et sessiones speciales studiorum circa quaestiones ad grandem Traditionem theologicam christianam pertinentes, spatia temporis peculiariter fortia spiritualitati addicta, visitationes ad loca spiritualiter significantia.

Cum vero spirituales peragantur exercitationes, quibus diaconum tertio quoque anno assistere decet,[208] ipse non omittet delineare definitam vitae dispositionem, quam certis temporibus cum moderatore suo spirituali recognoscat. In eo omitti non debebunt tempora quotidie dedicata ferventi devotioni eucharisticae, pietati filiali erga Mariam Virginem, et suetis exercitiis asceticis, praeterquam precationi liturgicae et meditationi individuali.

[207] IOANNES PAULUS **II, Adh ap.** ***Pastores dabo vobis*** **72:** ***l.c,,*** **785.**

[208] **Cf.** PAULUS **VI, Litt. ap.** ***Sacrum diaconatus ordinem,*** **VI, 28:** ***l.c,*** **703;** ***C.I.C.,*** **can. 276,** §4.

Centrum, in quo istius itinerarii spiritualis unitas operatur, est Eucharistia. Illa enim constituit orientationis criterium, permanentem totius vitae et actionis diaconalis dimensionem, perseverantiae conscie assumptae et omnis authenticae renovationis medium omnino necessarium, ita ut ad aequam propriae vitae synthesim perveniatur. In huiusmodi visione rerum, formatio spiritualis diaconi Eucharistiam tamquam Pascha iterum detegit in sua expressione annua (Hebdomada Sancta), hebdomadali (Die Dominico) et quotidiana (Missa feriali) celebratum.

Formatio ad communionem ecclesialem

71. Insertio diaconorum in mysterio Ecclesiae, per baptismum et primum gradum sacramenti Ordinis, efficit necessario, ut formatio permanens in diaconis corroboret conscientiam et voluntatem vivendi in ratione confirmata, operosa et matura communione cum presbyteris et proprio Episcopo, necnon cum Summo Pontifice, qui est fundamentum visibile unitatis totius Ecclesiae.

Cum sint ita formati, diaconi in ipsorum ministerio sese proponent etiam ut communionis animatores. Ubi praesertim contentiones evenerint, ibi ipsi promovere pacificationem pro bono Ecclesiae non omittent.

Formatio intellectualis

72. Oportet apparare opportuna incepta (dies studiorum, cursus ad disciplinas hodiernis temporibus accommodas, frequentatio cursuum vel seminariorum apud theologica instituta), ut doctrina fidei altius perspiciatur. Hanc ad rem, peculiariter utile erit incitare attentum, profundius peractum et systematicum studium ***Catechismi Catholicae Ecclesiae.***

Omnino oportet rectam comprobare cognitionem sacramenti Ordinis et Eucharistiae necnon sacramentorum diaconis saepe concreditorum, qualia sunt baptisma et matrimonium. Necessarium item est perscrutari argumenta philosophiae, ecclesiologiae, theologiae dogmaticae, Sacrae Scripturae, iuris Canonici, utiliora ad eorum ministerii adimpletionem.

Huiusmodi congressus non faciant solum, ut diaconus suo modo ad recentiores progressus aptetur, verum etiam ad precationem illum inducent, ad maiorem communionem et efficaciorem actuositatem pastoralem, quae respondeat urgentioribus necessitatibus novae evangelizationis.

Ratione communitaria et sub ducibus auctoritate gravibus, ea quoque documenta Magisterii profundius investiganda sunt, quae sententiam E cele-

siae de doctrinae morumque quaestionibus magis hodie agitatis declarant, ministerio pastorali semper ante oculos constituto. Si ita fiet, exprimitur et perficitur oboedientia erga universalem Ecclesiae Pastorem necnon dioecesanos Pastores, dum etiam fidelitas doctrinae disciplinaeque Ecclesiae confirmabitur ex corroborato communionis vinculo.

Maximae praeterea utilitatis ac praesentis commoditatis est studium, profundior investigatio, et diffusio doctrinae socialis Ecclesiae. Si plerique diaconi in ipsas professiones, in laboris campos et in familias inserentur, licebit interventiones inde efficaces elaborare, quibus magisterium sociale christianum cognoscatur atque ad effectum deducatur.

Qui illas habent dotes, ab Episcopis dirigi possunt ad speciale studium in aliqua disciplina theologica, ut, si fieri potest, gradus academicos adipiscantur apud instituta academica pontificia aut alia ab ipsa Apostolica Sede approbata, quae rectae consulant doctrinali formationi.

Denique ipsi cordi semper habeant studium systematicum, non solum ut suam scientiam theologicam perficiant, sed etiam ut proprium ministerium iugiter reviviscat, illud semper adaequando necessitatibus communitatis ecclesialis.

Formatio pastoralis

73. Iuxta debitam sacrarum disciplinarum investigationem, curanda est adaequata metodologiarum pastoralium cognitio[209] ad efficace ministerium. Formatio pastoralis permanens ante omnia consistit in promovendo iugiter diaconi studio ut efficaciam proprii ministerii perficiat, in Ecclesia et in societate manifestando amorem et servitium Christi erga omnes homines sine discrimine, praesertim erga debiliores et auxilio indigentes. Etenim e caritate pastorali Christi Iesu diaconus vim et exemplum sumit in sua agendi ratione. Haec ipsa caritas urget et impellit diaconum ad cooperandum cum Episcopo et presbyteris in promovenda missione, quae est propria christifidelium laicorum in mundo. Ipse igitur impellitur « ut veram hominum condicionem melius usque cognoscat, ad quos mittitur, ut in historicis adiunctis in quibus versatur Spiritus rogatus dignoscat, ut denique aptiores rationes formasque utiliores conquirat ad ministerium hodie exercendum »,[210] in fideli ac firma cum Summo Pontifice proprioque Episcopo communione.

[209] Cf. *CIC,* can. 279

[210] IOANNES PAULUS II, Adh. ap. *Pastores dabo vobis,* 72: *l.c,* 783.

Inter has formas, apostolatus hodiernus requirit etiam laborem in coetu a pluribus peractum, qui, ut frugifer evadat, tueri debet et defendere, secundum organicam communionis ecclesialis naturam, diversitatem et completivam naturam donorum ac munerum, quae ad presbyteros, ad diaconos et ad omnes alios christifideles spectant.

Organizatio et instrumenta

74. Condicionum diversitas, quae in Ecclesiis particularibus habetur, arduum reddit offere plenum conspectum organizationis et idoneorum instrumentorum, quae ad congruam formationem permanentem diaconorum inserviant. Necesse est ut instrumenta formationis seligantur in contextu clarae doctrinae theologicae et pastoralis.

Convenientius igitur videtur praebere tantum quasdam indicationes generales, quae in usum facile traduci possunt in diversis concretis condicionibus.

Ministerium

75. Locus primus formationis permanentis diaconorum est ipsum ministerium. Eo enim perfungens, diaconus maturescit propriam personalem vocationem ad sanctitatem in adimpletione officiorum socialium et ecclesialium, peculiarique modo munerum et responsabilitatum ministerialium. Conscientia igitur ministerialitatis constituit finem praecipuum ad quem spectare debet specifica formatio quae impertitur.

Iter unitarium per certos gressus

76. Iter permanentis formationis percurratur oportet secundum definitam et accuratam rationem, quam competens auctoritas statuit et comprobavit, cum nota propria unitarietatis et progressionis per certos gradus, praestituta plena cum Magisterii consensione. Decet indicari minimum quiddam omnibus necessarium, quod a cursibus altioris investigationis distinguatur.

Quae ratio ad duos formationis gradus respicere debet inter se arcte coniunctos: dioecesanum nempe, qui Episcopum vel eius delegatum tamquam relationis terminum habet et illud in ambitu communitatis, ubi diaconus suum ministerium exercet et cuius terminus relationis est parochus vel alius sacerdos.

Pastoralis experientia

77. Diaconi prima destinatio ad aliquam communitatem vel ad aliquem ambitum pastoralem significat magnae prudentiae transitum. Cum ipse pri-

moribus communitatis (parocho, sacerdotibus et aliis) in conspectum praesentabitur atque vicissim ei communitas exhibebitur, non tantum mutua cognitio promovebitur, sed etiam ratio cooperationis statim determinetur, secundum reciprocam aestimationem et dialogum reverentem, in spiritu fidei et caritatis. Propria communitas christiana ad formationem valde conferre potest, si diaconus in eam inseratur illius animo, qui sciat reverentia sanas traditiones obsequi, qui sciat audire, discernere, servire et amare sicut Christus Iesus, si in iisdem adesset rerum adiunctis.

Prima experientia pastoralis prosequenda erit peculiari cum attentione per exemplarem Sacerdotem, ad hoc ab Episcopo deputatum.

Congressus periodici

78. Diaconis praestabuntur congressus liturgiae, spiritualitatis, renovationis secundum hodierna tempora comprobationis, intra ipsam dioecesim vel inter dioeceses.

Moderante Episcopo neque multiplicatis nimium structuris, proderit constituere certis temporibus congressus inter presbyteros, diaconos, religiosos, religiosas ac laicos curam pastoralem exercentes, tum ut segregatio parvorum coetuum vincatur, tum ut in tuto ponantur sententiarum consensus et unitas actionis coram diversis formis pastoralibus.

Episcopus ipse cum sollicitudine prosequetur diaconos suos adiutores videbitque ut aut praesens his conventibus pro viribus assistat, aut forte impeditus aliquem mittat, qui ipsius personam gerat.

Coetus educatorum

79. Assentiente Episcopo, componendus est ordo rerum pro permanenti formatione, qui solidus sit et impleri possit, quique vigentibus normis obsecutus rationem habeat tum aetatis et propriarum condicionum diaconorum, tum etiam exigentiarum eorum ministerii pastoralis. Hac de causa Episcopus instituere poterit coetum idoneorum educatorum vel forsitan etiam adiutricem operam proximarum dioecesium expetere.

Commissio dioecesana

80. Expedit ut Episcopus excitet ***Commissionem ordinandis diaconorum negotiis,*** ad diaconorum ministerium disponendum, dirigendum et compro-

bandum: a prima vocationis indicatione[211] usque ad formationem et exercitium ministerii, inclusa etiam formatione permanenti.

Participes igitur huius commissionis erunt ipse Episcopus, qui praeerit, vel sacerdos eius delegatus, una cum congruo numero diaconorum. Eadem commissio non omittet nectere relationes cum aliis dioecesis corporibus.

Normae propriae, ab Episcopo editae, ea omnia gubernabunt, quae vitam et actionem talis consilii tangunt.

Diaconi uxorati

81. Pro diaconis uxoratis prestituentur, inter alia, incepta et activitates formationis permanentis, quae, pro opportunitate, quodammodo complectantur, etiam uxores familiasque totas, prae oculis semper habita essentiali partium distinctione atque clara ministerii libertate.

Cetera incepta

82. Diaconi magni aestimabunt omnia illa opera, quae plerumque Episcoporum conferentia vel dioeceses ad permanentem cleri formationem proponunt: exercitia spiritualia, dies studiorum, congressus, cursus integrativos indolis theologicae et pastoralis.

Operam ipsi dabunt, ut ne iis inceptis desint, quae proprie eorum ministerium respicient, quae nempe attinent ad evangelizationem, liturgiam et caritatem.

Summus Pontifex Ioannes Paulus II hoc Directorium approbavit atque evulgari iussit.

Romae, ex Aedibus Congregationum, d. d. xxn m. Februarii, in festo Cathedrae Sancti Petri, a.D. MCMXCVIII.

DARIUS card. CASTRILLÓN HOYOS
Praefectus

83 Csaba Ternyák
archiep. tit. Eminentianensis
A secretis

[211] **Cf. *C.I.C.,* can.. 1029.**

PREX AD MARIAM SANCTISSIMAM

MARIA,

Magistra fidei, quae cum oboedientia tua erga Verbum Dei operis Redemptionis socia modo eximio exstitisti, ministerium diaconorum frugiferum redde, docendo eos Verbum cum fide auscultare et annuntiare.

MARIA,

Magistra caritatis, quae alacri tua ad vocationem Dei attentione, ad generationem fidelium in Ecclesia adiutricem operam praestitisti, diaconorum ministerium et vitam fecundam redde, docendo eos servitio Populi Dei sese devovere.

MARIA,

Magistra orationis, quae cum tua intercessione materna Ecclesiam nascentem sustinuisti et adiuvasti, diaconos ad fidelium necessitates semper intentos redde, docendo eos pretium orationis detegere.

MARIA,

Magistra humilitatis, quae propter tuam profundam agnitionem te Ancillam Domini esse a Spiritu Sancto repleta fuisti, diaconos docilia instrumenta redemptionis Christi redde, docendo eos granditatem suae propriae extenuationis efficiendae.

MARIA,

Magistra servitii absconditi, quae cum tua cotidiana et ordinaria vita plena amoris salvificum consilium Dei modo exemplari secundare sciisti, diaconos servos bonos et fideles redde, docendo eos laetitiam in Ecclesia servienda cum ardenti amore.

Amen.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Venerdì, 9 Ottobre 1998, S.E. il Signor Marian Servátka, Ambasciatore della Repubblica Slovacca presso la Santa Sede.

Lunedì, 12 Ottobre 1998, S.E. il Signor Marijàn Sunjic, Ambasciatore di Croazia presso la Santa Sede.

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Sabato, 10 Ottobre 1998, S.E. il Signor Jerzy Buzrk, Primo Ministro della Repubblica di Polonia.

Da venerdì 2 a domenica 4 ottobre 1998 il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio in Croazia.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

26 settembre 1998. S.E. mons. Juliusz Janusz, Arcivescovo tit. di Caorle, ***Nunzio Apostolico in Mozambico.***

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

5 ottobre 1998. S.E. mons. Zenon Grocholewski, Arcivescovo tit. di Agropoli, ***Prefetto del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica « ad quinquennium ».***

» » » Mons. Marcelo Sánchez Sorondo, ***Cancelliere della Pontificia Accademia delle Scienze e della Pontificia Accademia delle Scienze Sociali.***

An. et vol. XC 4 Decembris 1998 N. 12

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio; Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

CONSTITUTIO APOSTOLICA

BANFORENSIS

In Burkina Faso nova conditur dioecesis Banforensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum suo tempore efflagitatum sit ut dioecesis Bobodiulassensis in Burkina Faso divideretur, ut loca civilia vulgari nomine « Comoé » et « Léraba » inde subtracta novam nuncupandam posthac Banforensem converterentur in dioecesim, Nos nimirum ipsi Congregationis pro Gentium Evangelizatione obsecuti consiliis hac eadem in re atque prorsus Nobis persuadentes talem partitionem in aeternae salutis commoditatem inibi viventium christifidelium esse cessuram, haec quae sequuntur pro apostolicae auctoritatis Nostrae plenitudine statuimus servarique iubemus in perpetuum. Superiora loca memorata abstrahimus a dicione Bobodiulassensi ex quibus novam condimus laetantes diocesim ***Banforensem,*** metropolitanae scilicet ecclesiae Uagaduguensi suffraganeam atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione obnoxiam. Eius autem statuimus episcopalem sedem in urbe « Banfora » ubi templum Sanctis Petro ac Paulo sacrum ibidem ad dignitatem evehimus Ecclesiae Cathedralis, omnibus simul additis iuribus atque privilegiis quae id genus sacris congruunt aedificiis. Reliqua vero cuncta ad eandem hanc dioecesis institutionem ex sacris canonibus pertinentia religiose nimirum pleneque servari volumus, quibusvis rebus haudquaquam ob-

stantibus. Destinamus autem interea Venerabilem Fratrem Aloisium Ventura, Archiepiscopum titulo Equiliensem atque Apostolicum Nuntium in Burkina Faso qui haec Nostra ad amussim exsequatur rite decreta ac mandata. Re tandem peracta documenta exarabuntur sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittentur. Omnem quidem Apostolicam hanc Constitutionem tam nunc quam in posterum omne tempus ratam esse volumus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo septimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo octavo, Pontificatus Nostri vicesimo.

& ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, ***Protonot. Apost.***
Franciscus Chiaurri, ***Protonot. Apost.***

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 434.890

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Sancta Teresia a Iesu Infante et a Sacro Vultu Doctor Ecclesiae universalis renuntiatur.

1. Divini amoris scientia, quam Pater misericordiarum per Iesum Christum in Spiritu Sancto effundit, donum est, parvulis tributum humilibusque, ut ii cognoscant atque enuntient Regni arcana eruditis abscondita et sapientibus; quam ob causam exsultavit in Spiritu Sancto Iesus Patri laudes referens quoniam ita fieri voluit (cfr ***Lc*** 10, 21-22; ***Mt*** 11, 25-26).

Exsultat pariter Mater Ecclesia cum intellegat saeculorum decursu Dominum pergere sese patefacere parvulis humilibusque ac per ipsum Spiritum qui « omnia scrutatur, etiam profunda Dei » ***(1 Cor*** 2, 10) aptos reddere electos suos ad ea dicenda « quae a Deo donata sunt nobis non in doctis humanae sapientiae, sed in doctis Spiritus verbis, spiritalibus spiritalia comparantes» ***(1 Cor*** 2, 12.13). Universam hoc modo ad veritatem Sanctus Spiritus Ecclesiam perducit, variis eam instruit muneribus suisque honestat

fructibus, eamque Evangelii virtute iuvenilem efficit temporumque scrutandis signis idoneam reddit, unde melius congruat cum Dei voluntate (cfr ***Lumen gentium,*** 4. 12; ***Gaudium et spes,*** 4).

Inter parvulos, quibus praecipue Regni sunt reclusa mysteria, elucet Teresia a Iesu Infante et a Sacro Vultu professa monialis Ordinis Carmelitarum Excalceatarum, cuius centenaria hoc anno in caelestem patriam ingressionis repetitur memoria.

Progrediente quidem vita « lumina nova, abditas atque arcanas significationes » ***(Ms A*** 83 v). Teresia detexit atque a divino Magistro illam accepit « amoris scientiam » quam deinde proprio suo declaravit modo in operibus scriptis (cfr ***M s B*** 1 r). Lucida sane haec scientia declaratio est ipsius cognitionis mysteriorum Regni nec non eius singularis experimenti gratiae divinae. Haberi potest illa peculiare sapientiae evangelicae charisma quam Teresia, perinde ac alii sancti fideique magistri, sua percepit in oratione (cfr *Ms C* 36 r).

2. Vitae eius exemplum illiusque doctrinae evangelicae celeriter nostra aetate et ubique et continenter est susceptum. Tamquam ad ipsius praematurae spiritualis maturitatis imitationem, ab Ecclesia paucorum annorum intervallo sanctimonia illius est agnita. Etenim decretum institutae beatificationis causae consignavit die x mensis Iunii anno MCMXIV Pontifex Pius X; heroicum autem Servae Dei virtutum modum Benedictus XV die xiv mensis Augusti anno MCMXXI pronuntiavit, quo etiam tempore de spiritalis infantiae via habuit sermonem; beatam vero eam Pius XI die xxix mensis Aprilis anno MCMXXIII renuntiavit. Paulo post, mensis Maii die xvn anno MCMXXV, innumerabili coram turma in Petriana basilica idem Pontifex Romanus eam in Sanctarum rettulit fastos, eius extollens virtutum fulgorem propriamque doctrinae indolem, atque duobus post annis, die xiv mensis Decembris anno MCMXXVII, compluribus id missionariis exposcentibus episcopis, una cum sancto Francisco Xaverio Patronam sacrarum missionum eam edixit.

Ab his profectus Ecclesiae iudiciis, Teresiae a Iesu Infante spiritalis fulgor crevit atque universum per orbem est dilatatus ad nostros usque dies. Vitae consecratae Instituta multa nec non ecclesiales motus, praesertim in Ecclesiis iunioribus, Patronam ipsam magistramque sibi sumpserunt spiritali eius permoti magisterio. Doctrina illius, quae saepe in sic dicta « parva via » comprehenditur quaeque aliud nihil est quam evangelica sanctitatis via omnibus destinata, a theologis doctrinaeque spiritalis cultoribus est per-

vestigata. Sub Sanctae Lexoviensis patrocinio excitata sunt et Domino dicata templa cathedralia et basilicae, sanctuaria et aedes omnibus in terris. Variis in tam Orientis quam Occidentis ritibus cultum eius Ecclesia catholica celebrat. Deprecationis illius plurimi experiri potuerunt fideles. Tot ad sacerdotale ministerium vel consecratam vitam vocati, in missionum praesertim regionibus atque clausuris, precibus eius et exemplis adscribunt divinam vocationis suae gratiam.

3. Huius saeculi Ecclesiae Summi Pontifices, Pastores nempe Nostri Decessores, qui in exemplum omnibus sanctitatem eius proposuerunt, simul quidem Teresiam spiritalis vitae magistram esse praedicaverunt ex doctrina nempe simplici tum etiam alta, quam ex Evangelii hausit fontibus divino ducente Magistro quamque fratribus et sororibus in Ecclesia deinceps efficacissime est impertita (cfr ***M s B*** 2 v - 3 r).

De eius vitae propria narratione haec prodita est spiritalis doctrina, quam tres codices ab ea extremis vitae annis manu conscripti atque anno post mortem editi cum inscriptione ***Histoire d'une Ame*** (Lexovii an. MDCCCXCVIII) collegerunt, summumque ad haec nostra tempora studium excitavit. Haec vitae descriptio, cum ceteris eius scriptionibus, in quinquaginta ferme conversa linguas, Teresiam cunctis in orbis provinciis etiam extra Ecclesiam catholicam reddidit notissimam. Centesimo ab obitu eius hoc anno pergit Teresia a Iesu Infante agnosci una maximarum vitae spiritalis temporis nostri magistrarum.

4. Nihil propterea est mirandum quod ad Apostolicam Sedem petitiones sunt plures delatae ut Ecclesiae universalis Doctoris titulo honestaretur.

Superioribus hisce annis, ac potissimum fortunata redeunte mortis eius centenaria memoria, auctae magis magisque sunt a Conferentiis Episcopalibus preces; congressus praeterea studiorum facti sunt ac scripta multiplicata quibus Teresia a Iesu Infante liquido possidere nuntiatur singularem quandam sapientiam suaque doctrina tot adiuvare cuiuslibet status viros ac feminas ad Iesum Christum illiusque Evangelium cognoscendum ac diligendum.

His impulsi sententiis inquiri diligenter Nos iussimus haberetne Sancta Lexoviensis necessarias proprietates ut Ecclesiae universalis nomine exornari posset Doctoris.

5. Hac ita oblata opportunitate perplacet breviter Nobis quaedam commemorare vitae Teresiae a Iesu Infante e venta. In Gallia nascitur Alensonii

die altero Ianuarii mensis anno MDCCCLXXIII: duobus post diebus baptizatur in Dominae Nostrae aede accipitque Mariam Franciscam Teresiam nomina. Eius parentes sunt Aloisius Martin et Zelia Guérin quorum nuperius heroicam virtutum agnovimus naturam. Vita dein perfuncta matre die xxvni Augusti mensis anno MDCCCLXXVII omni cum sua domo in urbem Teresia se confert Lexovium, ubi patris sororumque circumdata benevolentia, institutionem accipit severam atque teneritudine plenam.

Anno exeunte MDCCCLXXIX primum accedit ad reconciliationis sacramentum. Die Pentecostes anno MDCCCLXXXIII peculiarem obtinuit sanationis gratiam a graviore quodam morbo, intercedente ipsa quidem Domina Nostra a Victoriis. Apud sorores Lexovienses Benedictinas erudita, primam recipit die VIII mensis Maii anno MDCCCLXXXIV Communionem, post ad eam intentissimam praeparationem, quam unicum cumulavit experimentum gratiae coniunctionis intimae cum Iesu. Paucis inde post hebdomadibus, eiusdem nempe anni die decimo quarto mensis Iunii, Sacramentum percepit Chrismatis sibi plane conscia quid tandem Spiritus Sancti donum propriam ad Pentecostes gratiae communicationem adferret. In sollemnitate Natalis Domini anni MDCCCLXXXVI altissimam cognoscit spiritalem exercitationem, quam illa definit tamquam « plenam conversionem ». Per quam vincit mobilem fragilitatem ab obitu matris inductam atque praegrandem init cursum in perfectionis itinere (cfr ***M s A*** 44 v - 45 v).

Umbratilem cupit Teresia vitam amplexari prout etiam ipsius sorores Paulina ac Maria fecerant in coenobio Carmelitano Lexoviensi, attamen impediebat illud iunior eius aetas. Sacram in Italia peragens peregrinationem, cum Domum Sanctam Lauretanam invisisset necnon Urbis Aeternae loca, recepta a Pontifice Leone XIII in audientiam concessam fidelibus Lexoviensis dioecesis die xx Novembris mensis anno MDCCCLXXXVII, ab eo licet quindecim dumtaxat annos nata petivit sibi ut Carmelum ingredi liceret.

Ita re vera Lexoviensem communitatem Carmelitanam die ix Aprilis mensis anno MDCCCLXXXVIII intrat ubi Virginis habitum ordinis insequentis anni die x Ianuarii induit atque festivo nativitatis Virginis Mariae die VIII Septembris anno MDCCCXC religiosa profitetur vota sua. Iter perfectionis a legifera matre Teresia a Iesu designatum vera alacritate fidelitateque in Carmelo persequitur variis suis communitatis perfungens muneribus. Dei illuminata Verbo atque aegritudine amatissimi sui patris Aloisii Martin vita defuncti die xxix Iulii mensis anno MDCCCXCIV adflicta, procedit Teresia ad sanctitatem praecipuum amori adtribuens. Reperit et novitiis sororibus

suae curae commendatis impertit parvulam spiritalis infantiae viam, qua altius usque se immergit in Ecclesiae mysterium, Christique adducta amore crescere in se percipit apostolicam ac missionalem vocationem quae eam paulatim impellit ut omnes secum ad congressum pertrahat Divino cum Sponso.

In Sanctissimae Trinitatis sollemnitate die ix mensis Iunii anno MDCCCXCV misericordi Dei Amori se holocausti hostiam offert. Proximo autem anno nocte ipsa inter feriam quintam et sextam Maioris Hebdomadae, die scilicet III Aprilis, primum animadvertit indicium aegrotationis ad mortem se deducturae. Hanc suscipit Teresia veluti arcanam quandam Divini Sponsi congressionem. Eodem etiam tempore in fidei incidit probationem quae ad mortem usque permanebit. Ingravescente autem morbo iam die VIII Iulii mensis anno MDCCCXCVII in valetudinarium defertur. Sorores ipsius ceteraeque religiosae eius sermones excipiunt dum dolores atque incommoda, quae patienti perfert animo, augescunt usque dum post meridiem die xxx Septembris anno MDCCCXCVII obiit. « Haud quaquam morior, ingredior potius vitam », spiritali suo fratri scripserat domino Bellière ***(LT*** 244). Vitam sic signant novissima eius effata: « Te amo, Deus meus ».

6. Scriptiones nobis Teresia a Iesu Infante tradidit quae iure meritoque illi magistrae spiritalis vitae apellationem meruerunt. Praecipuum vero eius remanet opus vitae enarratio tribus commendata codicibus manu propria conscriptis ***(Manuscrits autobiographiques A, B, C),*** qui sub titulo prodierunt celeriter celebrato ***Histoire d'une Ame.***

In codice A, exarato post petitionem sororis Agnetis a Iesu, tunc monasterii Antistitae eique tradito die xxi mensis Ianuarii anno MDCCCXCVI, spiritalis suae vitae tempora Teresia describit: primos infantiae annos, potissimum quidem Communionis primae eventum atque Confirmationis, adulescentiam dein usque ad introitum in Carmelum et prima nuncupata vota.

Compositus autem eodem anno in spiritali solitudine codex B, flagitante etiam sorore ipsius Maria a Sacro Corde, quasdam praebet pulcherrimas profecto notissimasque et saepissime memoratas Sanctae Lexoviensis paginas. Plenam enim illustrant Sanctae maturitatem quae de sua loquitur inibi vocatione intra Ecclesiam, Christi Sponsam animarumque Matrem.

Codex tandem C, quem Iunio mense primisque Iulii diebus anno MDCCCXCVII paucis nempe suum ante obitum contexuit mensibus quemque, ipsa rogante, monasterii Praefectae Mariae de Gonzaga dicavit, memorias codicis A de vita ad Carmelum complevit. Spiritalem maturitatem commonstrant

paginae tum etiam supernaturalem scriptricis sapientiam. Extremi huius vitae suae spatii nonnullas experientias omnino altissimas persequitur Teresia. Fidei probationi devovet paginas animum nostrum commoventes: de purificationis gratia sermo est qua in longam ipsamet ac dolorosam mergitur noctem obscuram quam tamen collustravit illius fiducia de misericordi paternoque Dei amore. Rursus itaque neque suas repetens sententias Teresia facit ut coruscans emicet Evangelii lumen. Affirmationes hic reperimus venustissimas dedicatas eius devotioni fidenti in Dei manus nec non coniunctioni inter amorem Dei et proximi tum denique missionali ipsius in Ecclesia vocationi.

Tribus hisce in codicibus diversis, unum qui continent argumentum atque progredientem vitae eius spiritalisque itineris referunt descriptionem, exhibet nobis Teresia germanam suam autobiographiam quae est eius animae historia. Hinc clare elucet vitam ipsius talem fuisse in qua nuntium Deus certum hominibus reddidit, evangelica patefacta via, « parva via » scilicet, quam omnibus percurrere licet quandoquidem ad sanctitatem advocantur omnes.

Suis deinde in ducentis sexaginta sex epistulis ***(Lettres),*** quas familiaribus et religiosis et « fratribus » missionariis inscripsit, suam aperit Teresia sapientiam, dum magisterium expedit quod re constat alta exercitatione spiritalis animarum moderationis.

Ad opera pariter pertinent eius quinquaginta quattuor poemata ***(Poésies),*** nonnulla quorum theologicam spiritalemque prae se ferunt amplissimam vim, ad Sacras Litteras pertinentia. Memorari inter ea oportet ***Vivre d'Amour!...*** (P 17) et ***Pourquoi je t'aime, ô Marie!*** (P 54), quod quidem propriam summam complectitur de Virginis Mariae secundum Evangelium itinere. His autem scriptis accedunt octo recreationes piae ***(Récréations pieuses),*** quae poeticae sive scaenicae scriptiones sunt pro communitate a Sancta excogitatae et exhibitae de quorundam dierum festivorum argumentis secundum Carmelitarum consuetudinem. Decet exinde minora inter opuscula collectionem commemorare viginti et unius precum ***(Prières).*** Neque obliviscenda est dictorum ecloga extremis vitae ipsius mensibus enuntiatorum, quorum variae servantur editiones, etiam sub nomine « novissimorum verborum », quae etiam veluti ***Derniers Entretiens*** agnoscuntur.

7. Sub tili ex sanctae Teresiae a Iesu Infante operum pervestigatione tum etiam e responsione quam in Ecclesia habuerunt, praecipuae colligi

possunt partes « praestantis doctrinae », quae elementa principalia praebet unde Doctoris Ecclesiae tribui ei licet titulum.

Peculiare sapientiae charisma hinc in primis profluit. Nam institutione theologica carens adolescens haec carmelita at Evangelio illuminata, se videt a Magistro divino doceri qui, perinde ac illa asseverat, « Doctor Doctorum est» ***(Ms A*** 83 v), a quo «divina praecepta» accipit ***(Ms B*** 1 r). In se ad effectum percipit deducta esse Sacrae Scripturae dicta: « Si quis est parvulus veniat ad me...; exiguo enim conceditur misericordia» ***(Ms B I v)*** (cfr ***Prv*** 9, 4; ***Sap*** 6, 6); atque amoris scientiam pariter esse instructam, quae latet sapientibus et prudentibus, quam tamen ipsi reserare dignatus est Magister divinus sicut omnibus parvulis ***(Ms A*** 49 r) (cfr ***Lc*** 10, 21-22).

Pontifex Pius XI qui « sui pontificatus astrum » Teresiam Lexoviensem iudicavit, adseverare non dubitavit in oratione canonizationis ipsius habita die XVII Maii anno MCMXXV: « ...eidem Spiritus veritatis illa aperuit ac patefecit, quae solet a sapientibus et prudentibus abscondere et revelare parvulis; siquidem haec — teste proximo Decessore nostro — tanta valuit supernarum rerum scientia, ut certam salutis viam ceteris indicaret» ***(AAS*** 17 [1925] p. 213).

Non tantum cum Litteris Sacris doctrina congruit eius atque catholicae fidei, verum etiam eminet ob altitudinem et summam sapientiae intus collectam. Ecclesiae simul fidei confessio doctrinis ipsius inest, mysterii christiani experientia atque ad sanctitatem semita. Maturum enim christianae spiritalitatis compendium praebet Teresia; theologiam coniungit cum vita spiritali, magna cum vi et auctoritate sese exprimit, egregia cum persuadendi resque communicandi facultate, quemadmodum perceptio et eius nuntii disseminatio demonstrat intra populum Dei.

Teresiae doctrina congruenter exhibet in unaque consentanea compositione consociat christianae fidei dogmata tamquam veritatis institutum et vitae experimentum. Non est obliviscendum hac in re quod intellegentia depositi fidei ab Apostolis traditi, perinde ac Concilium Vaticanum II edocet, progreditur in Ecclesia Spiritu Sancto adiuvante: «Crescit enim tam rerum quam verborum traditorum perceptio, tum ex contemplatione et studio credentium, qui ea conferunt in corde suo (cfr ***Lc*** 2, 19 et 51), tum ex intima spiritualium rerum quam experiuntur intellegentia, tum ex praeconio eorum qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum acceperunt » ***(Dei Verbum,*** 8).

Fortassis in Teresiae Lexoviensis scriptis non reperitur, sicut ceteris in Doctoribus, rerum divinarum propositio ad scientiae rationem enucleata,

attamen illuminatam fidei testificationem deprehendere valemus quae dum fidenti amore misericordem Dei dignationem atque in Christo salutem excipit, arcanum revelat et Ecclesiae sanctitatem.

Agnosci potest itemque merito in Sancta Lexoviensi praecipiendi charisma Doctoris Ecclesiae, tum propter Spiritus Sancti donum quod recepit ut suam fidem vivere et patefacere posset, tum propter singularem mysterii Christi intellectum. In eam namque legis novae concurrunt dona, gratia videlicet Spiritus Sancti, quae in vivida se prodit fide per caritatem operante (cfr S. Thomas Aquinas, ***Summa Theol.*** I-II, q. 106, art. 1; q. 108, art. 1).

Ad Teresiam Lexoviensem id accommodare possumus quod Decessor Noster Paulus VI elocutus est de alia iuvene sancta, Ecclesiae Doctore, Catharina Senensi: « Quod magis Nos permovet in hac sancta est illa sapientia infusa nempe lucida, profunda et inebrians veritatum divinarum appropriatio nec non mysteriorum fidei quae appropriatio naturae eximiis omnino dotibus adiuta est, verum, ut patet, prodigiosa fuit, charismati sapientiae Spiritus Sancti adscribenda» ***(AAS*** 62 [1970] p. 675).

8. Singulari propterea doctrina sua nempe unico scribendi genere eminet Teresia tamquam fidei vitaeque christianae germana magistra. Per ipsius opera, haud secus ac per Sanctorum Patrum affirmationes, vivifica illa perfluit catholicae traditionis lympha cuius divitiae, sicut rursus legitur in Concilio Vaticano II, « in praxim vitamque credentis et orantis Ecclesiae transfunduntur » ***(Dei Verbum,*** 8).

Lexoviensis Teresiae doctrina, si secundum suscipitur peculiare suum litterarum genus quae institutioni eiusque animi culturae respondent et si praeterea cum specialibus illius aetatis condicionibus componitur, providentiali quodam modo cum certissima Ecclesiae traditione cohaeret simul ob catholicae fidei confessionem simul ob maximae authenticae spiritalis vitae promotionem, quae vivo ac pervio sermone omnibus fidelibus exponitur.

Nostro quidem tempore fecit illa ut Evangelii suavitas eluceret; officium praeterea accepit provehendi Ecclesiae cognitionem amoremque mystici Christi Corporis; homines etiam adiuvit ut a duritia et formidine lansenistarum doctrinae sanarentur, quae quidem ad iustitiam Dei efferendam propendebant potius quam divinam ipsius misericordiam. Contemplata est in Deique misericordia omnes divinas adoravit perfectiones quoniam « vel Dei iustitia (ac plus forsitan quam reliquae perfectiones) amore induta mihi videtur» ***(Ms A*** 83 v). Vivens itaque facta ea est illius Dei imago qui, secundum Ecclesiae precem, « omnipotentiam suam parcendo maxime et miseran-

do manifestat » (cfr ***Missale Romanum, Collecta,*** Dominica XXVI per annum).

Quamvis verum proprieque dictum doctrinarum corpus non habeat Teresia, singularia quaedam doctrinae lumina emicant de eius scriptis quae, quasi e Spiritus Sancti gratia, intimum revelationis succum in prospectum unicum ineditumque proiciunt dum magisterium egregia indole praeditum exhibent.

Ipsum Dei-Amoris mysterium enim intimam eius nuntii efficiunt partem, Dei-Trinitatis, infinite in se perfecti. Si consonare debet vera spiritalis experientia christiana revelatis cum veritatibus, quibus videlicet se communicat Deus suaeque mysterium voluntatis (cfr ***Dei Verbum,*** 2), affirmari oportet Teresiam Revelationem Divinam esse expertam, atque eo etiam usque esse progressam ut praecipuas fidei nostrae veritates in mysterio trinitariae vitae cumulatas contemplaretur. In culmine, tamquam fons simul et finis, misericors sistit trium Personarum divinarum amor, perinde atque eloquitur Sancta, potissimum suo in ***Actu oblationis erga misericordem Amorem.*** In fundamento, ex parte subiecti, experimentum reperitur per quod constituimur Patris filii adoptivi in Iesu; hic certissimus infantiae spiritalis est sensus, id est filiationis divinae perceptio sub Spiritus Sancti motu. In fundamento pariter et ante nos proximus versatur, ceteri omnes, quorum redemptioni adlaborare debemus cum et in Iesu per ipsum eius misericordem amorem.

Per spiritalem hanc infantiam experimur omnia a Deo profluere, ad Eumque refluere et in Illo persistere, ad omnium hominum salutem, intra amoris misericordis mysterium. Haec est doctrinae nuntiatio quam haec tradidit Sancta atque vivendo implevit.

Haud secus ac in cunctis Ecclesiae omnium aetatum sanctis accidit, similiter ei, spiritalem intra experientiam propriam, centrum et revelationis plenitudo est Christus. Fervore quodam sponsae cognovit Iesum Teresia, eum dilexit fecitque ut et alii diligerent. Eius in infantiae mysteria intravit nec non in Evangelii ipsius verba, in Servi perdolentis passionem super eius Vultum sanctum insculptam, in eius gloriosae vitae fulgorem inque eucharisticam praesentiam. Divinae Christi caritatis titulos cecinit singulos, prout in Evangelio produntur (cfr ***PN*** 24, ***Jésus, mon Bien-Aimé, rappelle-toi!).***

De Corporis Christi mystici veritate insigniter est Teresia illustrata, de varietate gratiarum eius, Spiritus Sancti donorum, de potenti caritatis virtute quae tamquam ipsum Ecclesiae cor exstat ubi vocationem suam uti contemplativae ac missionariae repperit (cfr ***M s B*** 2 r - 3 v).

Demum inter singularia maxime scientiae spiritalis eius capita commemoranda est sapiens illa inquisitio quam Teresia in mysterium ac Virginis Mariae iter enodavit, unde consectaria deduxit proxime ad doctrinam Concilii Vaticani II accedentia in capitulo VIII Constitutionis ***Lumen gentium,*** itemque ad ea quae Nos in Litteris Encyclicis ***Redemptoris Mater*** die XXV mensis Martii anno MCMLXXXVII editis protulimus.

9. Praecipua vero experientiae spiritalis doctrinaeque eius origo est Dei Verbum et in Vetere et in Novo Testamento. Illud confitetur ipsa, dum ardentem suum in Evangelium extollit amorem (cfr ***M s A*** 83 v). Plus mille numerantur eius in scriptionibus biblici loci: quadringenti e Vetere sexcenti Novo e Testamento.

Quamquam non satis educata erat neque apta prae manibus habebat instrumenta ad Sacrorum Librorum investigationem et interpretationem, se tamen fide et alacritate unica Verbo Dei ponderando dedidit. Instigante Spiritu sibi adepta est et aliis peraltam revelationis scientiam. Sic amanter in Sacras Scripturas incumbens — quin immo Hebraice scire et Graece cupivit quo animum ac litteram Librorum Sacrorum plenius comprehenderet — momentum collustravit quod in vita spiritali prae se ferunt biblici fontes, proprietatem viriditatemque Evangelii praedicavit, prudenter spiritalem Verbi Dei coluit exegesim nunc Veteris nunc Novi Testamenti. Abditos ita thesauros detexit, voces sibi ac narrationes assumens nonnumquam audacia quadam supernaturali, velut cum, exempli gratia locos perlegens Paulinos (cfr ***1 Gor*** 12-13) suam ad amorem introspexit vocationem (cfr.***Ms B*** 3 r - 3 v). Verbo revelato illuminata, paginas condidit Teresia ingeniosas de amoris Dei et proximi necessitudine (cfr ***M s C*** 11 v - 19 r); in Iesu precationem intra ultimam cenam sese immersit, tamquam declarationem suae pro omnium salute deprecationis (cfr ***M s C*** 34 r - 35 r).

Uti iam est dictum, cum Ecclesiae magisterio consonat doctrina eius. Inde a primis edocta est a familiaribus ad precationem celebrationemque liturgicam participandam. Se ad primam confessionem, ad primam Communionem adque chrismatis sacramentum parans, unicum fidei veritatum commonstravit amorem atque ***Catechismum*** paene verbum de verbo edidicit (cfr ***Ms A*** 37 r - 37 v). De vita decessura suo sanguine Apostolorum symbolum perscripsit, se ita cupiens significare suam animi adiunctionem, nulla posita exceptione, cum fidei professione.

Praeter quam verbis Scripturarum atque Ecclesiae doctrinis, a pueritia nutrita est Teresia etiam praeceptis ***Imitationis Christi*** quam fere memoriter

didicisse fatetur (*Ms A* 47 r). Ad ipsius definiendam vocationem carmelitanam praecipue valuerunt spiritales Legiferae Matris Teresiae a Iesu scriptiones, praesertim quae contemplativum ecclesialemque illuminant charismatis Carmeli Teresiani sensum (cfr *M s C* 33 v). At singulariter omnino mystico sancti Ioannis a Cruce magisterio enutrita est Teresia, qui verus ipsi spiritalis exstitit magister (cfr *Ms A* 83 r). Nihil propterea mirum si, his duobus praeeuntibus Sanctis, qui et ipsi postmodum sunt Ecclesiae Doctores renuntiari, illa quoque discipula optima vitae spiritalis evasit Magistra.

10. Regno Dei dilatando profuit Teresiae Lexoviensis doctrina spiritalis. Suo sanctitatis perfectaeque erga Matrem Ecclesiam fidelitatis exemplo nec non plenae cum Petri Sede coniunctionis, tum etiam peculiaribus illis gratiis, quas pluribus fratribus ac sororibus missionariis impetravit, beneficium eximium renovatae praedicationi et Evangelii Christi experientiae attulit sicut et catholicae fidei propagationi omnes per orbis nationes.

Opus non est plura hic edisserere super doctrinae Teresianae universalitate superque nuntii eius latissima receptione hoc per saeculum quod ab ipsius obitu nos separat: recte hoc comprobatum est studiis ipsis ad titulum Doctoris Ecclesiae huic Sanctae conferendum peractis.

Hac in re id magni ponderis est quod Ecclesiae Magisterium non solum sanctitatem Teresiae agnovit sed sapientiam quoque eius doctrinamque in claram lucem produxit. Iam Pontifex Pius X asseveravit eam « maximam recentiorum temporum Sanctam » exstare. Laetus quidem suscipiens primam Italicam editionem libri *Historiae animae,* extulit ille fructus qui e Teresiana spiritalitate percipiuntur. Declarans postmodum heroicam naturam virtutum Servae Dei, Pontifex Benedictus XV spiritalis infantiae explanavit viam rerumque divinarum laudavit scientiam a Deo Teresiae tributam ut alios salutis semitas doceret (cfr *AAS* 13 [1921] pp. 449-452). Tempore autem tam beatificationis quam canonizationis Pontifex Pius XI Sanctae doctrinam proponere atque in universum commendare voluit, singularem illius divinam illuminationem extollens (*Discorsi di Pio XI,* vol. I, Torino 1959, p. 91) eamque vitae describens magistram (cfr *AAS* 17 [1925] pp. 211-214). Cum anno MCMLIV Lexovii basilica consecraretur, inter alia Pontifex Pius XII Teresiam confirmavit propria doctrina ad cor Evangelii ipsum penetravisse (cfr *AAS* 46 [1954] pp. 404-408). Saepius Lexovium invisit, praesertim cum Lutetiae Parisiorum esset nuntius, Angelus Roncalli, deinceps Pontifex futurus Ioannes XXIII. Pluribus oblatis opportunitatibus Pontificatus sui tempore suam pietatem idem ille in Sanctam ostentavit ne-

cessitudinemque inter Abulensis Sanctae eiusque filiae Lexoviensis Teresiae doctrinas explicavit ***(Discorsi, Messaggi, Colloqui,*** vol. II 1959-1960 pp. 771-772). Progrediente Concilio Vaticano II participes exempla et magisterium Teresiae pluries commemoraverunt. Centesimo dein volvente ortus eius anno Pontifex Paulus VI Litteras die II mensis Ianuarii anno MCMLXXIII Episcopo inscripsit Baiocensi-Lexoviensi quibus exemplum ductumque Teresiae in Deo conquirendo celebravit, eam orationis pariter ac theologalis spei proposuit magistram, specimen communionis cum Ecclesia, eius doctrinarum investigationem magistris et educatoribus suasit, pastoribus et ipsis theologis (cfr ***AAS*** 65 [1973] pp. 12-15). Nos Ipsos crebrius iuvit recogitare de Sanctae figura doctrinaque, maxime visitationis memorabilis Nostrae tempore apud Lexovium, die videlicet II mensis Iunii anno MCMLXXX, cum adstantibus universis ediximus: « De Teresia Lexoviensi quisque potest certo animo dicere Spiritum Dei eius cordi concessisse ut nostrae aetatis hominibus recta via, principale mysterium, veritatem Evangelii patefaceret ... Illa "parva via" est "sanctae infantiae" via. Hac in via aliquid subest omnino unicum, ingeniosum inventum sanctae Teresiae Lexoviensis. Simul vero inest confirmatio ac renovatio veritatis plane fundamentalis atque universalis. Quae enim Evangelici nuntii pars magis revera est fundamentalis magisve universalis quam haec: Pater noster est Deus nosque Eius liberi sumus? » ***(Insegnamenti di Giovanni Paolo II,*** vol. III/1 1980 p. 1659).

Brevia haec indicia continuatae seriei testificationum Pontificum saeculi nostri de sanctimonia ac doctrina sanctae Teresiae a Iesu Infante deque latissima eius nuntii disseminatione luculenter testantur quantum amplexata sit Ecclesia suis in pastoribus ac fidelibus spiritale huius iuvenis Sanctae magisterium.

Ecclesialis agnitionis doctrinarum Sanctae testimonium est recursus ad eius doctrinam qui in compluribus fit Magisterii ordinarii Ecclesiae documentis, praesertim cum de contemplativa ac missionali vocatione fit sermo, de fiducia erga Deum iustum et clementem, de christiana laetitia, de vocatione ad sanctitatem. Huius praeterea rei comprobatio est ipsa principiorum eius usurpatio in nuperrime promulgato ***Catechismo Catholicae Ecclesiae*** (nn. 127, 826, 956, 1011, 2011, 2558). Ea, cui tantopere placuit apud catechismum veritates fidei discere, digna est habita quae praestantes inter magisterii catholici recenseretur auctores.

Praedita est Teresia singulari universalitate. Recepta sunt mirabiliter semper ubique et etiam nunc eius persona atque evangelicus nuntius « par-

vae viae » fiduciae spiritalisque infantiae, quod quidem per omnes iam terrarum fines sentitur.

Viros in primis ac feminas afficit nuntii eius impulsio, quorum sanctitatem atque virtutum heroicam rationem ipsa agnovit Ecclesia, Ecclesiae pastores cultoresque theologiae et spiritualitatis, presbyteros sacrorumque alumnos, religiosos ac religiosas, ecclesiales motus novasque communitates, cuiusque condicionis et continentis viros ac feminas. Singulis his suum praebet Teresia testimonium, christianum scilicet mysterium, cuius facta est ipsa testis immo et apostola semet reddens in precatione, prout audacter illa eloquitur, « apostolorum apostolam » ***(Ms A*** 56 r), ad litteram suscipi oportere quam maxima cum rerum ipsarum comprehensione, quandoquidem vim in tempore ac spatio habeat universalem. Eius doctrinae virtus in eo consistit quod concreto modo explicat qua via universae Iesu promissiones compleantur in homine credente qui sua in vita salutarem Redemptoris praesentiam percipere fidenter noverit.

11. Clarissime testificantur hae omnes rationes utilitatem praesentem doctrinarum Lexoviensis Sanctae nec non impulsum peculiarem magisterii eius in temporum nostrorum mulieres ac viros. Accidunt praeterea in ea quaedam rerum adiuncta unde significantior fit eius destinatio in Magistram Ecclesiae temporis nostri.

Femina insuper Teresia est quae, ad Evangelium accedens, abditas illius divitias eruere potuit illa concreta ratione ac profunda in vitam sapientiamque resonantia quae ingenii omnino feminei sunt propriae. Ex sanctarum mulierum multitudine, quae ob Evangelii sapientiam refulgent, eminet Teresia suam propter universalitatem.

Contemplativa insuper est ipsa. In Carmeli sui latebris maximum christianae experientiae eventum ita vixit ut latitudinem, longitudinem, altitudinem et profunditatem amoris Christi cognosceret (cfr ***Eph*** 3, 18-19). Noluit Deus ut perpetuo sua absconderentur arcana, ideo Teresiam idoneam fecit quae Regis secreta reseraret (cfr ***Ms C*** 2 v). Vivendo testatur sane Teresia et theologica ratione persequitur vitae contemplativae pulchritudinem veluti deditionis penitus effectae Christo, Ecclesiae Sponso, atque vivae affirmationis dominatus Dei in omnia. Abscondita est eius vita quae ad Evangelium prolatandum arcanam in se continet fertilitatem quaeque Ecclesiam et orbem bono replet Christi odore (cfr ***LT*** 169, 2 v).

Iuvenis demum Teresia est Lexoviensis. Sua fiorenti in adulescentia sanctimoniae est maturitatem adepta (cfr ***Ms Car).*** Hanc ob causam Ma-

gistram evangelicae vitae se exhibet aptam potissimum ad semitas collustrandas iuvenum quorum munus erit se actores Evangeliique testes praebere apud posteras gentes.

Non modo Ecclesiae Doctor maxime iuvenis aetate est Teresia a Iesu Infante verum etiam tempore ad nos quam proxima, unde continuum indicare videtur tenorem quo Spiritus Domini in Ecclesiam nuntiatores utriusque sexus mittere pergit tamquam praeceptores ac fidei testes. Quaecumque enim incidere possint varietates per historiae aetates et praeter omnes repercussus quos ille ad vitam hominum cuiusque aetatis et mentem habere possunt, praeterire non licet continuum illud vinculum quod inter se Doctores Ecclesiae coniungit: omnibus quidem in historiae adiunctis testes illi permanent Evangelii quod numquam mutatur, atque luce ac virtute sibi a Spiritu concessis, nuntiatores illius se praestant, ut sui temporis hominibus idem Evangelium propria nuntient in integritate. Magistra est Teresia nostra aetate, cum tanta sitis est vocis vivae et essentialis, testimoniorum heroicorum et credibilium. Qua de causa diligitur aequabiliter et recipitur a fratribus ac sororibus aliarum communitatum christianarum atque vel non christianarum.

12. Hoc anno, quo centenaria recolitur memoria obitus insignis Teresiae a Iesu Infante et a Sacro Vultu, dum ad anni bis millesimi Magnum Iubilaeum comparamur celebrandum, plurimis et singularis auctoritatis precibus receptis praesertim a multis totum per orbem Episcoporum Conferentiis, atque publica petitione agnita, sive ***Supplici Libello,*** Nobis die VIII mensis Martii anno MCMXCVII inscripto tum ab Episcopo Baiocensi-Lexoviensi tum a Praeposito Generali Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo eiusdemque Ordinis Postulatore Generali, decrevimus Nos Congregationi de Causis Sanctorum studium peculiare committere ad huic Sanctae titulum Doctoratus tribuendum, « praehabito voto Congregationis pro Doctrina Fidei ad eminentem doctrinam quod attinet » (Const. Ap. ***Pastor bonus,*** 73).

Necessariis conglobatis documentis, memoratae superius binae Congregationes quaestionem sua apud propria consilia pertractaverunt: Congregatio pro Doctrina Fidei die v mensis Maii anno MCMXCVII quod spectat ad « eminentem doctrinam »; Congregatio de Causis Sanctorum die xxix Maii mensis eiusdem anni ut singularem « Positionem » perscrutaretur. Die xvn subsequentis mensis Iunii, Eminentissimi Cardinales atque Excellentissimi Episcopi sodales earundem Congregationum, sequentes rationem agendi a Nobis

huius rei causa confirmatam, convenerunt plenariam in sessionem « interdicasterialem » atque Causam excusserunt. Universos se ad unum consentire declaraverunt ut sanctae Teresiae a Iesu Infante et a Sacro Vultu Ecclesiae universalis Doctoris adderetur titulus. Hanc Nobis deinceps coram in conspectu aperuerunt sententiam Venerabilis Frater Noster Iosephus Cardinalis Ratzinger, Praefectus Congregationis pro Doctrina Fidei, nec non Venerabilis Frater Albertus Bovone Pro-Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, Archiepiscopus titulo Caesariensis in Numidia.

His omnibus proinde expensis, superiore die xxiv mensis Augusti, precationem Angelicam persolventes, ante fratres centenos episcopos pariterque innumerabilem ex omni orbe iuvenum turmam Parisios ob xn Diem Iuventutis Mundialem advocatam, voluimus praesentes Nos Ipsi voluntatem consiliumque aperire Teresiae a Iesu Infante et a Sacro Vultu renuntiandae Ecclesiae universalis Doctoris data opportunitate Mundialis Diei Missionum Romae brevi eventuri.

Hodie quidem die xix mensis Octobris, in Petriana area fidelibus ex omni terrarum provincia constipata, adstantibus Cardinalibus compluribus plurimisque Archiepiscopis et Episcopis, media in ipsa Eucharistica celebratione Doctorem universalis Ecclesiae pronuntiavimus proclamavimusque hisce ipsissimis vocibus Teresiam a Iesu Infante et a Sacro Vultu: « Nos, vota multorum Fratrum in episcopatu plurimorumque christifidelium totius orbis explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, praehabito voto Congregationis pro Doctrina Fidei ad eminentem doctrinam quod attinet, certa scientia ac matura deliberatione deque apostolicae potestatis plenitudine Sanctam Teresiam a Iesu Infante et a Sacro Vultu, virginem, Ecclesiae Universalis Doctorem declaramus. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

His igitur rite peractis, decernimus ut hae Litterae Nostrae religiose serventur suosque effectus sive nunc sive in posterum plene habeant; atque praeterea sic apte sit iudicandum ac definiendum, irritumque et inane fiat, si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die undevicesimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo septimo, Pontificatus Nostri vicesimo.

IOANNES PAULUS PP. II

Loco ffi Sigilli
In Secret Status tab., n.. 420.117

II

Venerabili Dei Servo Ioanni Baptistae Scalabrini Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum» (Io 11,52). Domini vestigiis insistens, Ioannes Baptista Scalabrini episcopus singulari profecto modo sollicitus fuit de illis Christifidelibus qui, emigrationis causa, in alienis nationibus vitam degebant. Clarus ille Ecclesiae pastor, tertius ex octo filiis, ortus est die VIII mensis Iulii a. MDCCCXXXIX in oppido v. d. Fino Mornasco prope Italicam urbem Comuni. Sacerdotio initiatus a. MDCCCLXIII, munus professoris et moderatoris Seminarii minoris Comensis nec non officium parochi magno cum animorum profectu exercuit. Papa Pius IX, Decessor Noster fel. rec, prae oculis habens apostolicum iuvenis sacerdotis zelum nec non pastoralem peritiam, eum Episcopum Placentinum constituit. Aetate illa saecularis humani cultus, Ioannes Baptista Scalabrini spiritalem vitam communitatis sibi concreditae corroboravit tum per cotidianum sacrum ministerium tum per navitatem caritatis operibus deditam atque per pauperibus praebitam opitulationem. Congregationes Missionariorum et Missionariarum a S. Carolo fundavit, ut pastoralem curam agerent de illis qui patriam reliquerant variis de causis atque emigrantibus Christi Evangelium nuntiarent, eorumque christianam vitam et culturam ita alerent ut ipsi quoque ad propagandam fidem quadam providentia curam impenderent. Ad catechesim multis modis tradendam, commentaria instituit quibus nomen « Il catechista Cattolico ». Ob innumera apostolatus opera, a Pio IX iure meritoque titulo « Catechismi apostolus » est insignitus atque a Pio XII « Migrantium pater » est appellatus. Sacerdotale et episcopale munus exercens, coniunctionem cum Deo usque corroboravit Eucharistiae perdiligenti celebratione, contemplatione nec non cotidiana Sacrarum Scripturarum meditatione. Sacerdotibus suis totique dioecesi sibi creditae testimonium perhibuit singularis fidelitatis erga Deum et hominem, altae christianae spei nec non constantis animi in angustiis difficultatibusque superandis. Vir sapiens, vigilans divinum Pastorem exspectavit, qui eum ad se vocavit die I mensis Iunii anno MCMV, in sollemnitate Ascensionis Domini. Beatificationis canonizationisque Causa anno MCMXXXVI ab Episcopo Piacentino coepta est. Nosmet Ipsi, die XVI mensis Martii anno MCMLXXXVII, declaravimus Dei Servum heroum in mo-

dum virtutes théologales et cardinales exercuisse. Felici deinde exitu mira sanatio pervestigata est apud Curiam Placentinam nec non apud Congregationem de Causis Sanctorum intercessioni Servi Dei adtributa. Die VII mensis Iulii anno MCMXCVII, « constare de miraculo » declaravimus, deinde decrevimus ut ritus beatificationis celebraretur Romae die ix mensis Novembris eiusdem anni. Hodie igitur, in foro ad Vaticanam Basilicam Sancti Petri patente, inter Missarum sollemnia hanc ediximus formulam: « Nos, vota Fratrum Nostrorum Ludovici Pápai, Episcopi Iaurinensis, Luciani Monari, Episcopi Placentini-Bobiensis, et Ioannis Cardinalis Sandoval Iñiguez, Archiepiscopi Guadalaiarensis, nec non plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque Christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Guillelmus Apor, Ioannes Baptista Scalabrini et Maria Vincentia a Sancta Dorothea Chávez Orozco Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Guillelmi Apor die vicesima tertia Maii, Ioannis Baptistae Scalabrini die prima Iunii et Mariae Vincentiae a Sancta Dorothea Chávez Orozco die undevicesima Iulii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Quae autem his Litteris Nostris decrevimus nunc et in posterum atque ubique terrarum rata et firma perstare volumus, contrariis rebus minime efficientibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die ix mensis Novembris anno MCMXCVII, Pontificatus Nostri vicesimo.

£8 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco 83 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 431.776

III

Venerabili Servae Dei Mariae a Monte Carmelo Salles y Barangueras beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in caelestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut esse-

mus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate » ***(Eph I,*** 3-4). Conscientia vocationis ad vitam coram Deo in caritate gerendam Venerabilem Servam Dei Mariam a Monte Carmelo Salles y Barangueras tam in vita personali quam in opere apostolico sustentavit magnamque ei tribuit vim ad dolores sustinendos et discrimina superanda in sequela Christi. A parentibus Iosepho Salles y Vali et Francisca Barangueras y de Plannel nata est Ausaniae in Hispania die ix mensis Aprilis anno MDCCCXLVIII. Minorissae Litteras didicit apud collegium « Societatis Mariae », cuius Marialis spiritalitas eam fulcivit ut intentiore animo viveret dogmaticam recentem definitionem Immaculatae Conceptionis. Ad Deiparae pedes provoluta, in Sanctuario Dominae Nostrae a Monte Serrato dicato, se vocari percepit ut totam Christo se dederet. Anno MDCCCLXIX, eucharistico allecta spiritu quo Sorores Adoratrices Sanctissimum Sacramentum colere consueverant, in pago Gracia tirocinium iniit, quod sequenti anno reliquit, quia consilium cepit humanae et christianae mulierum promotionem fovendi. De spiritalis moderatoris consilio, anno MDCCCLXXI ingressa est Congregationem Tertiariarum Dominicanarum, quae puellis instituendis navabant operam, atque noviciatus expleto tempore religiosam emisit professionem. Munera docentis, moderatricis scholae nec non Antistitae communitatis Barcinonensis optime explevit. Quibusdam exortis difficultatibus, Institutum reliquit atque cum aliis septem sororibus anno MDCCCXCII in urbe Burgo Congregationem Conceptionistarum Missionariarum ab Instructione condidit, quam Decessor Noster sanctus Pius X anno MCMVIII approbavit. Serva Dei, quae Antistita generalis exstitit quoad vixit, diligenter curavit institutionem spiritalem et culturalem Sororum, quas voluit « sicut fontem qui, per studium et orationem, scientia et virtute impletur ». Optabat enim ut in propriis collegiis institutio amplior quam in aliis traderetur, ea tamen condicione ut congruens inter fidem et culturam gradus servaretur. « Instructio — aiebat — ex se ipsa non sufficit; ingredi necesse est in ambitum pietatis, sese in animas puellarum immittere ad eas cum Christo coniungendas ». Per undeviginti annorum spatium Venerabilis Dei Serva tredecim in Hispania condidit communitates, collegia aperuit, pluribusque cuiusque generis difficultatibus coacta est mederi. Omnibus exemplum exstitit fidelitatis erga Deum et Ecclesiam. Meritis onusta, obiit in Christo die xxv mensis Iulii anno MCMXI. Sanctimoniae fama, quae eam viventem instruebat, post eius obitum auxit, quapropter Episcopus Matritensis anno MCMXLVI causam incohavit beatificationis et canonizationis. Servatis de iure servandis, Nosmet Ipsi die xvn mensis De-

cembris anno MCMXCVI declaravimus Servam Dei virtutes théologales, cardinales iisque adnexas heroum in gradum exercuisse. Deinde examini subiecta est mira quaedam sanatio, intercessioni eiusdem Venerabilis Servae Dei adscripta, Nobis coram die xvni mensis Decembris anno MCMXCVII decretum prodiit super miraculo, qua de re statuimus ut ritus beatificationis die xv mensis Martii anno MCMXCVIII Romae celebraretur. Hodie igitur in Vaticana Basilica, inter Missarum sollemnia hanc ediximus formulam: « Nos, vota Fratrum Nostrorum Petri Christov, Episcopi Nicopolitani, Luciani Monari, Episcopi Placentini-Bobiensis, et Antonii Mariae Cardinalis Rouco Várela, Archiepiscopi Matritensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Vincentius Eugenius Bossilkov, Birgitta a Iesu Morello et Maria a Monte Carmelo **Salles y** Barangueras Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Vincentii Eugenii Bossilkov die decima tertia Novembris; Birgittae a Iesu Morello die quarta Septembris; et Mariae a Monte Carmelo **Salles y** Barangueras die sexta Decembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Quae vero hisce Litteris decrevimus volumus firma esse ac rata in perpetuum, contrariis rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xv mensis Martii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

ÊB ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 429,771

IV

Venerabili Dei Servae Mariae Sagrario a Sancto Aloisio Gonzaga Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam quis ponat pro amicis suis » (Io 15, 13).

Venerabilis Dei Serva Maria Sagrario a Sancto Aloisio Gonzaga, quae saeculari nomine Elvira Moragas Cantarero appellabatur, suam penitus vi-

tam pro Eo proximoque ad sui usque sacrificium huic Iesu mandato aequavit. Hispania in oppido quodam, quod Lillo vocant Toletanae urbis, die VIII mensis Ianuarii anno MDCCCLXXXI, Richardo Moragas Ucelay, pharmacopola, atque Isabella Cantarero Vargas parentibus orta est; ab his, qui veram « ecclesiam domesticam » efficiebant, solidam christianam humanamque institutionem recepit. Eucharistia perinde ac in Virginem Mariam pietas cardo fuerunt eius exsistentiae. Anno MCMV Matriti, quo eius familia sese contulerat, in pharmaceutica disciplina lauream est consecuta, quam artem christiano caritatis famulatusque sensu in indigentes potissimum complures annos exercuit. Sed ipsa se apud moniales Ordinis Discalceatorum B. Mariae V. de Monte Carmelo Deo devovere studebat. Itaque anno MCMXV Sanctae Annae et Sancti Iosephi coenobium Matriti ingressa est ibique anno MCMXX perpetua vota nuncupavit. Varia munia exinde sustinuit, inter quae antistitae noviciarumque magistrae officium tuita est, plane in se patefaciens perfectam in oboedientia servitioque Carmeli vitam. Dei cruci affixi sponsa, ipsius sortem experiri voluit. Cum bellum exsarsit civile (annis MCMXXXVI-MCMXXXIX) itemque adversus Ecclesiam eiusque filios persecutio, Dei Serva, tunc temporis antistita, operam suam in sorores tuendas omni cura maternoque amore contulit. Die xiv mensis Augusti anno MCMXXXVI capta est et in carcerem delata, ubi nonnullae eius communitatis sorores custodiebantur. Firmiter tranquilleque se gessit. Genibus nixa oravit seseque ad mortem comparavit, cum Virginem Sanctissimam blasphemarent persecutores. Albescente caelo, die xv mensis Augusti anno MCMXXXVI in loco « Pradera de San Isidro », apud Matritum, manuballista necata est, quae usque ad finem fidelis mansit suae consecrationi. Eius testimonium verum habitum est martyrium atque opinio haec annorum decursu increbruit, ideo Matritensis Archiepiscopus, anno MCMLXII, Beatificationis seu declarationis martyrii Causam incohavit. Die VIII mensis Aprilis anno MCMXCVII, Nobis coram Decretum super Martyrio prodiit. Idcirco statuimus ut Beatificationis ritus Romae, die x mensis Maii anno MCMXCVIII, in Petriano foro ageretur. Hodie igitur, in foro ad Vaticanam Basilicam Sancti Petri spectante, inter Missarum sollemnia hanc ediximus formulam: « Nos vota Fratrum Nostrorum Antonii Mariae Cardinalis Rouco Várela, Archiepiscopi Matritensis, Nasrallah Petri Cardinalis Sfeir, Patriarchae Antiocheni Maronitarum, et Francisci Iosephi Pérez y Fernández-Golfín, Episcopi Xetafensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica

facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Rita a Virgine Perdolente Pujalte Sánchez et Francisca a Corde Iesu Aldea Araujo, Maria Gabriela Hinojosa et Sociae, Maria Sagrario a Sancto Aloisio Gonzaga Elvira Moragas Cantarero, Nimatullacius Iosephus Kassab Al-Hardini et Maria Maravillas a Iesu Pidal y Chico de Guzmán Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum die ipsorum natali: Ritae a Virgine Perdolente Pujalte Sánchez et Franciscae a Corde Iesu Aldea Araujo, die vicesima Iulii; Mariae Gabrielae Hinojosa et Sociarum, die decima octava Novembris; Mariae Sagrario a Sancto Aloisio Gonzaga, Elvirae Moragas Cantarero, die decima sexta Augusti; Nimatullacii Iosephi Kassab Al-Hardini, die decima quarta Decembris; et Mariae Maravillas a Iesu Pidal y Chico de Guzmán, die undecima Decembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Quae autem his Litteris decrevimus nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die x mensis Maii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco 83 Sigilli
In Secret, Status tab., n. 434.588

V

Ecclesia abbatialis, quae in urbe « Belmont » intra fines Carolinanae dioecesis beatae Mariae Virgini « Auxilio Christianorum » est dicata, ad Basilicae minoris gradum dignitatemque evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Sacras aedes, quae historia ac religione nitent, consueverunt Romani Pontifices praecipuis honoribus decorare. Quibus accensenda esse videtur ecclesia abbatialis in urbe « Belmont » intra fines Carolinanae dioecesis beatae Mariae Virgini « Auxilio Christianorum » dicata, quae, praeterito saeculo aedificata auxiliante Catharina Drexel, S.B.S., postea in beatorum numerum referta, primarium centrum fuit catholicae evangelizationis in Carolina Septemtrionali et nunc exstat quidam fons spi-

ritualis vitae secundum charisma Benedectinum necnon sacrae liturgiae et oecumenici motus. Qua re, cum Venerabilis Frater Ioannes Franciscus Donoghue, tunc Episcopus Carolinanus, litteris die xn mensis Februarii anno **MCMXCiii** datis, etiam Reverendissimi Abbatis monachorumque eiusdem templi itemque cleri populique sui nomine postulaverit ut eandem sacram aedem titulo ac dignitate Basilicae minoris honestaremus, Nos, paternae benevolentiae documentum istis dilectis filiis cupientes praebere, enixis precibus perquam libenter obsecundandum esse putamus. E sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus, summa Apostolica potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum ecclesiam abbatialem, de qua mentionem fecimus, ad Basilicae minoris gradum dignitatemque evehimus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae templis hoc nomine insignitis rite competunt, iis tamen servatis, quae secundum Decretum « De titulo Basilicae minoris » die ix mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, servanda sunt. Has denique Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxvn mensis Iulii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

6B ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 434.104

VI

Abbatiale templum Sancto Benedicto abbati dicatum ipsumque in archidioecesi Olindensi et Recifensi situm, ad dignitatem Basilicae minoris attollitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Spectabile quidem templum sancti Benedicti Abbatis, quod intra archidioecesim Olindensem et Recifensem invenitur, satis antiquam repetit memoriam. Ibidem Sanctus ille praeclarus non modo colendus exhibetur, sed eiusdem mens et praecepta cunctis demonstrantur. Insignes insuper reperiuntur sanctorum reliquiae, quae non solum praeterita eximiaque exempla significent, sed ad ulteriora maioraque pa-

tranda incitent. Pastoralis praeterea ibidem actio efficaciter explicatur ad communitatis ecclesialis utilitatem ac spiritalem progressum. His ob oculos habitis rebus, Venerabilis Fratris Iosephi Cardoso Sobrinho, Archiepiscopi Olindensis et Recifensis, precibus occurrendum sine cunctatione censuimus, qui suum simul ostendens postulatum simul suorum fidelium, enixe efflagitavit ut abbatiale templum Sancto Benedicto dicatum, quod in ipsius Archidioecesi reperitur, in Basilicarum minorum album referretur. Itaque ea quae statuit Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum comprobantes, factis a Nobis quondam potestatibus, Apostolica pro Nostra auctoritate sacrum aedificium, de quo supra est facta mentio, Basilicae minoris dignitate honestamus ac decoramus, cunctis additis iuribus et privilegiis, quae ad id genus templa pertinent. Serventur deinde quae decretum iubet « de titulo Basilicae minoris » die IX mensis Novembris, anno MCMLXXXIX evulgatum, quibuslibet minime obsistentibus rebus.

Omnes profecto sat sciunt quae saeculorum decursu fuerit sancti Benedicti praestantia quodque momentum. Ad eiusdem ideo opera mentem et animum referentes qui nunc sunt fideles, studiose potiora ac probatiora continenter eligant.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Iulii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco 83 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 434.564

VII

Templum Sanctae Cruci dicatum, intra fines dioecesis Scepusiensis et in loco Kezmarek situm, dignitate et titulo Basilicae minoris exornatur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Celebre templum hoc antiquam repetit memoriam, quod simul insigne catholicae operae est testimonium, simul pietatis significatio. Quaedam ibidem ornamenta praeterea exstant quae dominici gregis fidei fervorem et eius studiosam curam in templum hoc demonstrant. Sacrum enim Vexillum veneraturi supernumque auxilium peti-

turi per annorum cursum illuc accedunt christifideles. Nos autem, his spectatis rationibus, Venerabilis Fratris Francisci Tondra, Episcopi Scepusiensis, precibus occurrere voluimus, qui tum suum significans postulatum tum suorum fidelium, enixe efflagitaverit ut paroeciale sanctuarium, Sanctae Cruci dicatum et in loco Kezmarek intra fines eius dioecesis situm, in Basilicarum minorum album referretur.

Itaque ea quae statuit Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum comprobantes, factis a Nobis quondam potestatibus, Apostolica usi auctoritate sacrum aedificium, de quo supra facta est mentio, Basilicae minoris dignitate et titulo honestamus, cunctis additis iuribus et privilegiis, quae ad id genus templa pertinent. Serventur sane quod decretum iubet « De titulo Basilicae minoris » die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum. Quibuslibet minime obsistentibus rebus. Demum Iesum Christum cruci affixum plurima prece deprecamur, ut fideles ibidem et quotquot illuc pervenient custodiat, soletur, suis afficiat beneficiis.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIX mensis Iulii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

ffi ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 434.565

VIII

Sanctuarium beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae, quod in loco « Gidle » intra fines archidioecesis Cestochoviensis exstat, ad Basilicae minoris gradum dignitatemque evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Claris templis archidioecesis Cestochoviensis iure meritoque accensendum esse videtur sanctuarium beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae in loco « Gidle » exstans, ad quod pii peregrinatores, praesertim agricolae ac metallici fossores, dilectissimae Patriae Nostrae Poloniae frequentes accedunt veneraturi prodigialem imaginem Dei Genetricis, quae eodem in loco antiquitus mire inventa, dein, anno MCMXXIII, a sacrorum Antistite Stanislao Zdzitowiecki sollemniter est coro-

nata. Qua re, eum Venerabilis Frater Stanislaus Nowak, Archiepiscopus Metropolita memoratae Sedis, litteris die x mensis Martii hoc anno datis, etiam nomine sodalium Ordinis Fratrum Praedicatorum, cleri populique sui postulaverit ut templum idem titulo ac dignitate Basilicae minoris honestaremus, Nos, paternae benevolentiae documentum cupientes praebere, tam sollertis Pastoris precibus perquam libenter obsecundandum esse putamus. E sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus, summa Apostolica potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum sanctuarium, de quo mentionem fecimus, ad Basilicae minoris gradum dignitatemque evehimus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competunt, iis tamen servatis, quae secundum Decretum « De titulo Basilicae minoris » die ix mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, servanda sunt. Has denique Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxix mensis Iulii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 434.968

IX

Sanctuarium Conceptioni Beatae Mariae Virginis dicatum ipsique in dioecesi Tulancingensi situm, ad dignitatem Basilicae minoris attollitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — In Virginem Mariam luculentas pietatis testificationes Mexicanae gentes saeculorum decursu reddiderunt, cui quidem compluria templa signaque sacra pientissime dicarunt. Inter ista venustum annumeratur templum Ipsi addictum, basilicas Romanas imitatum, quod in loco « Chignahuapan » reperitur. Conspicuum ibidem Deiparae signum asservatur resque ad cultum pulchre explicandum necessariae inveniuntur. Nos autem, his spectatis rationibus, huius templi considerata praestantia necnon spiritalis vitae ponderato momento, Venerabilis Fratris Pe-

dri Aranda Díaz, Episcopi Tulancingensis, precibus concedere voluimus, qui suum tum significans postulatum tum suorum fidelium, plurima prece efflagitavit ut sanctuarium Conceptioni Beatae Mariae Virginis dicatum, quod in loco « Chignahuapan » ponitur, intra suae dioecesis fines, in Basilicarum minorum album referretur. Itaque ea quae statuit Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum comprobantes, factis a Nobis quondam potestatibus, Apostolica usi auctoritate sacrum aedificium, de quo supra est facta mentio, Basilicae minoris dignitate decoramus, cunctis additis iuribus et privilegiis, quae ad id genus templa pertinent. Serventur deinde quae decretum iubet « de titulo Basilicae minoris » die IX mensis Novembris, anno MCMLXXXIX foras emissum, quibuslibet minime obsistentibus rebus. Ceterum Christi Matrem exoramus, ut fideles cunctos ipsa opifera supernis beneficiis cumulet. Eos pariter cohortamur ut hoc firmo roborati patrocinio, renovatis propositis, studiosius in eiusdem pietatem spiritalemque progressum incumbant.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Augusti, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 438.563

X

Sanctuarium Tlalnepantlanae archidioecesis, quod est dicatum beatae Mariae Virgini titulo « Nuestra Señora de los Remedios » invocatae, ad Basilicae minoris gradum dignitatemque evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Sacras inter aedes Tlalnepantlanae archidioecesis merito celebratur sanctuarium beatae Mariae Virginis titulo « Nuestra Señora del los Remedios », cuius antiqua ac prodigialis imago ibidem servata atque anno MCMLXXIV « nomine et auctoritate Summi Pontificis » coronata utpote dioecesani cleri Regina, impensa pietate colitur a presbyteris et fidelibus eiusdem Ecclesiae, quae eandem Virginem suam Patronam habet. Constat insuper hoc templum, notum centrum spiritualis vitae operumque caritatis, apud quod aedificatum fuit Seminarium maius, esse

arte coniunctum cum Nostra Patriarchali Basilica Lateranensi de Urbe. Qua re, cum Excellentissimus Dominus Emmanuel Pérez-Gil González, bo. mem., tunc Archiepiscopus Metropolita Tlalnepantlanus, litteris die xxi mensis Novembris anno MCMXCIV datis, etiam cleri populique sui nomine postulaverit ut templum idem titulo ac dignitate Basilicae minoris honestaremus, Nos, paternae benevolentiae documentum dilectis filiis Mexicanis cupientes praebere, enixis precibus nunc libenter obsecundandum esse putamus. Ratis igitur plane habitis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, tributis a Nobis facultatibus, hac in re egit, summa Apostolica potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum sanctuarium, quod diximus, ad Basilicae minoris gradum dignitatemque evehimus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competunt, iis tamen servatis, quae secundum Decretum « De titulo Basilicae minoris » die ix mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, servanda sunt. Has denique Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxv mensis Augusti, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ® Sigilli
In Secret. Status tab., n. 438.564

XI

Paroeciale templum Sacratissimo Cordi Iesu dicatum et in dioecesi Syracusensi locatimi ad dignitatem Basilicae minoris attollitur

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Flagrantem sane annorum decursu fideles pietatem in Sacratissimum Cor Iesu demonstraverunt, plane scientes inde salienti veluti quodam ex fonte complura spiritalia beneficia evenire. Quapropter, prompta sane voluntate postulata Venerabilis Fratris Iosephi Thomae 0'Keefe, Episcopi quondam Syracusensis, exaudienda existimavimus, qui sua significans vota suorumque pariter fidelium efflagitavit ut templum Sacratissimo Cordi Iesu dicatum idemque sua in dioecesi situm, in

Basilicarum minorum catalogum referretur. Idem enim templum venustis artificiis distinguitur ac sacris reliquiis locupletatur ibidemque efficax pastoralis opera explicatur. Quapropter ea plane comprobantes quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum statuit, Apostolica usi Nostra potestate sacrum aedificium quod supra memoravimus inter Basilicas minores adscribimus, omnibus item tributis privilegiis et iuribus id genus templis consentaneis. Servetur quidem Decretum « de titulo Basilicae minoris », die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX evulgatum, quibusvis rebus minime officientibus.

Si quidem antehac hoc in loco fideles pietatem fidemque colebant, in posterum tempus exoptamus ut ibidem iidem maiore animi impetu in Sacratissimum Cor Iesu se convertant, ut supernos favores quam plurimos consequantur et caelestia praesidia adipiscantur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Augusti, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco 83 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 434.202

XII

Sanctuarium Beatae Mariae Virgini de Monte Carmelo et Sanctae Teresiae dicatum, popularique sermone « National Shrine of the Little Flower » dictum, ipsumque intra archidioecesis Sancti Antonii fines situm, in catalogum Basilicarum minorum refertur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Inter Sancti Antonii archidioecesis fines mirabile visu exstat templum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo et Sanctae Teresiae, quippe quod compluribus artificiis locupletetur et artis operibus decoretur. Ibidem insuper peculiarem in Virginem Mariam ac in Sanctam Teresiam Lexoviensem, parvum Iesu florem, animi affectionem demonstrant fideles. Congruentes igitur iustasque repperimus causas postulatis satisfaciendi, quae nuper admovit Venerabilis Frater Patricius F. Flores, Archiepiscopus Sancti Antonii qui, vota cleri fideliumque significans,

flagitavit ut Beatae Mariae Virgini de Monte Carmelo et Sanctae Teresiae dicatum templum, quod « National Stirine of the Little Flower » appellant, ipsius in dioecesi situm, inter Basilicas minores referretur, iuribus et privilegiis publice riteque locupletaretur. Itaque rata omnino habentes quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum statuit, Apostolica Nostra pro auctoritate, sacrum aedificium de quo supra est facta mentio, Basilicarum Minorum dignitate tituloque honestamus, omnibus iuribus et privilegiis templis his consentaneis exornamus. Teneatur deinde Decretum « de titulo Basilicae minoris », die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX evulgatum, contrariis rebus minime efficientibus quibuslibet.

Ceterum, exoptamus ut fideles ad sanctuarium hoc accessuri spiritalia beneficia quam plenissime adipiscantur alacriusque christiana opera gerant.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxvn mensis Augusti, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 438.565

XIII

Paroecialis aedes Beatae Mariae Virgini sub vocabulo Reginae Poloniae dicata, intra dioecesis Sandomiriensis fines sita, in catalogum Basilicarum minorum refertur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Usque viguit inter Polonas gentes in Virginem Mariam pietas, quam ipsae saeculorum decursu studiose coluerunt eidemque innumera sacra aedificia animose dicarunt. Congruentes igitur iustasque repperimus causas postulatis satisfaciendi, quae nuper admovit Venerabilis Frater Venceslaus Swierzawski, Episcopus Sandomiriensis, qui, vota cleri fideliumque significans, rerum liturgicarum studio permotus, flagitavit ut Beatae Mariae Virginis sub titulo « Reginae Poloniae » templum, in loco « Stalowa Wola », ipsius in dioecesi situm, inter Basilicas minores referretur, iuribus et privilegiis publice riteque locupletaretur. Itaque rata omnino habentes quae, Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramento-

rum statuit, Apostolica Nostra usi auctoritate, sacrum aedificium de quo supra est facta mentio, quod olim Nos Ipsi dedicavimus, in numerum Basilicarum minorum adscribimus, omnibus iuribus et privilegiis templis his consentaneis exornamus. Teneatur deinde Decretum « de titulo Basilicae minoris », die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX evulgatum, contrariis rebus minime efficientibus quibuslibet. Ceterum templi huius aedificatio solidam fidem demonstrat et fervidam in caelestem Matrem affectionem. Tales quidem testificationes exoptamus ut futuro quoque de tempore a cunctis fidelibus continenter reddantur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXXI mensis Augusti, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri vicesimo.

68 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 438.683

XIV

Beatae Mariae Virginis sub vocabulo « Nuestra Señora de la Misericordia » imago, quae in urbe Burriana colitur, nomine et auctoritate Summi Pontificis coronatur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Procendentibus christianae salutis temporibus omnium ordinum fideles ad Virginem Mariam fidenti animo decurrerunt, probe scientes superna se beneficia indulgenter accepturos. Nos vero hanc pietatem cupimus augeri et proferri, ideoque subveniendum censuimus postulatis Venerabilis Fratris Ioannis Antonii Reig Pia, Episcopi Segobricensis-Castellionensis, qui poposcit, ut clara imago Beatae Mariae Virginis « Nuestra Señora de la Misericordia », quae in urbe Burriana colitur, nomine auctoritateque Nostra pretioso diademate coronaretur. Itaque, probatis iis quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum statuit, potestatis Nostrae usi plenitudine, concedimus ut Beatae Mariae Virginis imago quam supra memoravimus pretioso diademate nomine Nostro Nostraque auctoritate redimiri possit, ob oculos videlicet sacrae liturgiae habitis praescriptis. Ceterum enixe huius loci fideles cohortamur, ut maiorum sectantes

exempla, Virginis imagine eximiis honoribus elata, maiorem in caelestem Matrem conferant pietatem ipsamque suae vitae habeant solamen ac praesidium.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Septembris anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco 83 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 441 053

XV

Templum Deo dicatum in honorem BMV sub titulo « Our Lady of Sorrows » in dioecesi Iacksoniensi ad gradum Basilicae minoris evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Animum Nostrum convertentes ad Redemptoris Matrem, quae cunctis Christifidelibus tamquam exemplar virtutum praefulget, libenter quidem occasionem capimus sacras toto in orbe aedes nomine Virginis Mariae honestatas exornandi. Ideoque, cum Venerabilis Frater Villelmus R. Houck, Episcopus Iacksoniensis, cleri populique vota interpretatus, rogaverit ut templum Deo dicatum in honorem Beatae Mariae Virginis sub titulo « Our Lady of Sorrows » in loco vulgo « Natchez » dioecesis Iacksoniensis situm ad dignitatem Basilicae minoris eveheretur, petitioni illi libenti animo obsecundare volumus. Itaque de Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum consultu, Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, statuimus ut sacra illa aedes ad titulum ac dignitate Basilicae minoris evehatur, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae templis hoc nomine insignitis rite competunt, secundum Decretum « De titulo Basilicae minoris », die ix mensis Novembris anno MCMLXXXIX datum. Contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII mensis Septembris, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco 83 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 438.946

XVI

Templum paroeciale sancti Ioannis, apostoli et evangelistae, quod in Poloniae oppido « Olesnica » intra fines Vratislaviensis archidioecesis exstat, ad Basilicae minoris gradum dignitatemque evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Sacras aedes, quae vetustate, arte, historia ac religione nitent, consueverunt Romani Pontifices praecipuis honoribus decorare. Quibus accensendum esse videtur templum paroeciale sancti Ioannis, apostoli et evangelistae, in Poloniae oppido « Olesnica » intra fines Vratislaviensis archidioecesis exstans, in quo, centro quidem spiritualis vitae operumque pastoralium et caritatis, fideles loci ac propinquorum locorum impensa pietate colunt Deiparam Virginem a Rosario. Qua re, cum Venerabilis Frater Noster Henricus Romanus S.R.E. Cardinalis Gulbinowicz, Archiepiscopus Metropolita memoratae Sedis, litteris die iv mensis Aprilis hoc anno datis, etiam cleri populique sui nomine postulaverit ut eandem ecclesiam titulo ac dignitate Basilicae minoris honestaremus, Nos, paternae benevolentiae documentum istis dilectis filiis Poloniae, Patriae Nostrae, cupientes praebere, eius sollertis Pastoris precibus perquam libenter obsecundandum esse putamus. Ratis igitur plane habitis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, tributis a Nobis facultatibus, hac in re egit, summa Apostolica potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum templum paroeciale, quod diximus, ad Basilicae minoris gradum dignitatemque evehimus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competunt, iis tamen servatis, quae secundum Decretum «De titulo Basilicae minoris » die ix mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum servanda sunt. Has denique Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die III mensis Octobris, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

68 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret, Status tab., n. 441.851

ALLOCUTIONES

I

Ad sodales Pontificii Consilii de Apostolatu pro Valetudinis administris.*

1. Sono lieto di questo incontro che si svolge in occasione delia quarta Assemblea Plenaria del Pontificio Consiglio della Pastorale per gli Operatori Sanitari. Saluto il vostro Presidente, Mons. Javier Lozano Barragán, e lo ringrazio per le cordiali parole con cui ha espresso, insieme con i comuni sentimenti di affetto, la vitalità e l'impegno del vostro giovane Dicastero.

Saluto pure tutti voi, carissimi Membri, Officiali e Consultori del Pontificio Consiglio, che siete intervenuti a questa Udienza. Attraverso di voi il mio pensiero si estende con grato apprezzamento a tutti i sacerdoti, i religiosi, i medici, gli scienziati, i ricercatori, e quanti, con sensibilità umana ed ecclesiale, sono impegnati secondo le rispettive competenze nel complesso mondo della salute.

2. Impegnative sono le tematiche che intendete affrontare nel corso di queste giornate di studio, nelle quali dedicherete un attento esame ai problemi ed alle sfide che il vasto ambito sanitario pone sul piano della pastorale della salute.

Questi primi tredici anni di attività hanno visto l'alacre e dinamico impegno del Dicastero in un settore delicato e spesso travagliato ed hanno confermato la necessità e l'urgenza del servizio ecclesiale che esso svolge. Guardo con gratitudine alle molteplici realizzazioni che, per la vostra costante premura, si sono potute attuare a sostegno dell'ammirevole disponibilità, qualche volta eroica, di medici, suore, cappellani a servizio dei malati. La pastorale sanitaria, nata dalla carità della Chiesa e testimoniata in modo eminente da molti Santi, tra cui un posto di rilievo occupano san Giovanni di Dio e san Camillo de Lellis, ha conosciuto nei secoli una straordinaria fioritura grazie all'opera di Ordini ed Istituti religiosi dediti al servizio dei malati. Essa è oggi coordinata e promossa dall'Organismo di cui, a diverso titolo, fate parte. L'ho istituito io stesso nel 1985, affidandolo all'intraprendenza del Cardinale Fiorenzo Angelini, la cui intensa attività desidero ancora ricordare con apprezzamento e gratitudine.

*** Die 9 Martii 1998.**

3. Nel raccogliere e continuare questa preziosa eredità, voi vi siete fatti carico, con senso di responsabilità e di amore, dei compiti che il Documento istitutivo assegna al Dicastero. Voi seguite, pertanto, con sollecitudine le difficili problematiche della salute, aiutando coloro che si pongono al servizio di malati e di sofferenti, affinché la loro opera risponda sempre meglio alle esigenze emergenti in questo delicato campo. Vi preoccupate, in particolare, di offrire la vostra collaborazione alle Chiese locali per far sì che agli operatori sanitari sia assicurata un'adeguata assistenza spirituale insieme con la possibilità di una seria conoscenza della dottrina della Chiesa circa gli aspetti morali della malattia ed il significato del dolore umano. Il vostro Dicastero segue, inoltre, con attenzione i problemi teorici e pratici della medicina, nonché gli sviluppi in campo legislativo della normativa sanitaria, nell'intento di salvaguardare in ogni situazione il rispetto per la dignità della persona.

Purtroppo la benefica azione di protezione e di difesa della salute trova ostacoli non solo nei molteplici fattori patogeni, antichi e recenti, che insidiano la vita sulla terra, ma qualche volta anche nella mentalità e nel comportamento degli uomini. La prepotenza, la violenza, la guerra, la droga, i sequestri di persona, l'emarginazione degli immigrati, l'aborto, l'eutanasia, sono attentati alla vita che dipendono dall'iniziativa umana. Le ideologie totalitarie, che hanno degradato l'uomo ad oggetto, calpestando ed eludendo i diritti umani fondamentali, trovano preoccupanti riscontri in certe strumentalizzazioni delle potenzialità biotecnologiche, che manipolano la vita in nome di un'ambizione smisurata di dominio che deforma aspirazioni e speranze, moltiplicando inquietudini e sofferenze.

4. « Sono venuto perché abbiano la vita e l'abbiano in abbondanza »:[1] la Chiesa, che custodisce e diffonde il messaggio della salvezza, considera suo programma questa vivida e stimolante affermazione di Gesù. Nella difesa della salute dell'uomo, che è vostro programma, trova eco questa missione.

Il concetto di salute non può limitarsi a significare soltanto l'assenza di malattia o di momentanee disfunzioni orgàniche. La salute investe il benessere di tutta la persona, il suo stato biofisico, psichico e spirituale. In qualche modo, quindi, essa abbraccia anche il suo adattamento all'ambiente in cui vive ed opera.

[1] *Gv* 10, 10,

« Sono venuto perché abbiano la vita e l'abbiano in abbondanza ».[2] Gli obiettivi che voi perseguite — come, ad esempio, la tutela della dignità della persona nella sua vita fisica e spirituale; la promozione di studi e ricerche in campo sanitario; la stimolazione di adeguate politiche sanitarie; l'animazione della pastorale ospedaliera — sono il riflesso sul piano operativo del compito che Gesù ha trasmesso alla sua Chiesa: servire la vita! Non posso che incoraggiarvi nell'adempimento di questo impegno.

5. LTnparnazione del Verbo ha sanato ogni nostra debolezza e nobilitato la natura umana, elevandola a dignità soprannaturale e facendo del popolo dei redenti, grazie all'azione dello Spirito Santo, un solo corpo e un solo spirito. Proprio per questo ogni atto di assistenza all'uomo malato, sia in strutture sanitarie d'avanguardia, sia in quelle semplici di Paesi in via di sviluppo, se fatto con spirito di fede e con delicatezza fraterna, diventa in un senso molto vero un atto di religione.

La cura degli infermi, se svolta in un contesto di rispetto della persona, non si limita alla terapia medica o all'intervento chirurgico, ma mira a guarire integralmente l'uomo, restituendolo all'armonia di un interiore equilibrio, al gusto della vita, alla gioia dell'amore e della comunione.

A questo mirano, nel complesso e variegato mondo della santità, anche le attività del vostro Dicastero, in collaborazione con gli analoghi centri pastorali delle Chiese locali, che coordinano il servizio dei cappellani e delle suore ospedaliere, insieme con la generosa disponibilità del volontariato. Il fine comune è il rispetto della vita di ogni persona che, pur se menomata nelle sue funzioni e nella sua integrità organica, conserva intatta l'umana dignità che le è propria.

6. Auspico di cuore che nel lavoro dei prossimi giorni giungiate a formulare opportuni programmi operativi. E questa la strada per realizzare le finalità istitutive del Pontificio Consiglio, che non mancherà di svolgere un suo specifico ruolo nel tempo di preparazione al « Grande Giubileo dell'Anno Duemila ». I fedeli saranno così aiutati a prendere coscienza che « nella sofferenza si nasconde una particolare forza che avvicina interiormente l'uomo a Cristo ».[3] La sofferenza dell'essere umano, così trasformata nel mistero

[2] *Gv* 10, 10.
[3] Lett. ap. *Salvifici doloris*, 26.

della sofferenza del Redentore, diventa « l'insostituibile mediatrice ed autrice dei beni, indispensabili per la salvezza del mondo ».[4]

Continuate ad offrire alle Conferenze episcopali nazionali e a tutti gli Organismi impegnati nella pastorale sanitaria il vostro intelligente servizio, e lo Spirito Santo « che, con la sua forza e mediante l'intima connessione delle membra, produce e stimola la carità tra i fedeli »,[5] continuerà a manifestarsi alla Chiesa, all'inizio del suo terzo millennio, quale « agente principale della nuova evangelizzazione ».[6]

Affidando questi voti alla Vergine Santissima, che dopo l'Annuncio dell'Angelo concretizzò la sua immediata disponibilità con un servizio alla vita verso la cugina Elisabetta, prossima alla maternità, vi imparto di cuore la mia affettuosa Benedizione, che estendo volentieri a quanti con voi collaborano per rendere sempre più efficiente ed umano il servizio alle persone provate dalla malattia.

II

Ad quosdam episcopos Civitatum Americae Septemtrionalis.*

Bear Cardinal Bevilacqua,
Bear Brother Bishops,

1. "Grâce to you and peace from God our Father and the Lord Jesus Christ".[1] Continuing this series of ***ad Limina*** visits by the Bishops of the United States, I welcome you, the Bishops of Pennsylvania and New Jersey. I entrust the outcome of our prayer and meetings to the grâce of the Holy Spirit, who "down through the centuries has drawn from the treasures of the Rédemption achieved by Christ and given new life to human beings".[2] The Spirit is now preparing the Church for the Great Jubilee, a time to hear anew and answer ever more decisively the call to open our hearts to the Gospel, to embrace its saving message, and to allow it to transform our lives. Approaching the Jubilee, the Shepherds of God's peo-

[4] *Ibid.,* 27.
[5] Cost. dogm. *Lumen gentium,* 7.
[6] Lett. ap. *Tertio millennio adveniente,* 45.

* Die 12 Martii 1998.
[1] *Rom* 1:7.
[2] *Dominum et vivificantem,* 53.

pie have a fresh opportunity to speak out and teli the men and women of today that God has indeed come among us and that the Gospel is "the power of God for salvation to every one who has faith".[3] Let us pray that the Holy Spirit will further enlighten our minds regarding the "hour" that we are living and regarding the opportunities and responsibilities which this "hour" entails for the future of the Church and of society.

2. As I mentioned to the first group of Bishops from your country, the reception given to the teachings of the Second Vatican Council, and the renewal of the Church envisioned by the Council, will be the guiding light of our reflections during this series of visits ***ad Limina Apostolorum.*** Many Catholics today have no personal recollection of the Council. But those of us who had the marvelous opportunity to take part in it experienced it as a time of extraordinary spiritual dynamism and growth. The Council brought us into close and tangible contact with the wealth of 19 centuries of holiness, doctrine and service to the human family; it revealed to us the unity and diversity of the Catholic community throughout the world; it taught us openness to our Christian brothers and sisters, to the followers of other religions, to mankind's joys and hopes, griefs and anxieties. It is olear that, in his Providence, God wanted to prepare the Church for a new springtime of the Gospel — for the beginning of the next Christian millennium — through the extraordinary grace of the Council.

Among the teachings which the Council has bequeathed to us, none has had so far-reaching an influence on the Catholic community as a whole, and on our own li ves as priests and Bishops, as the Church's reflection on herself, ***ad intra*** and ***ad extra,*** in the Dogmatic Constitution on the Church ***Lumen gentium*** and the Pastoral Constitution on the Church in the Modem World ***Gaudium et spes.*** How deeply has the Council's vision of the Church penetrated the life of our Christian communities? What must be done to ensure that the whole Church enters the next millennium with a clearer awareness of her own mystery, with fuller confidence in her unique importance for the human family, with ardent commitment to her mission?

3. As Bishops, we have an urgent responsibility to help God's people to understand and appreciate the profound mystery of the Church: to see her above ali as the community in which we meet the living God and his merciful love. It must be our pastoral objective to create a more intense

[3] ***Rom*** **1:16.**

awareness of the fact that God, who intervenes in history at times of his choosing, in the fullness of time sent his Son, born of a woman, for the salvation of the world.[4] This is the great truth of human history: that the history of salvation has entered the history of the world, making it a history filled with God's présence and punctuated by events overflowing with meaning for the people God calis to be his own. The redemptive work of the Son continues in the Church and through the Church. Indeed, from the beginning God "planned to assemble in the Holy Church all those who would believe in Christ".[5] In this transcendent, theological sense, the Church is the goal of all things: for God created the world in order to communicate his own infinite goodness and to draw his beloved créatures into communion with himself, a communion brought about by the convocation of all in Christ. This convocation is the Church.[6] "Just as God's will is création and is called 'the world', so his intention is the salvation of men, and it is called 'the Church'".[7]

4. The fundamental truth about the Church which the Council Fathers sought to underline is that she is "the kingdom of Christ now présent in mystery".[8] Christ's disciples are "in the world" without being "of the world";[9] so they are obviously affected by the economie, social, politicai and cultural processes which determine how peoples and societies live and act. Thus, on her pilgrim journey through history, the Church adapts to changing circumstances while always remaining the same, in fidelity to her Lord, to his revealed word and to "what has been handed on" under the guidance of the Holy Spirit. In the post-conciliar period we have been called to serve God's people in the midst of profound social change. The rapidity of change in the 30 years since the Council, and the tendency of Western cultures to confine religious convictions within the private sphère, has made it difficult in some cases for Catholics to "receive" the Council's teaching on the Church's unique nature and mission. The cultural history of the United States has had a particular impact on how Catholics have perceived the Church in recent decades. It is necessary to remind e very one

[4] Cf. *Gal* 4:4,
[5] *Lumen gentium,* 2.
[6] Cf. *Catechism of the Catholic Church,* 760.
[7] Clement of Alexandria, *Paedagogus,* I, 6, 27.
[8] *Lumen gentium,* 3.
[9] *Jn* 17:16.

that, precisely because the Church is a "mystery", her reality can never be fully captured by sociological or politicai catégories or analyses.

Following the lead of Pope Pius XII in his Encyclical ***Mystici Corporis,*** and after a period in which ecclesiology tended to focus primarily on the Church as an institution, the Second Vatican Council sought to deepen appréciation of the Church as the sacrament of encounter with the living Christ. As Shepherds of soûls, we must ask ourselves to what degree the call of ***Lumen gentium*** to a more profound sense of the interior mystery of the Church has been heard. Or have Catholics sometimes succumbed to the temptation, widespread in modem western culture, to judge the Church in predominantly politicai terms? It was surely not the Council's intention to "politicize" the Church so that every issue became susceptible to a politicai label. On the contrary, it was precisely to broaden and deepen our faith in and expérience of the Church as a communion that the Council Fathers described the Church through that marvelous array of Biblical images we find in ***Lumen gentium*** Nos. 5 and 6, rather than in the institutional catégories to which they were accustomed.

Now, more than 30 years after ***Lumen gentium*** and ***Gaudium et spes,*** we have sufficient perspective to see that while the fruits of the Council are manifold and everywhere there are signs that the Council has brought a new steadfastness in the faith, new signs of holiness, and a new love of the Church, there are still some tendencies towards a reducti ve understanding of the Church. As a resuit, inadequate ecclesiologies, radically différent from what the Council and the subséquent Magisterium have presented, have found their way into theological and catechetical works. In pastoral practice these have become the basis of a more or less horizontal and sociological view of ecclesial realities on the part of some sectors of Catholicism. We must, therefore, look again at our efforts to teach the richly-textured ecclesiology of the Council.

5. We can only truly appreciate what the Church is when we understand that every aspect of her being is shaped by the new relationship, the new covenant, which God established between himself and mankind through the Cross of Christ. The mystery which envelops us is a mystery of communion, a sharing through grace in the life of the Father given us through Christ in the Holy Spirit. We should never cease to reflect on the cali to enter into this intimate relationship of life and love with the Most Blessed Trinity. The whole purpose of our ministry is to lead others into

this communion, which is not of our own making. We have to lead the faithful to understand that we do not enter into communion with God simply through a personal option in accordance with our private tastes; we do not join the Church as we join some voluntary association. Rather, we are incorporated into the Body of Christ through the grâce of Baptism and through full participation in all that constitutes the divine-human reality of the Church.

The community of Christ's followers is therefore above ali a spiritual solidarity, the *communio sanctorum.* We are the pilgrim People of God, journeying to our heavenly home, assisted by the intercession of Mary and the saints who have preceded us. The Church embraces those who now see God as he is, and those who have died and are being purified. Perhaps our consciousness of this dimension of the Church's nature has decreased somewhat in recent years. More attention needs to be given to the intimate relationship between the Church on earth and the Church in heaven. Are younger Catholics sufficiently aware of the reality of Mary and the saints? Do the example and intercession of Mary and the saints sustain our people in responding to the universal vocation to holiness? Do we understand the Church's liturgy as a participation in the heavenly liturgy? Would a recovery of that understanding help to reinvigorate attendance at Sunday Mass?

6. The Church in the United States has been enriched by a great diversity of expressions of faith found among people of différent ethnie backgrounds. This rich diversity indicates that the Church is catholic in the full sense, embracing ali peoples and cultures. Yet the Church, with all her différent members, remains the one Body of Christ. Diversity in the Church must serve the unity of the one faith, the one Baptism,[10] so that "speaking the truth in love, we grow up in every way into him who is the head, into Christ, from whom the whole body, joined and knit together... builds itself up in love".[11] Respect for a specific culture and tradition must always be accompanied by faithfulness to the essential truth of the Gospel as passed down in the teaching of the Church.

A particularly rieh form of the diversity which builds up the Body of Christ is found in the Eastern-rite Churches présent alongside the Latin Church in many parts of your country. I am especially pleased to greet the

[10] **Cf. *Eph* 4:5.**

[11] ***Ibid.,* 4:15-16.**

Archeparchs and Eparchs taking part in this ***ad Limina*** visit. The Eastern Catholics who live in the United States constitute a natural bridge between East and West. On the one hand they make known by direct expérience the Christian East and, on the other, they contribute to the development of the Orientai Churches in their countries of origin by witnessing to the acquisitions of the West and by providing spiritual and material support for people in their homeland. In order to fulfill this twofold task, it is essential that they maintain and deepen the sense of belonging to their specific ecclesial tradition, making use of the indications offered in the ***Instruction for the Application of the Liturgical Prescriptions of the Code of Canons of the Orientai Churches,*** issued by the Congrégation for the Oriental Churches.

The Pastors of the Eastern Churches face new and demanding challenges in ensuring that the faithful recently arrived in the United States are properly integrated into their respective ecclesial communities. Serious considération must also be given to ways of addressing the problems arising from the dispersai of the faithful, who continue to leave the areas where their community was traditionally présent and where their ecclesial identity was more easily preserved, to live in other parts of the country.

Di famiglia aristocratica e benestante, abbracciò dapprima la vocazione coniugale, sposando il capitano dei Bersaglieri Giovanni Battista Michel, ma, rimasta vedova a trentasei anni e non avendo figli, si sentì spinta a dedicarsi completamente al servizio degli ultimi. Divenne così madre di tanti abbandonati: orfani, anziani, malati. « I poveri aumentano a più non posso e si vorrebbe poter allargare le braccia per accoglierne tanti sotto le ali della Divina Provvidenza »: così si esprimeva dando inizio alla sua opera ad Alessandria, sua città natale.

Al centro della vita spirituale sua e delle Consorelle sta l'Eucaristia, la cui immagine volle ben visibile sull'abito religioso. Dalla preghiera prolungata davanti al Santissimo Sacramento, Teresa traeva ispirazione e sostegno

[3] *Mt* 6, 33.

per la sua quotidiana dedizione come pure per le coraggiose iniziative missionarie, che la condussero più volte fino al Brasile.

Questa generosa figlia del Piemonte si colloca nella scia dei Santi e Beati che, nel corso dei secoli, hanno recato al mondo il messaggio dell'amore divino attraverso il fattivo servizio ai fratelli bisognosi. Rendiamo grazie a Dio per la viva testimonianza di santità di questa Donna, che arricchisce la vostra Regione e la Chiesa intera.

4. Se in Giovanni Maria Boccardo e Teresa Grillo Michel rifulge soprattutto la virtù della carità, in Teresa Bracco brilla la castità, difesa e testimoniata fino al martirio. Aveva vent'anni quando, nel corso della seconda guerra mondiale, scelse di morire pur di non cedere alla violenza di un militare che attentava alla sua verginità. Quell'atteggiamento coraggioso era la logica conseguenza d'una ferma volontà di mantenersi fedele a Cristo, secondo il proposito manifestato a più riprese. Quando venne a sapere ciò che era accaduto ad altre giovani in quel periodo di disordini e di violenze, esclamò senza esitare: « Piuttosto che essere profanata, preferisco morire ».

Fu ciò che avvenne durante un rastrellamento. Il martirio fu il coronamento di un cammino di maturazione cristiana, sviluppato giorno dopo giorno, con la forza tratta dalla Comunione eucaristica quotidiana e da una profonda devozione verso la Vergine Madre di Dio.

Quale significativa testimonianza evangelica per le giovani generazioni che si affacciano sul terzo millennio! Quale messaggio di speranza per chi si sforza di andare controcorrente rispetto allo spirito del mondo! Addito soprattutto ai giovani questa ragazza che la Chiesa proclama oggi Beata, perché imparino da lei la limpida fede testimoniata nell'impegno quotidiano, la coerenza morale senza compromessi, il coraggio di sacrificare, se necessario, anche la vita, per non tradire i valori che alla vita danno senso.

Pensando all'ambiente rurale in cui Teresa è cresciuta, mi piace rivolgere una parola di affetto ai coltivatori diretti delle Langhe e dell'intero Piemonte, venuti in gran numero quest'oggi per renderle onore e per affidarsi alla sua intercessione. Vorrei pure inviare il mio saluto alle monache della Certosa della Trinità, che sorge nei pressi della zona dove avvenne il martirio di Teresa. Fedeli alla Regola che le impegna alla preghiera ed alla contemplazione nella solitudine e nel silenzio, queste nostre sorelle, pur assenti fisicamente, sono presenti con lo spirito a questa solenne celebrazione.

5. Le figure dei nuovi Beati ci portano col pensiero verso quel Cielo in cui è entrato il Signore nel mistero della sua Ascensione. Ce ne ha parlato

in termini assai suggestivi la Lettera agli Ebrei, ponendoci davanti agli occhi Cristo entrato come Sommo Sacerdote non « in un santuario fatto da mani d'uomo... ma nel cielo... per annullare il peccato mediante il sacrificio di se stesso ».[4] È una prospettiva che ci consente di meglio comprendere il messaggio della Sindone, icona toccante della Passione di Cristo. Ringrazio il Signore che mi ha dato l'opportunità di tornare a Torino per contemplare nel pomeriggio di oggi ancora una volta questa straordinaria testimonianza delle sofferenze di Cristo.

Sono lieto di salutare ancora una volta tutti i presenti, a cominciare dall'Arcivescovo di Torino, il caro Cardinale Giovanni Saldarmi, insieme con i Vescovi del Piemonte, e le Autorità civili presenti, tra le quali un pensiero particolare va al rappresentante del Governo italiano. Saluto il Clero, i Religiosi e le Religiose, i Laici impegnati e tutti i presenti, in special modo i pellegrini venuti con devozione a rendere omaggio alla Sindone.

La Sindone! Quale eloquente messaggio di sofferenza e di amore, di morte e di vita immortale! Essa ci permette di comprendere le condizioni attraverso le quali ha voluto passare Gesù prima di salire al Cielo. Questo preziosissimo Lino, nella sua drammatica eloquenza, ci offre il messaggio più significativo per la nostra vita: fonte di ogni esistenza cristiana è la redenzione ottenuta per noi dal Salvatore, che ha assunto la nostra condizione umana, ha sofferto, è morto ed è risorto per noi.

La Sacra Sindone ci parla di tutto questo. E un testimone unico.

6. Questo salvifico messaggio hanno accolto e fatto proprio i Beati che oggi veneriamo per la prima volta. Contemplandoli, la Chiesa esulta. Esulta nello Spirito, perché in loro intravede già la patria celeste, quella casa gloriosa di Dio dove tutti siamo attesi. « Nella casa del Padre mio vi sono molti posti... Io vado a prepararvi un posto »,[5] aveva detto Gesù ai discepoli la vigilia della Passione. I nuovi Beati hanno raggiunto il posto preparato per loro da Cristo asceso al Cielo.

Adesso l'impegno passa a noi, pellegrini ancora in cammino sulla terra. Dopo l'ascensione di Gesù, due Angeli domandano agli Apostoli: « Perché state a guardare il cielo? Questo Gesù... tornerà un giorno ».[6] La domanda è rivolta anche a noi: siamo ora nel tempo dell'attesa, operosa e vigilante, del ritorno glorioso di Cristo.

[4] *Eb* 9, 24,26.
[5] *Gv* 14, 2.
[6] *At* 1, 11.

II nostro spirito, animato da viva speranza, gioisce ed invoca: « Vieni, Signore Gesù ». E la risposta, consegnata nel libro dell'Apocalisse, colma di gioia il nostro cuore come quello di ogni credente: « Sì, verrò presto! ». « Amen! ».[7]

XI

Ad quosdam episcopos Civitatum Americae Septemtrionalis.*

Dear Cardinal George,
Dear Brother Bishops,

1. In the course of this series of ***ad Limina*** visits, the Bishops of the United States have again borne witness to the keen sense of communion of American Catholics with the Successor of Peter. From the beginning of my Pontificate I have experienced this closeness, and the spiritual and material support of so many of your people. In welcoming you, the Bishops of the ecclesiastical régions of Chicago, Indianapolis and Milwaukee, I express once more to you and to the whole Church in your country my heartfelt gratitude: "God is my witness, whom I serve with my spirit in the Gospel of his Son, that without ceasing I mention you always in my prayers".[1] Continuing the reflection begun with previous groups of Bishops on the renewal of ecclesial life in the light of the Second Vatican Council and in view of the challenge of evangelization which we face on the ève of the next millennium, today I wish to address some aspects of your responsibility for Catholic éducation.

2. From the earliest days of the American Republic, when Archbishop John Carroll encouraged the teaching vocation of St Elizabeth Ann Seton and founded the new nation's first Catholic college, the Church in the United States has been deeply involved in éducation at every level. For more than 200 years, Catholic elementary schools, high schools, collèges and universities have been instrumental in educating successive générations of Catholics, and in teaching the truths of the faith, promoting respect for

[7] **Cf.** ***Ap*** **22, 20,**

*** Die 30 Maii 1998,**
[1] ***Born*** **1:9.**

the human person, and developing the moral character of their students. Their académie excellence and success in preparing young people for life have served the whole of American society.

As we approach the third Christian millennium, the Second Vatican Council's call for generous dedication to the whole enterprise of Catholic éducation remains to be more fully implemented.[2] Few áreas of Catholic life in the United States need the leadership of the Bishops for their re-affirmation and renewal as much as this one does. Any such renewal requires a clear vision of the Church's educational mission, which in turn cannot be separated from the Lord's mandate to preach the Gospel to ail nations. Like other educational institutions, Catholic schools transmit knowledge and promote the human development of their students. However, as the Council emphasized, the Catholic school does something else: "It aims to create for the school community an atmosphère enlivened by the Gospel spirit of freedom and charity. It aims to help the young person in such a way that the development of his or her own personality will be matched by the growth of that new création which he or she has become by baptism. It strives to relate all human culture eventually to the news of salvation, so that the light of faith will illumine the knowledge which students gradually gain of the world, of life, and of the human family".[3] The mission of the Catholic school is the integral formation of students, so that they may be true to their condition as Christ's disciples and as such work effectively for the evangelization of culture and for the common good of society.

3. Catholic éducation aims not only to communicate facts but also to transmit a cohérent, comprehensive vision of life, in the conviction that the truths contained in that vision liberate students in the most profound meaning of human freedom. In its recent document ***The Catholic School on the Threshold of the Third Millennium,*** the Congrégation for Catholic Education drew attention to the importance of communicating knowledge in the context of the Christian vision of the world, of life, of culture and of history: "In the Catholic school there is no séparation between time for learning and time for formation, between acquiring notions and growing in wisdom.

[2] Cf. *Gravissimum Educationis,* 1.

[3] *Ibid.,,* 8.

The various school subjects do not présent only knowledge to be attained but also values to be acquired and truths to be discovered".[4]

The greatest challenge to Catholic éducation in the United States today, and the greatest contribution that authentically Catholic éducation can make to American culture, is to restore to that culture the conviction that human beings can grasp the truth of things, and in grasping that truth can know their duties to God, to themselves and their neighbors. In meeting that challenge, the Catholic educator will hear an echo of Christ's words: "If you continue in my word, you are truly my disciples, and you will know the truth, and the truth will make you free".[5] The contemporary world urgently needs the service of educational institutions which uphold and teach that truth is "that fundamental value without which freedom, justice and human dignity are extinguished".[6]

To educate in the truth, and for genuine freedom and evangelical love, is at the very heart of the Church's mission. In a cultural climate in which moral norms are often thought to be matters of personal préférence, Catholic schools have a cruciai role to play in leading the younger generation to realize that freedom consists above ali in being able to respond to the demands of the truth.[7] The respect which Catholic elementary and secondary schools enjoy suggests that their commitment to transmitting moral wisdom is meeting a widely-felt cultural need in your country. The example of Bishops and pastors who, with the support of Catholic parents, have persevered in leadership in this field should encourage everyone's efforts to foster new dedication and new growth. The fact that some diocèses are involved in a program of school building is a significant sign of vitality and a great hope for the future.

4. Almost 25 years have passed since your Conference issued ***T o Teach as Jesus Did,*** a document which is still very relevant today. It emphasized the importance of another aspect of Catholic éducation: "More than any other program of éducation sponsored by the Church, the Catholic school has the opportunity and obligation to be... oriented to Christian service because it helps students acquire skills, virtues and habits of heart and mind

[4] **No 14.**
[5] ***Jn* 8:32.**
[6] ***Veritatis splendor,* 4.**
[7] **Cf, *ibid.,* 84..**

required for effective service to others".[8] Ori the basis of what they see and hear, students should become ever more aware of the dignity of every human person and gradually absorb the key éléments of the Church's social doctrine and her concern for the poor. Catholic institutions should continue their tradition of commitment to the éducation of the poor in spite of the financial burdens in vol ved. In some cases it may be necessary to find ways to share the bürden more evenly, so that parishes with schools are not left to Shoulder it alone.

A Catholic school is a place where students live a shared expérience of faith in God and where they learn the riches of Catholic culture. Taking proper account of the stages of human development, the freedom of individuáis, and the rights of parents in the éducation of their children, Catholic schools must help students to deepen their personal relationship with God and to discover that ali things human have their deepest meaning in the person and teaching of Jesus Christ. Prayer and the liturgy, especially the Sacraments of the Eucharist and Penance, should mark the rhythm of a Catholic school's life. Transmitting knowledge about the faith, though essential, is not sufficient. If students in Catholics schools are to gain a genuine expérience of the Church, the example of teachers and others responsible for their formation is crucial: the witness of adults in the school community is a vital part of the school's identity.

Numberless religious and lay teachers and other personnel in Catholic schools down the years have shown how their professional compétence and commitment are grounded in the spiritual, intellectual and moral values of the Catholic tradition. The Catholic community in the United States and the whole country have been immeasurably blessed through the work of so many dedicated religious in schools in every part of your country. I also know how much you value the dedication of the many lay men and women who, sometimes at great financial sacrifice, are involved in Catholic éducation because they believe in the mission of Catholic schools. If in some cases there has been an eroding of confidence in the teaching vocation, you must do ail you can to restore that trust.

5. Catechesis, either in schools or in parish-based programs, plays a fundamental role in transmitting the faith. The Bishop should encourage catechists to see their work as a vocation: as a privileged sharing in the mis-

sion of handing on the faith and accounting for the hope that is in us.[9] The Gospel message is the definitive response to the deepest longings of the human heart. Young Catholics have a right to hear the full content of that message in order to come to know Christ, the One who has overeóme death and opened the way to salvation. Efforts to renew catechesis must be based on the premise that Christ's teaching, as transmitted in the Church and as authentically interpreted by the Magisterium, has to be presented in ali its richness, and the méthodologies used have to respond to the nature of the faith as truth received.[10] The work you have begun through your Conference to evalúate catechetical texts by the standard of the ***Catéchisai of the Catholic Church*** will help to ensure the unity and completeness of the faith as it is presented in your diocèses.

6. The Church's tradition of involvement in universities, which goes back almost 1,000 years, quickly took root in the United States. Today Catholic collèges and universities can make an important contribution to the renewal of American higher éducation. To belong to a university community, as was my privilège during my days as a professor, is to stand at the crossroads of the cultures that have formed the modem world. It is to be a trustée of the wisdom of centuries and a promoter of the creativity that will transmit that wisdom to future générations. At a time when knowledge is often thought to be fragmentary and never absolute, Catholic universities should be expected to uphold the objectivity and cohérence of knowledge. Now that the centuries-old conflict between science and faith is fading, Catholic universities should be in the forefront of a new and long-overdue dialogue between the empirical sciences and the truths of faith.

If Catholic universities are to become leaders in the renewal of higher éducation, they must first have a strong sense of their own Catholic identity. This identity is not established once and for all by an institutione origins, but comes from its living within the Church today and always, speaking from the heart of the Church ***(ex corde Ecclesiae)*** to the contemporary world. The Catholic identity of a university should be evident in its curriculum, in its faculty, in student activities, and in the quality of its community life. This is no infringement upon the university's nature as a trae center of leaming, where the truth of the created order is fully respected, but also ultimately illuminated by the light of the new création in Christ.

[9] **Cf. *1 Pt* 3:15.**
[10] **Cf. *1 Cor* 15:1.**

The Catholic identity of a university necessarily includes the university's relationship to the local Church and its Bishop. It is sometimes said that a university that acknowledges a responsibility to any community or authority outside the relevant académie professional associations has lost both its independence and its integrity. But this is to detach freedom from its object, which is truth. Catholic universities understand that there is no contradiction between the free and vigorous pursuit of the truth and a "récognition of and an adhérence to the teaching authority of the Church in matters of faith and moráis".[11]

7. In safeguarding the Catholic identity of Catholic institutions of higher éducation, Bishops have a special responsibility in relation to the work of theologians. If, as the whole Catholic tradition testifíes, theology is to be done in and for the Church, then the question of theology's relationship to the teaching authority of the Church is not extrinsic — something imposed from outside — but rather intrinsic to theology as an ecclesial science. Theology itself is accountable to those to whom Christ has given responsibility for overseeing the ecclesial community and its stability in the truth. As the discussion on thèse questions deepens in your country, it must be the Bishops' aim to see that the terms used are genuinely ecclesial in character.

In addition, Bishops should take a personal interest in the work of university chaplaincies, not only in Catholic institutions but also in other collèges and universities where Catholic students are présent. Campus ministry offers a notable opportunity to be close to young people at a significant time in their lives: "...the university Chapel is called to be a vital center for promoting the Christian renewal of culture, in respectful and frank dialogue, in a clear and well-grounded perspective,[12] in a witness which is open to questioning and capable of convincing".[13] Young adults need the service of committed chaplains who can help them, intellectually and spiritually, to attain their full maturity in Christ.

8. Dear Brother Bishops: on the threshold of a new Century and a new millennium, the Church continues to proclaim the capacity of human beings to know the truth and to grow into genuine freedom through their acceptance of that truth. In this respect, the Church is the defender of the

[11] *Ex Corde Ecclesiae,* 27.

[12] Cf *1 Pt* 3:15.

[13] *Address to the European Congress of University Chaplains,* May 1, 1998, 4.

moral insight on which your country was founded. Your Catholic schools are widely recognized as models for the renewal of American elementary and secondary éducation. Your Catholic collèges and universities can be leaders in the renewal of American higher éducation. At a time when the relationship between freedom and moral truth is being debated on a host of issues at every level of society and government, Catholic scholars have the resources to contribute to an intellectual and moral renewal of American culture. As you work to strengthen Catholic éducation, and as you promote Catholic intellectual life in all its dimensions, may you enjoy the protection of the Blessed Virgin Mary, Seat of Wisdom. On the ève of the Feast of Pentecost, I join you in invoking the gifts of the Holy Spirit upon the Church in the United States. With affection in the Lord, I cordially impart my Apostolic Blessing to you and to the priests, religious and laity of your diocèses.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

CALAGURITANA ET CALCEATENSIS-LUCRONIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Alberti Capellán Zuazo patrisfamilias (1888-1965)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Unusquisque, sicut accepit donationem, in alterutrum illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei» ***(1 Pt*** 4, 10).

Petri Apostoli adhortatio est alacri cum cura ad effectum adducta ab Alberto Capellán Zuazo, qui sapienter dona naturalia ac supernaturalia multiplicavit, quae ei dederat Deus, et sicut bonus administrator, Christi regni servitio suppeditavit.

Ortus est Servus Dei die 7 mensis Augusti anno 1888 in Hispanica urbe Sancto Dominico Calceatensi, intra fines posita dioecesis Calaguritanae et Calceatensis, a Vincentio Capellán Alonso et a Benedicta Zuazo Prior, rei familiaris copiis locupletibus. Serenus crevit et pius, ludum frequentavit et postea in opera rustica incubuit cum patre. Circiter sedecim annos natus crebrius reddidit amicitiarum studium necnon oblectationum atque sanationum, religionum exercitatione dissuta, non tamen Missa dominica neglecta neque peculiari in Virginem Mariam pietate. Vehementer Isabellam Arenas Mahave dilexit, quam in matrimonium duxit, post quinque sponsalium annos, die mensis Iunii 30, anno 1909, et ex qua octo genuit filios, quorum unus sacerdos est factus et una, minima natu, religiosa dominicana. In familia pax dominabatur, laetitia atque prosperitas, non autem specialis religiositas. Postero tempore Servus Dei scripsit: « Deus mecum erat, ego vero non eram cum eo; cor meum ad terram multum inclinabat et parum ad caelum ».

Anno 1919, mense Ianuario, aliquid contigit miri, quod eius vitae maximi fuit momenti; ipse narravit se per tres noctes continuas Beatam Vir-

ginem Mariam vidisse. Exinde mediocritatem desiit et usque ad dierum suorum finem in via sanctitatis magna cum diligentia ambulavit, mandata Dei ac Ecclesiae leges accurate servans, coniunctionem cum Domino colens atque palam et constanter fidelitatem testificans evangelio, quod est factum vitae eius norma suprema. Gaudii plenus propter donum caelitus acceptum suum esse animadvertit impigre vitae Corporis Christi mystici partem habere. Nomen professus est in Consociationem Adorationis Nocturnae et in Coetum Vincentianum, quorum factus est post praeses.

Pauperes adiuvabat, aegrotos visebat, pueros christianam doctrinam docebat, hospitium exstruxit nocte mendicis recipiendis, quibus ipse assidebat cum sedulitate et generositate boni samaritani (cf. ***Lc*** 10, 33-34), de eorum corporibus deque eorum animabus sollicitus. Impensa benefica industria minime eum avertit ab officiis erga uxorem, filios et familiam, cui comparare perrexit panem cotidianum agrorum opera. Attamen bona supervacanea coacervare vitavit, sed sinens familiares ratione decora et oeconomice secura vivere; eos amavit iisdemque cavit ac sedulo formationi filiorum prospexit, quibus cotidie exemplo fuit christianarum virtutum. Verus Christi discipulus, domum suam suamque paroecialem communitatem fidei, spei et caritatis splendore illuminavit, Domini praeceptum exsequens: « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est» ***(Mt*** 5, 16). Idque cum simplicitate fecit et urbanitate, cum humilitate atque amabilitate, misericordem celebrans bonitatem Dei, suam agnoscens exiguitatem, cum facilitate modestissimos explens labores. Non est suis viribus confisus sed gratia divina, quam mereri nisus est amori Dei fidelitate et eius voluntati oboedientia, peccatorum fuga, fructuosa Missae participatione, ferventi pietate erga Iesum Crucifixum, Eucharistiam, quam crebro adorabat tum die, tum nocte, precatione assidua. Filii amorem nutrivit erga Virginem Mariam, cuius precibus donum « conversionis » tribuebat, quamque Rosarii recitatione honorabat aliisque religionibus atque eius cultus propagatione in familia et inter pauperes. Ut Deo placeret, vitae suae cardini, se ipsum abnegavit, motus compescuit et indolem, patienter ac fortiter perpessus est difficultates, reprehensiones, irrisiones, morbos; parcus fuit, sobrius, castus bonisque terrenis est usus cum spiritu contemptionis ac despicientiae et paupertatis, bona autem aeterna appetivit, quae augere conatus est talenta multiplicando sibi a Deo concessa. Iustus fuit, Deo oboediens atque hominibus, prudens in vita sua spiritali regenda necnon in gubernatione familiae et operum caritatis. Post

brevem morbum, meritis ornatus ac fama sanctitatis clarus in Domino pie obdormivit die 24 mensis Februarii anno 1965.

Fama sanctitatis perdurante, Episcopus Calaguritanus et Calceatensis-Lucroniensis, nihil obstat obtento Sanctae Sedis ad normam Motus Proprii « Sanctitas Clarior », Causam introduxit beatificationis et canonizationis atque Processum cognitionalem celebravit (annis 1983-1986), qui est a Congregatione de Causis Sanctorum probatus per decretum die 18 mensis Maii anno 1987 promulgatum. Positione confecta, inquisitum est an Servus Dei heroum in modum virtutes explicavisset. Die mensis Iunii 17 anno 1997 actus est, felici cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Deinde Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria calendis Aprilibus habita anno 1998, Causae Ponente Excellentissimo Domino Fiorino Tagliaferri, Episcopo emerito Viterbiensi, agnoverunt laicum Albertum Capellán Zuazo heroum more virtutes théologales, cardinales iisque adnexas coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Secretarium accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Alberti Capellán Zuazo, Patrisfamilias, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1998.

68 EDUARDUS NOWAK
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

L. © S.

Michael Di Ruberto, ***Subsecretarius***

FIRMANA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Gioia christifidelis laicae (1904-1931)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« O Iesu, mea vita tua est, et ego amore tuo confici volo atque vivere ut te amem faciamque ut ameris ».

Haec verba quae iuvenis Maria Gioia in suo diario scripsit, summarium esse possunt brevis eius vitae, caritate necnon cruce Christi illuminatae et prorsus in amore Domini consumptae, in precatione, in apostolatu inque parvi vici eius natalis sociali ac religiosa elatione.

Orta est Serva Dei die 23 mensis Septembris anno 1904 in pago sermone patrio denominato Casette d'Eté, ad municipium pertinente Sancti Elpidii ad Mare, in archidioecesi Firmana posito, a Raphaele Gioia et Laura Bracalente, legitimis coniugibus qui probitate eminebant, religiositate atque erga pauperes liberalitate. Biduo post ortum sacramentum Baptismi accepit et insequenti anno Confirmationis. Sex annos nata est matre orbata, vulnere in animo capto, quod numquam erat cicatricem plene recepturum. Diligenter ludum frequentavit. Anno 1915 cum gaudio primum ad eucharisticam mensam accessit. Ut studia prosequeretur intravit in ephebeum Benedictinarum Sancti Elpidii ad Mare, in quo mansit annis 1916-1919, deinde, eandem ob causam, se contulit Ripam trans Asonem apud Sorores Dominicanas Sanctae Catharinae, ibique est commorata annis 1919-1923. Ubique magni habita est propter bonitatem et indolis modestiam, caritatem erga sodales atque Sorores, diligentiam adhibitam in studiis et impensam pietatem, quam Missa et Communione cotidiana alebat atque oratione. Dum aetate crescebat et gratia, acerbis est affecta doloribus: typho est ad extremum vitae deducta; ubi est ex morbo recreata, mors ei patrem ademit et, ludi magistrae adepta diploma, morti adfuit sororis Amaliae, decem et septem annos natae. Hae res adversae nec eius indolem irritaverunt nec cor induraverunt; immo, ad vicum natalem reversa, nulla interposita mora incepit niti pro proximo, praesertim pro puerulis, quibus doctrinam christianam tradebat et pro quibus in domo sua scholam vespertinam aperuit, cum humilitate atque amabilitate munere fungens non modo praeceptricis, verum etiam educatricis et consiliatricis. Pro pusis et puellis condidit in pa-

go Consociationem Actionis Catholicae, cuius praeses fuit studiosissima et usque ad mortem fautrix, multum conferens ad gradum moralem religiosumque populi illius loci. Sedulo operam consociabat cum sacerdotibus, pacem inter familias conciliabat, scandalis angebatur, quibus medendum curabat, vocationes ad vitam consecratam fovebat, munditiae ecclesiae prospiciebat ac subsicivis temporibus nonnullas acu pingebat sacras supellectiles. Aliquamdiu vice est iuncta magistrae in scholis publicis. Aliquot annis est iuveni desponsa, quem tamen deseruit, utpote cum eius religiosa principia non participaret.

Recuperata libertate, cogitabat de se Deo consecranda, sed hoc ad effectum adducere nequi vit ob morbum qui intervenit, unde est morte correpta. Cum fuit ei suum votum deponendum, multum doluit scripsitque: « Deus mi, confirma me; non possum tibi esse desponsata in vita, in caelo saltem poterò ». Ab anno 1928 est phthisi pulmonea affecta nec, quamvis varias adhibuisset curas et diuturnas in montibus fecisset mansiones, sanitatem recuperavi^ Perrexit ad vitam Consociationis Actionis Catholicae attendere, trepidare et preces Domino adhibere pro iuvenibus sociis atque operam suam offerre suasque aegritudines pro earum christiana formatione. Ante omnia in suam incubuit sanctificationem, contendens perfectius in dies voluntati Dei adhaerere et Christi lineamenta effingere in se. Die 25 mensis Martii anno 1930, coram suo spiritus moderatore, votum castitatis privatum suscepit. In suo diario scripsit: « Iesu mi, auge amorem meum, allice cor meum, ne palpitet nisi pro te. Sponse mi, da mihi amorem, multum amorem, solum amorem ». Die mensis Augusti 15 eodem anno, cupiens unum effici cum Domino Iesu, votum fecit oboedientiae. Eo tempore ita suos significavit sensus: « Iesu mi adorande, volo me tecum coniunctiorem usque sentire, quo possim amori melius respondere tibique dicere: Tu solus regnas; iam non ego vivo, sed tu vivis in me. Ad gloriam tuam omnia, ad animae meae sanctificationem, ad salutem animarum ». Deo devota tamquam amoris victima, vixit ex crucis beatitudine, quam gerebat arta in coniunctione cum divino Redemptore mundi. Ineunte anno 1931 victima, sciens se mox immolatum iri, affirmavit: « Animadverto, Sponse mi, esse te adventurum, egoque meam repeto integram oblationem. Sponse mi, sicut vis et quando... Omnia tibi offero, omnia, cruciatum quoque ob amatissimum meum Vincentium ». Vincentius frater eius fuit minor natu, qui et ipse phthisi pulmonea aegrotaverat. Postridie nonas Februarias eodem anno Serva Dei peculiari voto vitam suam devovit pro proximorum bono. Die 21

mensis Februarii Vincentius est mortuus. Sedulo a noverca custodita in domo Sancti Elpidii ad Mare, quo paulo ante se contulerat, ultimum suae « viae crucis » spatium percucurrit precans, patiens et offerens. Obviam Sponso facta est, qui eam arcessivit nonis Martiis anno 1931, obmurmurans: « Ecce, Domine, parata sum ». Moderator spiritus, qui aderat, dixit: « Nescitis ad quem perfectionis gradum haec anima pervenerit ».

Re vera Dei Serva, non mirifica faciendo, sed simpliciter Evangelio obtemperando, praeclarum exstruxit spirituale aedificium, fundamentis subnixum solidae rapis fidei, spei, caritatis erga Christum, Ecclesiam et animas. In hoc opere prosequendo non suis est viribus nisa, sed potentia gratiae divinae, quam mereri conata est mandatorum observantia atque legum Ecclesiae, ferventi Missae participatione et cotidiana Communione, assidua precatione, pietate in Iesum Crucifixum et Sacrum Cor Iesu, Eucharistiae adoratione, filiali erga Mariam Virginem Immaculatam religione. Alacriter in vinea Domini laboravit et suo apostolatu, eminentium virtutum exemplo ac potissimum suis doloribus auctui regni Dei operam dedit. Semper Domino fisa est eique se concredidit laetis atque acribus vitae temporibus. Multi familiares luctus diuturnusque morbus eius iter ad Deum illustraverunt, ardorem in servitio animarum atque Actionis Catholicae, Paradisi appetitionem confirmaverunt, nedum eam tristem redderent. Omnino amore Christi capta et possessa, ei soli vixit eiusque gloriae et, donec est sita valetudine, cum amore, comitate, opera fecit misericordiae corporalis et spiritualis et, usque ad dierum suorum finem, beneficum caritatis Domini Iesu lumen diffudit. Splendidum quoque testimonium dedit prudentiae in apostolatu et in usu strumentorum suae sanctificationis, iustitiae in Deum et in proximos, fortitudinis atque perseverantiae, temperantiae et paupertatis, castitatis et humilitatis, oboedientiae superioribus atque sacerdotibus.

Propter hanc se gerendi rationem fama enituit sanctitatis in vita, in morte et post mortem; quocirca Archiepiscopus Firmanus, nihil obstat obtento Sanctae Sedis ad normam Motu Proprio « Sanctitas Clarior », Causam introduxit beatificationis et canonizationis Processumque cognitionalem celebravit (annis 1981-1987), cuius auctoritas et vis agnita est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 10 mensis Maii anno 1989 promulgato. Praeparata Positione, disceptatum est an Serva Dei heroum in modum virtutes explicavisset. Die 29 mensis Aprilis anno 1997, prospero cum exitu, Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris est actus. Patres Cardinales deinde et Episcopi in Sessione Ordinaria die 3 praeteriti mensis Martii

habita, Causae Ponente Excellentissimo domino Fiorino Tagliaferri, Episcopo emerito Viterbiensi, professi sunt Servam Dei Mariam Gioia heroum more virtutes théologales, cardinales et iis adnexas coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Secretarium accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Gioia, Christifidelis laicae, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1998.

ffi EDUARDUS NOWAK
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

L. © S.

Michael Di Ruberto, ***Subsecretarius***

FLORENTINA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Caelestinae a Matre Dei (in saec.: Mariannae Donati) fundatricis Congregationis Filiarum Pauperum a S. Iosepho Calasanctio (« Suore Calasanziane ») (1848-1925)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Vero amore Iesu corda infiammate omnium pusarum, puellarum omniumque personarum, quibuscum rationem habetis: Hoc suadeo vobis ».

His verbis, amore erga Dominum suggestis atque eius Regni studio, Caelestina a Matre Dei (in saec.: Marianna Donati), Sorores suae Congregationis hortabatur ad caritatis ignem accendendum ac diffundendum in suis communitatibus inque suis apostolicis operibus. Quod autem sodales monebat, ipsa tam magna generositate, gaudio et perfectione explicavit,

ut bonitatis Dei signum haberetur dignaque Sancti Iosephi Calasanctii discipula.

Dei Serva in oppido Marradi orta est, intra fines posito archidioecesis Florentinae, die 28 mensis Octobris anno 1848, a Francisco Donati et Constantia Civinini, legitimis coniugibus, honesto genere natis, magnis opibus praeditis atque fervidis christianis. Postridie ortum Baptismum accepit nomine capto Marianna, anno 1855 Confirmationem et aliquot post annos primam Communionem, qua in circumstantia votum privatum castitatis suscepit. Eius morali ac religiosae educationi egregie familia consuluit. Nullam publicam scholam frequentavit, sed tamen est bona doctrina instituta, quam facile Serva Dei appropriavit, vivaci intellegentia ac firma voluntate exornata. Tamquam confessarium et spiritus moderatorem optimum P. Caelestinum Zini elegit, Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum sodalem, qui eam in via sanctitatis rexit atque in eius Deo consecratione. Nomen professa est in Tertium Ordinem Franciscanum inque Piam Societatem Filiarum Mariae pro morientium salute, dum vitae rationem agebat umbratilem, austeram ac bonis operibus deditam, praesertim vero aegrotorum visitationi. Patris dissidentia superata, priscam secuta est vitae consecratae appetitionem et est quoddam monasterium ingressa, sed paucos post dies libere inde discessit, volens Dei voluntatem de se melius cognoscere. Interea, eius spiritus magistro movente, cogitabat de itinere ineundo a Sancto Iosepho Calasanctio signato, fortiorem in dies impulsum animadvertens ad illum imitandum etiam in apostolatu pro iuventute; ideoque, in familia manens, artiora vincula spiritalia iunxit cum Ordine Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum. Anno 1884, futurum suum munus respiciens, est diploma adepta magistrae ludi gradus superioris; anno 1888 scholam aperuit gratuitam pro puellulis pauperibus, facere id statuens, quod Sanctus Iosephus Calasanctius pro puerulis fecerat; anno 1889, una cum aliquibus sociis, quae eius proposita participabant et curas, Congregationem Filiarum Pauperum a Sancto Iosepho Calasanctio instituit, quam Archiepiscopus Florentinus anno 1892 approbavit ac deinde etiam Sancta Sedes.

Serva Dei, quae nomen ceperat Sororem Iosepham Caelestinam a Matre Dei, professionem fecit temporaneam anno 1889 et anno 1914 perpetuam. Ab anno, quo Institutum est conditum, gubernatrix fuit amabilis et fortis, diligens ac sapiens suae familiae religiosae, quae in plures Italiae urbes se extendit. De Sororum formatione spiritali curam adhibuit, quas ad viam

ascendendam perfectionis usque ad heroicam virtutem incitabat; tamquam mater pusarum educationi prospexit; cor suasque domus religiosas aperuit filiabus inclusorum in carceribus; aegrotas officiis prosecuta est; omnibus exemplo fuit perfectae ac laetae consecrationi, Regulae, votis fidelitatis.

Fides, spes et caritas lucernae fuerunt quae eius iter illustraverunt in sanctitatis via. Dei verbo adhaesit ex mente exque corde; Christi doctrina atque exemplum eius fuerunt vitae apostolatusque norma. Prompte et ex more voluntati Dei oboedivit, leges eius servavit, gratiam eius mereri est nisa, peccatum fugit, animam suam continuo purificavit, bonum fecit ad gloriam Dei atque ad salutem animarum. Artam coluit cum Domino coniunctionem per assiduam precationem, meditationem aeternarum veritatum ac ferventem pietatem erga Eucharistiam et Christi Passionem; scripsit: « Iesu cruci affixe, plagas tuas cruentas in corde meo imprime, ut infinito amore et infinito dolore vivere possim et mori », atque, his cogitationibus congruenter, cruces accepit, aerumnas, reprehensiones, paupertatem ac debita quae ortum et auctum eius Congregationis oneraverunt, haec omnia ducens Dei donum esse ac suae alienaeque sanctificationi viam. Spem semper in Providentia collocavit, quae numquam eam sine auxilio reliquit. Amor Iesu cor eius incendit, eius verbum, scripta, navitatem, volebatque suam Congregationem omnesque Sorores caritate uri ut multas animas ad Christum Redemptorem adducere possent. Benigne opera misericordiae spiritalis et corporalis est exsecuta atque, cum divini Sponsi imaginem in pauperibus videret, in benevolentia et in auxiliis effusa fuit. In bono faciendo, in Instituto regendo atque in instrumentis eligendis suae sanctificationis ostendit magna se ornatam esse supernaturali prudentia. Iusta fuit in Deum et in proximos, temperans, aliena a terrestribus bonis, ab honoribus et laudibus, casta, Deo Ecclesiaeque auctoritati oboediens, in verbis humilis et in moribus, in vitae crucibus portandis fortis, in Christo sequendo perseverans, qui eam die 18 mensis Martii anno 1925 arcessivit brevem post morbum, quem exemplari cum tranquillitate est perpessa atque erga divinam voluntatem obsequio.

Fama sanctitatis, qua Dei Serva claruit in vita et in morte, etiam secutis annis diffundi perrexit atque confirmari; quam ob rem Archiepiscopus Florentinus Causam inchoavit beatificationis et canonizationis celebrato Processu ordinario informativo annis 1935-1962, qui est rite probatus a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 5 mensis Iulii anno 1985 promulgatum. Positionis perfecta praeparatione, inquisitum est an

Serva Dei virtutes coluisset heroum in modum. Die 18 mensis Februarii anno 1997 actus est, felici cum exitu, Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales deinceps et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 17 mensis Martii hoc anno habita, Causae Ponente Excellentissimo Domino Andrea Maria Erba, Episcopo Veliterno-Signino, professi sunt Dei Servam Caelestinam a Matre Dei virtutes théologales, cardinales et iis adnexas explicavisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Secretarium accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Caelestinae a Matre Dei (in saec.: Mariannae Donati), Fundatricis Congregationis Filiarum Pauperum a S. Iosepho Calasanctio («Suore Calasanziane »), in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1998.

® EDUARDUS NOWAK
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

L. © S.

Michael Di Ruberto, ***Subsecretarius***

MATRITENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Faustini Míguez (in saec.: Emmanuelis) sacerdotis professi ord. Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum fundatoris Congreg. Sororum Calasanctiarum Filiarum « de la Divina Pastora » (1831-1925)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Faustinus Míguez (in saec.: Emmanuel) natus est die 24 mensis Martii anno 1831 in Hispanico oppido Xamirás, in dioecesi Auriensi posito. Ingressus Ordinem Clericorum Regularium Pauperum Ma-

tris Dei Scholarum Piarum, professionem fecit religiosam et sacrum presbyteratus Ordinem accepit. Institutioni se dedidit atque confessionum ministerio necnon moderationis spiritalis et, ut pauperes adiuvaret, praeparandis compositionibus phytotherapicis, magnam sibi concilians nominis celebritatem. Congregationem Sororum Calasanctiarum Filiarum « de la divina Pastora » condidit, puellis pauperibus educandis.

Fama sanctitatis clarus, postridie nonas Martias obiit anno 1925. Causa beatificationis et canonizationis inita est anno 1953 apud Curiam Matritensem. Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 21 mensis Decembris anno 1992 edixit Servum Dei heroum in modum virtutes théologales, cardinales et his adnexas observavisse.

Postulationis Causae rogatu, Congregatio de Causis Sanctorum de mira coniecta sanatione consideravit, intercessioni tributa eidem Venerabili et Bonaëropoli in Argentina effecta. Casus pertinet ad puerum decem et septem annos natum, Ansgarium Santos Leguizamón, oligophrenicum, epilepticum, asthmaticum ex arteriis asperis, qui nocte diei 15 mensis Octobris anno 1972 portionem obduxit nimiam medicamentorum psychotropicorum. Subsequenti mane mater animadvertit filium animo esse lictum et affectum respiratione singultanti. Postquam est in valetudinarium deductus et facta est diagnosis de cornate secundi gradus atque vitio spirandi. Postea, etsi therapia efficax adhibebatur, aegroti condiciones in deterius mutatae sunt, altum coma ostendentes tertii gradus cum signis decerebrationis, arteriae asperae pulmonumque inflammatione perturbatum. Prognosis incertissima fuit quoad vitam et quoad valetudinem. Inde a primo die hospitii in valetudinario inchoata est novendialis supplicatio ad auxilium divinum invocandum per intercessionem Servi Dei Faustini Míguez. Die 24 mensis Octobris, novendialis supplicationis ultimo, aegrotus ex improviso e cornate experrectus est et perfecte salutem recuperavit, clara quoque ostensa facultatum psychicarum salubri mutatione.

De asserto miraculo apud Curiam Bonaërensem anno 1994 instructa est Inquisitio dioecesana, quae est rite probata a Congregatione de Causis Sanctorum decreto postridie calendas Décembres eodem anno promulgato. Consilium Medicorum Dicasterii pridie idus Iunias anno 1997 habita sessione, uno ore declaravit sanationem celerrimam fuisse, completam, mansuram et inexplicabilem esse quoad modum ob plenam signorum postumorum absentiam obque inopinatum profectum roboris intellegentiae aegroti. Pridie idus Décembres secutas actus est Consultorum Theologorum

Congressus Peculiaris et die 17 mensis Martii hoc anno Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Excellentissimo Domino Ottorino Petro Alberti, Archiepiscopo Calaritano. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Secretarium accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Faustino Míguez, Sacerdote professo Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, Fundatore Congregationis Sororum Calasanctiarum Filiarum « de la Divina Pastora », videlicet de celérrima, completa et mansura sanatione Ansgarii Santos Leguizamón a « coma profondo di 3° grado, della durata di 8 giorni, da intossicazione da psicofarmaci, con segni di decerebrazione, complicato da broncopolmonite in soggetto oligofrenico, epilettico e asmatico bronchiale ».***

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1998.

£8 EDUARDUS NOWAK
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

L. © S.

Michael Di Ruberto, *Subsecretarius*

PALENTINA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Emmanuelis González García episcopi Palentini fundatoris Congregationis Missionariarum Eucharisticarum a Nazareth (1877-1940)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« In Sanctissima Eucharistia totum bonum spirituale Ecclesiae continetur, ipse scilicet Christus, Pascha nostrum panisque vivus per carnem suam Spiritu Sancto vivificatam et vivificantem vitam praestans hominibus »

(CONC. OECUM VAT. II, Decretum de presbyterorum ministerio et vita ***Presbyterorum ordinis,*** 5).

Eucharistia quae, « ut fons et culmen totius evangelizationis apparet » (ibidem), magnum habuit momentum vitae ac ministerio episcopi Emmanuelis Gonzalez García qui, Eucharistiam celebrando, adorando et contemplando, caritatem erga Deum et proximos aluit, ad divinum Pastorem se conformavit in gregis servitio atque evangelii crucisque Christi lumen in Ecclesia effudit et in mundo.

Hic Dei vir Hispali est ortus die 25 mensis Februarii anno 1877 ex humili admodumque christiana familia. Pater, Martinus González Lara, opus faciebat fabri tignarii apud Salesianorum ephebeum; mater, Antonia García Pérez, vestifica erat. Ad baptismalem fontem nomina ei indiderunt Emmanuelem Iesum a Purissima Conceptione et Antonium Felicem a Sanctissima Trinitate, et eum vias veritatis et iustitiae percurrere docuerunt. Duodecim annos natus parentibus insciis examen subiit ut in seminarium admitteretur. Probatus, diligenter se praeparavit ad sacerdotium optimos consecutus exitus in pietate, in disciplina inque studiis. Mense Iulio anno 1901 doctoris gradum est adeptus in Sacra Theologia ac subsequentis mensis Septembris die 21 ab Hispalensi Archiepiscopo Beato Marcello Spinola y Maestre presbyter est ordinatus.

Ministerii pastoralis initio, Tabernaculo viso derelicto in parvo vico, « apostolus Tabernaculorum » fieri statuit, nempe pietatem provehere erga Eucharistiam atque de Tabernaculis neglectioribus et desertioribus curam adhibere. Ut hoc prosequeretur propositum anno 1910 Opus Trium Mariarum condidit, Discipulos Sancti Ioannis et postea « Los Juanitos » (Ioannulos) pro adulescentulis. Hae Consociationes exortae sunt cum Dei Servus Archipresbyter erat Onubensis, qua in urbe decem annos (1905-1915) impensum ac multiplicem explicavit apostolatum, unde vita christiana in eadem urbe refloruit. Eodem temporis spatio clarissimum ex suis edidit librum, qui inscriptus est « Lo que puede un cura hoy », ob quem tota in Hispania cognitus est atque existimatus.

Exeunte anno 1915 nominatus est Episcopus titularis Olympenus et auxiliaris Malacitanus, cuius dioecesis deinde fuit Administrator Apostolicus (anno 1917) atque Episcopus (anno 1920). Cum ardore bono populi sui prospexit. Sacerdotum disciplinam ac vitam spiritualem curavit, christianae doctrinae institutionem fovit, paroecias visitavit, malas consuetudines correxit, cultum Eucharistiae diffudit, novo seminario exstruendo consuluit.

Anno 1918 Opus Missionariorum Eucharisticorum instituit, ex sacerdotibus constans, et anno 1921 novum condidit Institutum religiosum, quod hodie Congregatio Missionariarum Eucharisticarum a Nazareth appellatur. Inde ab exordio ministerii sui episcopalis Servus Dei in multas incidit difficultates et aegritudines, quae tamen fervorem eius apostolicum non extinxerunt.

Mense Maio anno 1931 rerum novarum molitores complures Malacitanas ecclesias incenderunt et etiam sedem episcopalem succenderunt, Pastorem, qui se fortiter ac decore gessit, impellentes ad urbem relinquendam. Aliquot mensibus Calpe se abdidit, dein in suae dioecesis territorium re versus est, nempe in oppidulum Arundam, sed cum simultates minaeque mortis adversus eum perdurarent, Nuntius Apostolicus voluit illum domicilium Matriti collocare. Vir Dei paupertatem est expertus, solitudinem, indignitates et calumnias. In fidelitate Deo atque Ecclesiae firmus suam portavit crucem nec aliud appetivit, nisi ut per omnia Dei voluntatem faceret. Anno 1935 assensus est dioecesis Malacitanae abdicationi et est episcopus Palentinus nominatus. Ex more alacriter in bonum incubuit communitatis sibi concreditae. Verbi Dei praedicationi et catechismi institutioni favit, pietati erga Eucharistiam atque dierum festorum sanctificationi; sacerdotibus et seminarii alumnis est opitulatus, administrationi studuit variorum Operum a se institutorum.

Ante omnia, sicut facere didicerat inde ab annis iuventutis, cogitavit de Dei exsequendo praecepto: « Sancti estote, quia sanctus sum ego, Dominus Deus vester» ***(Lv*** 19, 2). Gratia adiuvante ad magnam pervenit perfectionem in exercitatione virtutum. Fides, spes, caritas eius vitae lumen fuerunt et apostolatus anima. Divinae revelationi atque Ecclesiae magisterio ex mente adhaesit et ex corde. Semper pro iis, in quae credebat, locutus est, scripsit et egit, Dei regnum quaerens eiusque gloriam. Eucharistia cardo fuit eius vitae spiritualis, animae eius cibus cotidianus, robur quo est in laboribus pastoralibus atque in rebus adversis sustentus. Artam cum Domino coniunctionem coluit, aeternarum veritatum meditationem, liturgiam, precationem, religionem erga Sacrum Iesu Cor et Redemptoris Matrem. Auxilio est confisus Providentiae atque serenitatem fiduciamque iniecit iis, qui in difficultatibus versabantur. Cum caritate ac perseverantia paroeciae Onubensi, dioecesibus Malacitanae et Palentinae, suis Operibus fundatis omnibusque animis quae eum adibant, servivit, auxilium petituris.

Sacerdotes, seminarii alumni, operarii, aegroti, senes, in carcere inclusi multimodis cordis eius bonitatem experti sunt; et quotquot eum sunt insec-

tati et calumniati ab eo veniam habuerunt. Servus Dei iustus fuit erga Dominum, Ecclesiam et erga proximos; fortis fuit in fidelitate suae vocationi atque muneri, patiens in angoribus, temperans, alienus a bonis terrestribus, castus, humilis, amabilis in omnes, Romano Pontifici oboediens; prudens fuit in instrumentis seligendis suae sanctificationis, in animis regendis inque dioecesibus, quarum fuit Pastor, gubernandis.

Dum sedulo vias Dei percurrebat, eius valetudo languescere coepit. Suas tulit infirmitates mira cum tranquillitate, et in precatione ad ultimum cum Domino occursum se praeparavit, qui eum arcessivit pridie nonas Ianuarias anno 1940.

Sanctitatis fama, qua in vita claruit, aucta est post eius mortem; quocirca Episcopus Palentinus initium fecit Causae beatificationis atque canonizationis per Processus ordinarii informativi celebrationem (annis 1952-1960), cui additi sunt Rogatoriales Onubensis, Hispalensis, Matritensis et Malacitanus. A Sancta Sede nihil obstat concesso eidem Episcopo ad normam Motu Proprio « Sanctitas Clarior », apud Curiam Palentinam instructus est Processus cognitionalis annis 1981-1983. Hi Processus rite probati sunt a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 13 mensis Iulii anno 1984 promulgato. Positione confecta, ex more inquisitum est an Dei Servus virtutes heroum in modum exercuisset. Die 23 mensis Maii anno 1997, exitu cum prospero, actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales porro et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 3 praeteriti mensis Februarii, habita, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Eduardo Martínez Somalo, affirmaverunt Episcopum Emmanuelem González García virtutes théologales, cardinales iisque adnexas heroum more observavisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Secretarium accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Causae Cardinale Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Emmanuelis Gonzalez Garcia, Episcopi Palentini, Fundatoris Congregationis Missionariarum Eucharisticarum a Nazareth, in casu et ad effectum de quo agitur.***

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1998.

£8 EDUARDUS NOWAK
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

L. S S.

Michael Di Ruberto, ***Subsecretarius***

PARISIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Nicolai Barré sacerdotis professi Ordinis Minimorum fundatoris Congregationum Sororum a Iesu Infante a S. Mauro et Sororum a Iesu Infante a Providentia Rothomagensi (1621-1686)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Nicolaus Barré Ambiani in Gallia ortus est die 21 mensis Octobris anno 1621. Ordinem Minimorum ingressus professionem religiosam fecit et est sacerdos ordinatus. Doctrinae se tradidit disciplinarum theologicarum, praedicationi atque confessionum peccatorum audiendarum ministerio moderationisque spiritalis, necnon precationis ac paenitentiae vitae. Institutionem fovit puerorum ac puellularum gratuitam per multas populares scholas. Ut hoc persequeretur propositum Congregationes condidit Sororum a Iesu Infante a Sancto Mauro et Sororum a Iesu Infante a Providentia Rothomagensi. Virtutibus ornatus ac meritis Lutetiae Parisiorum obiit die 31 mensis Maii anno 1686.

Beatificationis et Canonizationis Causa inita est anno 1930. Summus Pontifex Ioannes Paulus II die mensis Martii 21, anno 1983, edixit Servum Dei virtutes théologales, cardinales iisque adnexas heroum in modum observavisse.

Nuper Causae Postulatio Congregationi de Causis Sanctorum iudicandam permisit assertam miram sanationem Sororis Annae Rosselle, Congregationis Sororum a Iesu Infante a Providentia Rothomagensi sodalis, quae orta est anno 1950 luxatione ingenita affecta femoris sinistri. Postero anno est gypso illita et ambulare coepit tres annos nata. Anno 1970 dolores exstiterunt genua affligentes cum artuum impeditionibus ac talorum distortione. Meniscorum dextri et sinistri sectioni chirurgicae subiecta est, sed

factum est ut baculo ei opus esset ad ambulandum. Anno 1976 insitionem osseam subiit in femur sinistram, sed artus inferior duo centimetra brevior evasit. Deinde ex arthrosi vertebrarum laboravit, praesertim ad cervicem et ad lumbos pertinente, cum doloribus illorum locorum. Ob symptomatologiae mutationem in peius et artuum deminutam perfunctionem, praecipue sinistri, compulsa est ad utendum sella rotulis praedita. Alii supervenerunt morbi et etiam acerbi ossuum articulorum dolores; quam ob rem fuit ei in lecto iacendum et medicamenta fuerunt adhibenda ñervos lenientia atque morphinum. Eiusmodi in condicione aegro ta vim a Deo postulabat ut suum toleraret morbum, cum sorores sodales eius peterent sanationem per Venerabilis Servi Dei Nicolai Barré intercessionem. Die 8 mensis Decembris, mane, anno 1989, Soror Anna, Rosarium recitans, improvisam animadvertit dolorum decessionem, ita ut ex lecto descendere potuerit et sola sine auxilio ambulare. Perfecte erat sanata.

De sanatione apud Curiam Insulensem annis 1991-1992 Inquisitio dioecesana est instructa, quae a Congregatione de Causis Sanctorum probata est per decretum postridie nonas Novembres anno 1992 promulgatum. Dicasterii Collegium Medicorum in sessione diei 17 mensis Aprilis anni 1997 affirmavit sanationem completam fuisse, mansuram et inexplicabilem quod attinet ad subitaneam artuum inferiorum renovatam perfunctionem ac dolorum decessionem. Pridie idus Décembres subsequentes actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris et calendis Aprilibus anno 1998 Sessio Ordinaria est habita Patrum Cardinalium atque Episcoporum, Causae Ponente Excellentissimo Domino Mario Rizzi, Archiepiscopo titulari Balneoregiensi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Secretarium accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: ***Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Nicolao Barré, Sacerdote professo Ordinis Minimorum, Fundatore Congregationum Sororum a Iesu Infante a S. Mauro et Sororum a Iesu Infante a Providentia Rothomagensi, videlicet de subitanea,***

completa et mansura sanatione Sororis Annae Rosselle a « complessa patologia osteo-articolare, in parte congenita, interessante vari segmenti scheletrici, con grave sintomatologia dolorosa e limitazione funzionale degli arti inferiori, con impossibilità alla deambulazione per 5 anni ».

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1998.

& EDUARDUS NOWAK
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

L. ffi S.

Michael Di Ruberto, ***Subsecretarius***

PREMISLIENSIS RITUS BYZANTINI UCRAINI

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Iosaphatae Hordáshevska (in saec.: Michaëlinae) confundatricis Congregationis Sororum Ancillarum a Maria Immaculata (1869-1919)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« O Iesu, animae vita, vivat anima mea in te, pro te et per te; cogitet de te, de te loquatur, agat pro te ».

His verbis Dei Serva Iosaphata Hordáshevska suum significavit ardentem erga Iesum Christum amorem, qui eius vitae centrum fuit et lux, omnino Domini gloriae et animarum saluti consecratae.

Digna haec filia Ecclesiae Ritus Byzantini Ucraini Leopoli orta est die 20 mensis Novembris anno 1869 a Ioanne Pukas et Xenia Hordáshevska, tenuis condicionis coniugibus, qui ei nomen indiderunt Michaëlinam eandemque christiane educaverunt. Exitibus cum optimis ludo peracto imperato, incepit in taberna vitraria opus obire, ita in numerosam familiam sustinendam se consocians. Subsiciva tempora in precatione consumebat, in cantu sacro et in rerum divinarum participatione in ecclesia Sancti Onuphrii, a sacerdotibus recta Ordinis Basiliani. Horum unus, P. Ieremias Lomnitsky, qui eius factus est confessarius et magister spiritus, permisit ei ut privatim votum susciperet castitatis. Dum alacriter in Dei viis progrediebatur, Michaelina animadvertit se a Domino vocari, ut illi se consecraret. Prius inter moniales Basilianas clausura obstrictas ingredi proposuit; deinde, confes-

sarii consilium secuta, adsensit ut prima sodalis fieret novae religiosae familiae, quam ipse erat instituturus una cum parocho loci Zhuzhel, Cyrillo Seletsky, ut operam daret actioni pastorali sacerdotum. Id temporis enim nulla erat Congregatio feminina ritus Byzantini Ucraini, quae plene dedita esset apostolicis negotiis. Serva Dei igitur, populo suo utilis esse volens, rebus omnibus relictis iter est ingressa, quod ei divina Providentia per P. Ieremiam Lomnitsky significaverat. Die mensis Augusti 24, anno 1892, habitum religiosum induit nomine capto Sorore Iosaphata, ad memoriam episcopi martyris Iosaphat Kuncewicz. Paucis post diebus in oppidulo Zhuzhel, cum septem postulantibus, in paupertate inque humilitate primam aperuit domum Congregationis Sororum Ancillarum a Maria Immaculata. Sua explevit munera antistitae et puellarum educatricis sibi concreditarum cum generositate, prudentia et amabilitate. Die 20 mensis Novembris eodem anno vota religiosa fecit, spondens se esse observaturam quae Constitutiones praescribebant: nempe Iesu Christi amorem, filiolorum agricolarum educationem, aegrotorum et pauperum curam, apostolatum verbi et exempli, ut populus ad Deum adduceretur. Peculiarem ostendit sedulitatem erga infirmos, quibus gratuito medicamenta distribuebat, quae ipsa herbis medicinalibus confidebat. Fructuose pietatem in Virginem Mariam propagavit. Deo adiuvante nova Congregatio, paucis annis, multis vocationibus locupletata est nonnullasque aperuit domos. Antistita generalis ab anno 1902 ad annum 1904 Dei Serva, quamvis sollicita esset et generosa, multas obiit difficultates resque adversas. Munere deposito, suam explicavit industriam variis in locis, exemplo vitae socias et populum aedificans. Anno 1909, etsi Capitulo non interfuit, electa est Vicaria generalis sicque ei concessum est ut professionem perpetuam faceret. Novem annis continuis naviter suum praestitit officium Antistitae generali. Eodem tempore praefuit Sororibus Seminario Maiori Leopolitano ministrantibus. Eius valetudo minui coepit anno 1914, anima altius ascendente in imitatione Christi et in perfectione christiana. Effulsit enim obsequio erga voluntatem Dei, fidelitate consecrationi religiosae, patientia in acerbitatibus, divinae Providentiae fiducia. Vere humilis, suis viribus non est confisa nec multis suis naturalibus dotibus, sed Dei auxilio, quod merere nitebatur arcte coniuncta cum Domino, diligenter cotidiana munia exsequendo, vota Regulamque servando, malum vitando bonumque faciendo. Spiritualiter confirmata pia sacrorum liturgicorum participatione, precatione assidua, meditatione, ferventi religione erga Eucharistiam, Domini Passionem et Sacrum Cor Iesu, con-

stans fuit in servitio Dei et Ecclesiae, necnon populi sui suique Instituti. Sapienter formationi Sororum consuluit annis, quibus Institutum gubernavit; officiosa fuit erga aegrotas, ignovit iis, quae ei causa fuerunt difficultatum et aegritudinum. Eius caritas non minus prompta fuit in pueros, humiles, pauperes, senes, dolentes proque omnibus opera exercuit misericordiae corporalis et spiritualis. Supernaturali cum prudentia se gessit in eligendis instrumentis sanctificationis suae atque proximorum; iusta fuit, sincera, fortis, aliena a bonis terrestribus, castigata in sensibus, in verbis inque moribus casta, in exercitio virtutum perseverans. Extremis vitae annis actiones ascéticas multiplicavit multumque phthisi ossea laboravit. Omnia tamen est perpessa mira cum animi vi et interiore cum pace. Sicut praedixerat, terrenam vitam conclusit vespere sollemnitatis Annuntiationis Domini, die 25 mensis Martii anno 1919 secundum calendarium Gregorianum, vel die 7 mensis Aprilis secundum calendarium Iulianum. Nunc corpus Servae Dei requiescit in aedicula Domus Generalitiae Sororum Ancillarum a Maria Immaculata Romae.

Fama sanctitatis qua Soror Iosaphata insignis fuit in vita etiam subsequentibus annis perduravit, sed beatificationis et canonizationis Causa nonnisi recenter iniri potuit ob tristes eventus populi Ucraini. Namque Eparchus Premisliensis ritus Byzantini Ucraini annis 1992-1993 Inquisitionem instruxit canonicam, quae est a Congregatione de Causis Sanctorum probata die 10 mensis Iunii anni secuti. Praeparata Positione, excussum est ex more an Dei Serva heroum in modum virtutes coluisset. Die 21 mensis Octobris anno 1997, felici cum eventu, actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Deinde Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 17 mensis Februarii praeteriti habita, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Eduardo Gagnon, fassi sunt Servam Dei Iosaphatam Hordáshevska virtutes théologales, cardinales et his adnexas exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Secretarium accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Causae Cardinale Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: ***Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Forti-***

tudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Iosaphatae Hordáshevska (in saec.: Michaelinae), Confundatricis Congregationis Sororum Ancillarum a Maria Immaculata, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1998.

83 EDUARDUS NOWAK
archiep. tit. Lünen., ***a Secretis***

L. & S.

Michael Di Ruberto, ***Subsecretarius***

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

BAGENSIS ET SANCTAE MARIAE

de finium mutatione

DECRETUM

Quo aptius christifidelium pastorali curae consuli possit, Exc.mi PP. DD. Laurindus Guizzardi, C. S., Episcopus Bagensis, et Iosephus I vus Lorscheiter, Episcopus Sanctae Mariae, unanimi consensu ab Apostolica Sede expostulaverant ut circumscriptionum sibi concreditarum fines aliquantulum immutarentur. Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P.D. Alfii Rapisarda, Archiepiscopi titulo Cannensis et in Brasilia Apostolici Nuntii, rata huiusmodi immutationem christifidelium bono profuturam, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Ioanne Paulo, divina Providentia PP. II, tributarum, oblatis precibus annuendum censuit. Quapropter, hoc Decreto, perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, a dioecesi Bagensi distrahit integrum territorium paroeciae « Sanctae Mariae de Victoriis » in civitate vulgo Cacequi, atque territorium communitatis christianae « Sanctae Ritae », in pago vulgo Laranjeiras, eaque dioecesi Sanctae Mariae adnectit, mutatis, hac ratione, utriusque ecclesiasticae circumscriptionis finibus. Ad clerum quod attinet statuit ut simul ac praesens Decretum ad effectum deductum

fuerit sacerdotes Ecclesiae illi censeantur adscripti in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri autem sacerdotes, clerici seminariique tirones circumscriptioni illi incardinentur in cuius territorio legitimum habent domicilium. Quamobrem documenta et acta praefatorum territoriorum clericos, fideles ac bona temporalia respicientia a Curia Bagensi ad Curiam Sanctae Mariae transmittantur. Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis deputat memoratum Exc.mum Apostolicum Nuntium vel, ipso a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis in Brasilia gestorem, necessarias et opportunas eisdem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eamdem Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 12 Decembris anno 1997.

✠ BERNARDINUS card. GANTIN, ***Praef.***

✠ Georgius M. Mejia, ***a Secretis.***

L. ✠ S.
In Congr. pro Episcopis tab., n. 567/97

ALTENSIS, QUETZALTENANGUENSIS-TOTONICAPENSIS

de concathedralis erectione

DECRETUM

Cum urbs vulgo Totonicapán, civilis eiusdem nominis provinciae caput, intra fines archidioecesis Altensis, Quetzaltenanguensis-Totonicapensis exstans, sive fidelium numero sive religionis operibus et incolarum industria prospera hac nostra aetate incrementa susceperit, Exc.mus P.D. Victor Hugo Martínez Contreras, Archiepiscopus Altensis, Quetzaltenanguensis-Totonicapensis, ab Apostolica Sede postulavit ut, ad aptius tutiusque animarum bono consulendum paroeciale templum in eadem urbe, Deo in honorem Sancti Michaelis Archangeli dicatum, ad gradum et dignitatem Ecclesiae Concathedralis eveheretur. Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P.D. Ramiri Moliner Inglés, Archiepiscopi titulo

Sardanensis et in Guatimala Apostolici Nuntii, vigore specialium facultatum a Summo Pontifice, Ioanne Paulo, divina Providentia PP. II, sibi tributarum, rata id in bonum animarum vere cessurum, oblatis precibus annuendum censuit. Quapropter, eadem Congregatio, praesenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, decernit ut, praefatum paroeciale templum, in urbe Totonicapán, Deo in honorem Sancti Michaelis Archangeli dicatum titulo Ecclesiae Concathedralis decoretur, cum omnibus honoribus et privilegiis quae huiusmodi Ecclesiis propria sunt.

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis deputat memoratum Exc.mum Apostolicum Nuntium, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 29 mensis Septembris anno 1998.

83 Fr. LUCAS card. MOREIRA NEVES, O.P., ***Praef.***

83 Franciscus Monterisi, ***a Secretis.***

L. m S.

In Congr. pro Episcopis tab., n. 670/98

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Ioannes Paulus PP. II per Apostolicas sub plumbo Litteras iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit praesules:

die 23 Octobris 1998. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Ioannis Canadensis, Exc.mum P.D. Iosephum Faber McDonald, hactenus Episcopum Grandicataractensem.

die 28 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Xapecoënsi R.D. Emmanuelem Ioannem Francisco, hactenus praesidem Instituti Theologici de Sancta Catharina in archidioecesi Florianopolitana.

die 31 Octobris 1998. — Titulari episcopali Ecclesiae Segiensi R.D. Marcellum Arturum Gonzalez Amador, e clero dioecesis Sanctae Clarae, hactenus Cancellarium Curiae et parochum templi cathedralis, quem constituit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 5 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Vinonaënsi, Exc.mum P.D. Bernardum Iosephum Harrington, hactenus Episcopum titularem Uzalensem et Auxiliarem archidioecesis Detroitensis.

die 11 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Aloisii de Caceres Exc.mum P.D. Iosephum Vieria de Lima, hactenus Episcopum Marabensem.

die 12 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Litoris Palmensis, Exc.mum P.D. Antonium Iosephum 0'Connell, hactenus Episcopum Knoxvillensem.

die 14 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Arianensi Hirpiniae-Laquedoniensi, R.D. Ianuarium Pascarella, e clero dioecesis Acerrarum, hactenus Cancellarium atque Delegatum episcopalem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Gravelburgensi, nuper constitutae, Exc.mum P.D. Natalem Delaquis, hactenus Episcopum emeritum Gravelburgensem.

die 16 Novembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Araditanae R.D. Annetto Depasquale, hactenus archidioecesis Melitensis Vicarium generalem, quem eiusdem archidioecesis Auxiliarem deputavit.

die 17 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Holmiensi, R.P. Andream Arborelius, Ordinis Fratrum Discalceatorum B. Mariae V. de Monte Carmelo sodalem.

— Metropolitanae Ecclesiae Cordubensi in Argentina Exc.mum P.D. Carolum Iosephum Ñáñez, hactenus Archiepiscopum Coadiutorem Tucumanensem.

die 18 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Captatoropolitanae R.D. Aloisium Carolum Eccel, hactenus Administratorem dioecesanum eiusdem sedis.

die 21 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Arretinae-Cortonensi-Biturgensi Exc.mum P.D. Valtherum Bassetti, hactenus Episcopum Ecclesiae Massanae-Plumbinensis.

die 21 Novembris 1998. — Archiepiscopali Ecclesiae Crotonensi-Sanctae Severinae Exc.mum P.D. Andream Mugione. hactenus Episcopum Cassanensem.

— Metropolitanae Ecclesiae Campobassensi-Boianensi Exc.mum P.D. Armandum Dini, hactenus Episcopum Marsorum.

die 23 Novembris. — Metropolitanae Ecclesiae Corensi, noviter erectae, Exc.mum P.D. Robertum Lückert León, hactenus Episcopum Corensem.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Venerdì, 23 Ottobre 1998, S.E. il Signor Eamon O'Tuathail, Ambasciatore d'Irlanda presso la Santa Sede.

Sabato, 24 Ottobre 1998, S.E. il Signor Jean Gueguinou, Ambasciatore di Francia presso la Santa Sede.

Giovedì, 29 Ottobre 1998, S.E. il Signor Javier Guerra Laspinz, Ambasciatore di Costa Rica presso la Santa Sede.

Giovedì, 5 Novembre 1998, S.E. il Signor Sergio Ivan Búcaro Hurtarte, Ambasciatore del Guatemala presso la Santa Sede.

Sabato, 7 Novembre 1998, S.E. il Signor Guillermo Léon Escobar-Herrán, Ambasciatore di Colombia presso la Santa Sede.

Giovedì, 12 Novembre 1998, S.E. il Signor Marco César Meira Naslausky, Ambasciatore del Brasile presso la Santa Sede.

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Giovedì, 15 Ottobre 1998, S.E. il Signor Aleksander Kwasniewski, Presidente della Repubblica di Polonia.

Lunedì, 19 Ottobre 1998, S.E. il Signor Carlos Roberto Flores Facusee, Presidente della Repubblica di Honduras.

Giovedì, 22 Ottobre 1998, S.E. il Signor Armando Calderón Sol, Presidente della Repubblica di El Salvador.

Lunedì, 9 Novembre 1998, S.E. il Signor Ólafur Ragnar Grìmsson, Presidente della Repubblica di Islanda.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

10 novembre 1998. Mons. Thomas Yen Sheng-Nan, Arcivescovo tit. eletto di Leptis Magna, ***Nunzio Apostolico in Sri Lanka.***

12 » » S.E. mons. Jean-Claude Perisset, Arcivescovo tit. di Giustiniana prima, ***Nunzio Apostolico in Romania.***

14 » » Mons. Alessandro D'Errico, Arcivescovo tit. eletto di Carini, ***Nunzio Apostolico in Pakistan.***

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

4 agosto 1998. S.E. mons. Claudio Hümmes, Arcivescovo di Säo Paulo, ***Membro del Comitato di Presidenza del Pontificio Consiglio per la Famiglia « ad quinquennium ».***

» settembre » S.E. mons. José Manuel Estepa Llaurens, Arcivescovo tit. di Italica, Ordinario Militare per la Spagna, ***Membro della Congregazione per il Clero « ad quinquennium ».***

11 » » P. Pierre Belanger, S.I., ***Consultore del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali « ad quinquennium ».***

» » » P. Peter Malone, M.S.C., ***Membro del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali « ad quinquennium ».***

16 » » S.E. mons. Marcello Zago, Arcivescovo tit. di Roselle, Segretario della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli, ***Membro del Comitato del Grande Giubileo dell'Anno 2000.***

17 » » S.E. mons. José Sebastian Laboa, Arcivescovo tit. di Zarai, ***Membro della Congregazione delle Cause dei Santi « ad quinquennium ».***

29 » » Mons. Giuseppe Liberto, mons. Crispino Valenziano, sac. Giuseppe Busani, sac. Alfredo Di Stefano, ***Consultori dell'Ufficio delle Celebrazioni Liturgiche del Sommo Pontefice.***

30 » » S.E. mons. Giuseppe Pittau, Segretario della Congregazione per l'Educazione Cattolica, ***Consultore della Congregazione per i Vescovi.***

» » » La signora Theresa Ee-Chooi, ***Membro del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali « ad quinquennium ».***

5 ottobre » Il prof. Fabrizio Bisconti, ***Segretario della Pontificia Commissione di Archeologia Sacra « in aliud quinquennium ».***

6 ottobre 1998. Gli Em.mi Signori Cardinali Lucas Moreira Neves, Darío Castrillón Hoyos, *« durante munere »,* Antonio Maria Rouco Várela *« ad quinquennium », Membri del Pontificio Consiglio per l'Interpretazione dei Testi Legislativi.*

» » » L'Em.mo Sig. Card. László Paskai, *Membro del Pontificio Consiglio per l'Interpretazione dei Testi Legislativi « in aliud quinquennium ».*

15 » » L'Em.mo Signor Cardinale Gilberto Agustoni, *Membro del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica « usque ad 80um annum ».*

19 » » I signori dott. Giampietro Nattino e dott. Ettore Quadrani, *Consultori della Prefettura degli Affari Economici della Santa Sede « ad quinquennium ».*

» » » Il signor Hans-Joachim Kracht, *Consultore della Congregazione delle Cause dei Santi « ad quinquennium ».*

» » » L'Em.mo Signor Cardinale Antonio Maria Rouco Várela, e gli Ecc.mi Mons.ri José da Cruz Policarpo, Patriarca di Lisboa; Rosendo Huesca Pacheco, Arcivescovo di Puebla de los Angeles; Ivan Dias, Arcivescovo di Bombay; Francis Xavier Kaname Shimamoto, Arcivescovo di Nagasaki; Claudio Hümmes, Arcivescovo di Säo Paulo; Raphael S. Ndingi Mwana'a Nzeki, Arcivescovo di Nairobi; Joseph Doré, Arcivescovo di Strasbourg; Walter Kasper, Vescovo di Rottenburg-Stùttgart; Adrianus Herman van Luyn, Vescovo di Rotterdam, *Membri del Pontificio Consiglio della Cultura « ad quinquennium ».*

» » » Gli Em.mi Signori Cardinali Joseph Ratzinger, Lucas Moreira Neves, Carlo Maria Martini, Jean-Marie Lustiger, Józef Glemp, Francis Arinze, Jozef Tomko, Bernard Francis Law, Christian Wiyghan Turni, Jan Chryzostom Korec; e gli Ecc.mi Mons.ri John Patrick Foley, Francesco Marchisano, Javier Lozano Barragán, Józef Miroslaw zyciñski, Anselme Titianma Sanon, William Benedict Friend, Donai Brendan Murray, *Membri del Pontificio Consiglio della Cultura « in aliud quinquennium ».*

» » » Gli Em.mi Signori Cardinali: Serafini Fernandes de Araújo, Antonio María Rouco Várela, e gli Ecc.mi Mons. José Saraiva Martins, Prefetto della Congregazione delle Cause dei Santi; Louis-Marie Bilie, Arcivescovo di Lyon; Desmond Connell, Arcivescovo di Dublin; Marcello Cbstalunga, Arcivescovo titolare di Aquileia, *Membri della Congregazione per Vescovi « ad quinquennium ».*

19 ottobre 1998. Gli Em.mi Signori Cardinali, Jean-Marie Lustiger, Eduardo Martínez Somalo, Achille Silvestrini, Angelo Felici, e l'Eccmo Mons. Johannes Dyba, *Membri della Congregazione per i Vescovi « in aliud quinquennium ».*

22 » » L'Em.mo Signor Cardinale Edmund Casimir Szoka, *Membro della Congregazione delle Cause dei Santi « in aliud quinquennium ».*

23 » » S.E. mons. Francesco Saverio Salerno, Vescovo tit. di Cerveteri, *Segretario del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica « ad quinquennium ».*

» » » S.E. mons. Francesco Saverio Salerno, Vescovo tit. di Cerveteri, *Consultore della Pontificia Commissione per lo Stato della Città del Vaticano.*

26 » » S.E. mons. Cipriano Calderón Polo, Vescovo tit. di Tagora, *Vice Presidente della Pontificia Commissione per V America Latina « in aliud quinquennium ».*

31 » » Mons. Franco Croci, *Segretario della Prefettura degli Affari Economici della Santa Sede « ad quinquennium ».*

» » » Il dott. Edouard Delalay, *Membro del Collegio dei Revisori della Prefettura degli Affari Economici della Santa Sede « ad triennium ».*

» » » Il prof. Enrique Mas Montanes, *Membro del Collegio dei Revisori della Prefettura degli Affari Economici della Santa Sede « in aliud triennium ».*

5 novembre » L'Em.mo Signor Cardinale Lorenzo Antonetti, *Delegato Pontificio per la Patriarcale Basilica di San Francesco in Assisi.*

» » » S.E. mons. Agostino Caccia villan, Arcivescovo tit. di Ami terno, *Presidente dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica « ad quinquennium ».*

» » » Gli Em.mi Signori Cardinali Gilberto Agustoni e Lorenzo Antonetti, *Membri delVAmministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica « usque ad 80um annum ».*

Si rende noto che mons. Gianfranco Bella è stato nominato « *in aliud quinquennium»* Vicario giudiziale del Tribunale regionale di prima istanza del Lazio per la cause di nullità di matrimonio, e che i mons. Giacomo Incitti e Francesco Maria Tasciotti ed il p. Silvio Tornasi, Stimmatino, sono stati nominati « *in aliud quinquennium* » Giudici esterni del Tribunale regionale di prima istanza del Lazio per le cause di nullità di matrimonio.

NECROLOGIO

26 settembre 1998. Mons. Aurelio Sorrentino, Arcivescovo em. di Reggio Calabria-Bova *(Italia).*

28 » » Mons. Giovanni Maria Sartori, Arcivescovo di Trento *(Italia).*

2	ottobre	1998.	Mons. Joseph Khiamsun Nittayo, Arcivescovo em. di Bangkok *(Thailandia).*
»	»	»	Mons. Renatus Lwamosa Butibubage, Vescovo em. di Mwanza *(Tanzania).*
6	»	»	Mons. Kornél Pataky, Vescovo em. di Gyôr *(Ungheria).*
13	»	»	Mons. Mariano G. Gavióla, Arcivescovo em. di Lipa *(Filippine).*
16	»	»	Mons. Michael Kien Samophithak, Arcivescovo em. di Thare and Nonseng *(Thailandia).*
25	»	»	Mons. François-Marie Morvan, Vescovo em. di Cayenne *(Guyana Francese).*
30	»	»	Mons. Segundo García de Sierra y Méndez, Ari vescovo em. di Burgos *(Spagna).*
2	novembre	»	Mons. Oriano Quilici, Arcivescovo tit. di Tabla.
3	»	»	Mons. Paulos Philoxinos Ayyamkulangara, Vescovo tit. di Chayal dei Siro-Malankaresi.
13	»	»	Mons. Mario Zanetta, Vescovo di Paulo Afonso *(Brasile).*
15	»	»	Mons. Enzo Ceccarelli Latraro, Vescovo tit. di Ruspe.
26	»	»	Mons. Djuro Koksa, Vescovo tit. di Grumento Nova.
28	»	»	Mons. Hemaiag Pietro Ghedighian, Patriarca em. di Cilicia degli Armeni.

An. et vol. LXXXX 31 Decembris 1998

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

I

INDEX GENERALIS ACTORUM

(An. et vol. LXXXX)

I - ACTA IOANNIS PAULI PP. II

II - ACTA CONGREGATIONUM

II

INDEX DOCUMENTORUM CHRONOLOGICO ORDINE DIGESTUS

I — ACTA IOANNIS PAULI PP. II

I. LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE:

II - EPISTULA APOSTOLICA

III - CONSISTORIUM

IV - LITTERAE DECRETALES

V - CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

VI - LITTERAE APOSTOLICAE

VII - CONVENTIONES

VIII - HOMILIAE

IX - ALLOCUTIONES

X - NUNTII

XI - NUNTII TELEVISIFICI

XII - ITINERA APOSTOLICA
SUMMUS PONTIFEX HAS NATIONES INVISIT

XIII - SECRETARIA STATUS

II — ACTA CONGREGATIONUM

I - CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI

II - CONGREGATIO PRO ECCLESIIS ORIENTALIBUS

III - CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

IV - CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

V - CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

VI - CONGREGATIO PRO CLERICIS

VII - CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA

III — ACTA PONT. CONSILIORUM

CONSILIUM DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

III

INDICES NOMINUM

I - INDEX NOMINUM PERSONARUM

(OMITTUNTUR NOMINA ACTIBUS SUBSCRIPTA)
(CUM PARVA CRUX f ADEST, DE NUNTIO MORTIS AGITUR)

B

C

D

E

F

G

L

N

O

Q

R

S

T

U

V

W

X

Y

Z

II - INDEX NOMINUM DIOECESIUM, VICARIATUUM, ETC.

A

B

C

R

S

T

U

V

X

Z

IV

INDEX RERUM MAIORIS MOMENTI

A

C

E

K

L

M

N

P

Q

R

T

CORRIGENDA DELENDA ADDENDA
An. et vol. LXXXX (1998)

pag. 353 linea 8: loco — legatur ***die 7 Aprilis.***

pag. 461 linea 2: loco ***legitime resipiscit*** legatur ***legitime monitus resipiscit.***

pag. 502 in calce: post datationem addantur subsignationes:

Für den Heiligen Stuhl
✠ ***Giovanni Lajolo***
Erzbischof Dr. Giovanni Lajolo
Apostolischer Nuntius in Deutschland

Für das Land Sachsen-Anhalt
Reinhard Höppner
Dr. Reinhard Höppner
Ministerpräsident des
Landes Sachsen-Anhalt

pag. 555 linea 29: loco — legatur ***die 24 Iunii.***

pag. 559 linea 14: deleatur, post ***Eduardo Baura,*** indicatio: S.D.B.

NONAGESIMUM VOLUMEN
COMMENTARII OFFICIALIS «ACTA APOSTOLICAE SEDIS »
ABSOLVITUR DIE XXXI DECEMBRIS MCMXCVTII
TYPIS VATICANIS